Dan. Wyttenbachii

Opuscula

varii Argumenti,

oratoria, historica, critica,

nunc primum conjunctim edita

Tom. primus

Lugduni Batavorum

1821

DAN. WYTTENBACHII

EPISTOLA CRITICA

SUPER NONNULLIS LOCIS

IULIANI IMP.

ACCEDUNT ANIMADVERSIONES

IN

EUNAPIUM ET ARISTAENETUM.

AD VIRUM CELEBERRIMUM

DAVIDEM RUHNKENIUM.

INGENIO, DOCTRINA, MAXIMISQUE IN REM LITERARIAM MERITIS ILLUSTRI

VIRO

DAVIDI RUHNKENIO

S. P. D.

DAN. WYTTENBACHIUS.

Est ea, *Celeberrime Ruhnkeni*, magnorum virorum felicitas, ut saepe ignotos etiam, et ne nomine quidem auditos beneficiis obstringant, et gratam eorum voluntatem sibi adjungant. Cum enim praeclare factis aut immortalibus ingeniorum operibus in publicum prosint, e quibus fructus ad plures manant, et unusquisque habet quod tollere possit, quotquot ad illum beneficiorum fructum pervenerunt, aliquidque inde in suam utilitatem derivaverunt, auctorem perceptae suavitatis suspiciunt, colunt, mirantur. Itaque nec Tu, Vir Celeberrime, qui totum hoc, quicquid est, Euro-

ropae venustiorum et antiquae Graecanicae elegantiae studiosorum, exquisitissimis Tuis commentationibus, et antiquorum scriptorum interpretationibus, in Te tanquam principem harum literarum, post *Hemsterhusii* beati mortem, convertisti, nec nisi *Valkenarium*, Tibi amicissimum, habeas, qui doctrina, fama, meritisque Tecum in hoc genere contendere ausit, mirari Tu itaque non debes, si equidem homo ignotus publice Te compellare sustineam. Si quid enim a me in doctissimo Imperatore, in cujus scriptis elegantissimis emendandis operam meam positam vides, praestitum est, id magnam partem Tibi debetur, qui ad justam *Platonis* cognitionem dux mihi fuisti praecipuus; de cujus usu quae Tu ad *Timaeum* egregie praecepisti, et exemplis confirmasti, vix dicere possum quantum ea mihi profuerint ad expoliendum *Julianum.* Quod nisi grato agnoscerem animo publiceque profiterer, non tam invidiae crimen susciperem, cum Te, *Valkenariumque*, et similes, doctrina summa super invidiam evexerit, et ut beatos aliquos Deos in tuta tranquillaque sede collocaverit; quam potius illiberalis et essem, et haberer. Ac ne vivam, nisi dudum jam magnus me Tui tenuit amor, admiratio, et hinc natum Tibi innotescendi desiderium summum, quod perfecit tandem Deus, cum hanc Academiam adire fuit concessum. Ibi enim cum aliis bonis frui licuit, tum hoc inter maxima numero, quod in

ele-

elegantissimi *Heynii* consuetudinem pervenire contigit; qui egregius Vir, tum consilio saepius me adjuvit, tum adhortatione Graecarum literarum amorem mirifice auxit, ac, cum Tuo celeberrimo nomini hanc epistolam inscribere constituissem, et pudore honesto suffusus, quod animo conceperam exequi cunctarer, in se recepit Tibi probare, et sumtis quasi proxenetae alicujus partibus, aditum mihi ad Te praestruere. Quo Viri humanissimi dulci alloquio confirmatus, haec Tibi offerre in animum induxi, utut tenuia et juvenilia. Nec ullus dubito, quin serena fronte has accipias, meae in his literis collocatae operae primitias. De *Juliano* autem, licet non sit quod ad Te scribam, qui, ut omnium scriptorum, sic ejus quoque ingenium optime et ipse nosti, paucis tamen exponendum est a me, quare in eum potissimum meam operam collocaverim. Ejus quippe scripta, cum ob varietatem doctrinae, tum ingenii vim, ac dictionis elegantiam, lectu videbantur dignissima. Sive enim temporum quae vivebat, sive philosophiae spectes historiam, incertus sis utrius cognitio ex iis magis illustrari possit. Nam et de multis ejus ipsius, et *Constantii* factis, et ipsius omnino aetatis rebus, vel solo ejus constat testimonio, vel uberius ipse quam ceteri scriptores prodidit; et ad Eclecticae ac Cynicae sectae rationem noscendam, plurimum ejus scripta conferunt; ubique tandem insignis elucet antiquitatis,

 ele-

elegantiorum literarum, rerumque Divinarum et humanarum scientia. Dictio ejus felicis est imitatoris veterum, *Platonis* praesertim ac *Demosthenis*, elegans, tersa, pura, et bene Attica; neque tamen priscis delectatur vocibus, aut ineptum affectat Atticismum, quod contra *Cresollium* obiter moneo, qui (Theatr. Soph. III. 6.) ex *Gregorio Nazianzeno* (Stel. I. p. 98.) id voluit demonstrare. Scilicet audiendus erat Sanctus Pater ubi *Juliani* vitia crepat! Neque id tamen sibi ille voluit, et alia longe ejus est mens, quamvis eadem non dubitavit recoquere *Olearius*, (ad *Philostrat.* p. 21. et 497.) Sed errorem secutus poenas dedit, et totum quantum a sui scriptoris mente aberravit. Verum de stilo *Juliani* alio tempore accuratius agere constitui. Jam de ejus scriptis quis tandem praeter *Petavium* bene fuit meritus? *Spanhemii* equidem laudibus nil detractum velim, qui ex Vossiano codice cum plerasque supplevit lacunas, tum genuinam lectionem pluribus locis restituit, tum denique primam orationem et Caesares luculento illustravit commentario. At in constituendo textu, qualem Tu eum in *Callimacho* fuisse observasti, talem se in *Juliano* quoque praestitit; mitto quod priores editiones non diligenter satis consuluit, nec Vossianum codicem debita attentione excussit, ac *Petavii* denique marginales conjecturas saepissime omisit, acutas illas ac dignas viri magni felici ingenio; quorum

rum omnium illustria possem promere specimina, nisi brevitati maxime esset studendum. Forte tamen haec tumultuaria opera festinanti potius typographo tribuenda, quam ipsi illustri Viro, cujus excellens ingenium, et haec, et alia pleraque emendasset, nisi in irritum cecidisset consilium, quod de altero observationum volumine edendo ceperat, in quo in omnia *Juliani* opera erat commentaturus. Igitur ad primam statim Orationem, maximam animadversionum segetem congerere mihi licuit, quam nunc quidem intactam relinquam: constitutum enim mihi est, hunc panegyricum, tanquam specimen novae editionis *Juliani*, propediem edere, siquidem inveniri possit qui sumtus facere velit. At ex reliqua copia conjecturarum, istas nunc acerrimo Tuo judicio examinandas subjicio.

Orat. II. p. 57. B: *Βασιλεὺς τούς τε ἱππεῖς ἐπικαίρως τάττει*, ait in descriptione praelii ad Mursam Constantii cum Magnentio; et simillime loco parallelo Or. I. p. 36. A: *τῶν πεδίων δὲ τῶν πρὸ τῆς Μύρσης ὀφθέντων, ἐτάττοντο μὲν ἐπικαίρως ἱππεῖς ἑκατέρου* (l. *ἑκάτεροι*), *πεζοί τε ἐν μέσῳ*. Nihilominus tamen utroque loco pro *ἐπικαίρως* legendum *ἐπὶ κέρως*. Id enim sensus postulat, et in vocibus his confundendis mire lusit librariorum incuria: videndi sunt *L. Kuster* ad *Suid.* V. *Ἐπικαίρως*. *J. Davis.* ad *Max. Tyr.* p. 540. et *N. Schwebel* ad *Onosandr.* p. 69.

P. 64. D: Ἰλύς τε ἦν περὶ τὸ χωρίον εὖ μάλα βαθεῖα, οὐδὲ αὐτοῦ παντελῶς ὄντος ὑπὸ τῆς ὕλης. Vidit quidem *Petavius* mancam esse orationem; versionem tamen dedit quae nullo pacto tolerari potest. Scripsit forsan *Julianus*, οὐδὲ αὐτοῦ αὔου-τῆς ἕλης. Ἕλης bonum est, quod Var. Lect. praebet, ac de ejus potestate Tu egregie docuisti ad Tim. p. 69. [95.] et αὔου facillime ab αὐτοῦ absorberi potuit. Monuit me deinde Cel. *Heynius*, αὖος nunquam de terra usurpare Graecos. Talis tamen debet esse mens *Juliani:* „*Erat ibi coe-„num profundissimum, quod locus praeterea, „natura sua pinguis, nec a sole facile exsicce-„tur.*" Aut ex *Heliodoro* medicina erit expectanda: is enim sine dubio hanc Nisibis oppugnationem ante oculos habuit, cum Syenes obsidionem effinxit, IX p. 434: ἴλυος γὰρ βαθείας ἡ γῆ κατάπλεως ἐγεγόνει, καὶ τὴν ἐπιφάνειαν ἐξικμάσασθαι φαινομένην τέλμα δίυγρον ὑπέτρεχεν ἵππου τε ὁμοίως καὶ ἀνδρὸς βάσιν εἰς βυθισμὸν ἐνεδρεῦον. Convenit quoque *Thucydid.* III. p. 186. C. Εἵλας et ὕλας confudit etiam Cod. Arch in *Herodot.* I. p. 95.

P 68. C. Miraberis, Vir Acutissime, *Petavium*, cui totus hic locus mutilus ac turbatus videbatur. Nec tamen est, nisi philosophica quaedam digressio, qua scatet tota haec oratio. *Platonis* locus extat Menexen. p. 408. E, qui nec potuit facile, nec debuit eum latere. Profecit ex eo *Lucian.* Timon. p. 148. Cum *Juliano* egregie con-

convenit *Themistius* Or. II. p. 33. B-D. et *Libanius* T. I p. 77. A, de quorum imitatione alibi dicendi erit locus. Ad eundem *Homeri* locum respexit *Isidor. Pelus.* II. 228. ubi pro Ἀλεξάνδρῳ legendum Ἕκτορι.

P. 69. B: Ἐπεὶ μηδὲ θεμιτὸν, ὑπὸ τοῦ χείρονος τὸ κρεῖττον βλάπτεσθαι· ἔστι δὲ καὶ οὗτος ἐκεῖθεν ὁ λόγος. Ἀλλ' ἔοικα γὰρ καταφορτίζειν ἡμᾶς τοῖς τοῦ Πλάτωνος λόγοις, μικρὰ ἐπιτάττων τῶν ῥημάτων, ὥσπερ ἁλῶν. Plane a *Juliani* mente aberravit *Petavius* dum vertit: „*inde nostra haec omnis oratio profecta est.*" Scilicet ignorabat, *Platonis* haec verba citari. Itaque reddendum erat: „*Est autem et haec sententia Ejusdem*" nimirum *Platonis* Apol. Socr. p. 364. E: οὐ γὰρ οἶμαι θεμιτὸν εἶναι ἀμείνονι ἀνδρὶ ὑπὸ χείρονος βλάπτεσθαι. Eandem usurpavit *Julian.* apud Suid. V. Μουσώνιος. Mox pro ἡμᾶς recipienda Var. Lect. ὑμᾶς. Denique pro ἐπιτάττων, quod nihili est, revocandum ἐπιπάττων ex Edit. Flex. cujus bonas lectiones saepius neglectas novi. *Lucian.* Rhet. Praecept. p. 17: καὶ ἐν ἅπαντι λόγῳ καθάπερ τι ἥδυσμα ἐπίπαττε αὐτῶν. Piscat p. 592.

P. 73. B: Οὕτως οὐδὲ ξὺν νῷ, ῥώμῃ δὲ μᾶλλον σωμάτων θρασυνόμενοι τὴν ἐς τὸ τεῖχος πάροδον ἐτόλμων. Βασιλεὺς δὲ, οὐ μὲν ἀλκῆς ἔργον ἐστι καὶ θυμοῦ, χρῆται τοῖς ὅπλοις, καὶ κρατεῖ ξυμβουλίᾳ· οὐ δὲ μόνον ἐδέησε γνώμης, ταύτῃ κυβερνᾷ, καὶ κατεργάζεται πράγματα τοσαῦτα, ὁπόσα οὐδὲ σίδηρος ἐξελεῖν

 ἰσχύ-

ἰσχύσει. Primum, Vir Doctissime, nonne teretes tuas offendit aures οὐδὲ ξὺν νῷ? Vide an recte conjecerim οὐδενὶ ξὺν νῷ. Sic *Plato* Criton. p. 372. B: ταῦτα ὡς ἀληθῶς σκέμματά ἐστι τῶν ῥᾳδίως ἀποκτιννύντων, καὶ ἀναβιωσκομένων γ' ἂν (l. γ' αὖ): εἰ οἷοί τε ἦσαν, οὐδενὶ ξὺν νῷ, τούτων τῶν πολλῶν. Deinde pro ξυμβουλίας lego εὐβουλίας. Σὺν et εὖ saepissime confundi docuit *J. P. Dorvill.* ad Charit. p. 374. In *Platone* Sympos. p. 317. E, pro συγγένεια malui εὐγένεια. Confusa sunt praeterea in *Polyaen.* I. 29. 2 *Plutarch* Def. Or. p. 422. A. *Liban.* ap. Fabric. B. G. VII. p. 219. *Porphyr.* Abstin. IV. p. 349. Εὐβουλίαν porro et *Vim* conjungi saepius ab auctoribus uberrime demonstravit summus *Valkenarius* ad *Euripid.* Phoeniss. v. 753. et *Spanhemius* ad Or. I. p. 301. Unicum addam exemplum quod correctione indiget. *Plutarcho* Thes. p. 1. C, τὸ συνετὸν μεταξὺ τοῦ δυνατοῦ ἔχοντες dicuntur Theseus et Romulus; conjeci τὸ δυνατὸν μετὰ τοῦ ξυνετοῦ ἔχοντες, favente Cod. Vulcob. allusit enim ad *Thucydidem* II. p. 110. B. cui dicitur Theseus γενόμενος μετὰ τοῦ ξυνετοῦ καὶ δυνατὸς· quod expressit etiam *Philostratus* Heroic. Cap. V. p. 704. 'Ορφεὺς ποτὲ μετὰ τοῦ σοφοῦ καὶ δυνατὸς γενόμενος. Denique in fine legendum ἰσχύσαι· imitatur *Euripidem* Phoeniss. v. 519.

πᾶν γὰρ ἐξαίρει λόγος
Ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν.

Re-

Respicit nimirum *Julianus* strategema illud, quo Vetranionem debellaverat Constantius, cui optime convenit sententia Tragici, quam proinde parallelo loco, qui *Juliano* praeluxit, usurpavit *Themistius*, Orat. II. p. 37. B. Noster, quod obiter moneo, clare alteram lectionem *ἐξαιρεῖ*, in *Euripide*, firmare videtur.

P. 85. B: *Ὅθεν αὐτῷ* (Dario) *τὸ κλεινὸν ὄνομα γέγονε κατὰ πάντας ἀνθρώπους ἐκφανές· ἐκάλουν γὰρ αὐτὸν Περσῶν οἱ γνώριμοι ὅ, τι περ Ἀθηναῖοι τὸν Σάραμβον. J. Davisius* ad Max. Tyr. p. 508. pro *κλεινὸν* emendaverat *καπήλου·* perperam, puto. Non enim sensit V. D. verbi ironiam. Sic *Euripid.* Herc. Fur. v. 541, *κλεινὸς*, et quoties non alibi *καλὸς*, *γενναῖος*, *χρηστὸς*, et alia, malo accipiuntur sensu? In similem delapsus est errorem Vir alius elegans *T. Faber*, qui in *Dione Chrys.* Olymp. p. 197. B, pro *ἀνδρίαν* restituit *ἀναιδείαν*, ad Lucian. Ed. Graev T. I. p. 1049. *Libanius* Declam. XXIX. p. 667. D: *πολλὴν ἀνδρίαν, μᾶλλον δὲ ἀπόνοιαν τοῦ Σωκράτους λέγεις.* Et plurima exempla hujus *ὑποκορισμοῦ* ex *Platone* ac aliis proferrem, si prolixiori esse liceret. Habet autem hoc sibi proprium *Julianus* reticere nomina propria; ubi enim, de quibus tam multa loquitur in prima et secunda oratione, Magnentii, Vetranionis, Saporis, Silvani, et aliorum nomina commemoravit? Sic Or. III. p. 107, Thessalonices, et Misopog. p. 352, Paedagogi nomen suppressit. Taceo quod, in

in hoc *Juliani* loco, si καπήλου substituas, sequentia ἐκάλουν γὰρ cet., inepte redundent.

P. 98. D: Ait de Silvano, qui in Gallia imperium arripuit, ἐκ τῆς γυναικωνίτιδος ἀνελόμενος ἁλουργὲς ἱμάτιον, γελοῖος ἀληθῶς τύραννος καὶ τραγικὸς ὄντως ἀνεφάνη. Ἐνταῦθα οἱ στρατιῶται (καὶ dele) χαλεπῶς μὲν εἶχον πρὸς τὴν ἀπιστίαν, θῆλυν δὲ οὐχ ὑπομένοντες ὁρᾶν ἐνδεδυκότα στολὴν, τὸν δείλαιον ἐπιθέμενοι σπαράττουσιν. Similiter Orat. I. p. 48. C. Hinc, quam utroque loco memorat *muliebrem vestem* seu *purpuram*, vix dici potest quantum vexaverit Interpretes, qui ad historiae fidem haec a *Juliano* narrari crediderunt, inducti verbis *Ammiani Marcellini* XV. 5. p. 65: „*Cultu purpureo a Draconum et vexillorum insignibus abstracto, ad culmen imperiale surrexit.*" Ubi optime magnus *Valesius* rem expedivit. „*Julianus*" ait „*Orat. I. et 2. Silvanum ait non ex signis, sed ex gynaeceo purpuram sumpsisse; quod quidem in contemptum tyranni, probabiliter ab oratore confictum existimo.*" Convenit quodammodo θήλεα νοῦσος *Herodoti* I. p. 53. ad quem locum commode attulit summus *Wesselingius* θήλειαν νοῦσον — ἐνδύονται, στολὴν γυναικείην ex *Hippocrate.* Sed non diu quaerendum est unde colorem duxerit *Julianus:* etenim cum Pentheo comparare voluit Silvanum, quod similitudo rei, et ipsa verba clare arguunt. Induit ille purpuream vestem, *Euripid.* Bacch. v. 819. quae θῆλυς στολὴ vocatur v. 824.

et

et 850. ἐκδῦναι θῆλυν στολήν· ac amiciri ea verecundatus ait v. 834.

Ουκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν·

quae verba sua fecit *Julianus* Et alioquin celebris est iste versus; usus enim eo est ad Dionysium *Plato*, quod refert *Aristonymus* ap. Stob. p. 114, et imitatur *Philostratus* Icon. II. p. 766: συγχωρεῖ δὲ ὁ κῶμος καὶ γυναικὶ ἀνδρίζεσθαι, καὶ ἀνδρὶ θῆλυν ἐνδῦναι στολὴν, καὶ θῆλυ βαίνειν. Simili quoque modo ad Silvanum allusit *Themistius* Or. II. p. 36. A. ubi vid. *Petav.* Σπαραχθῆναι etiam Pentheus dicitur, cujus fatum in proverbium abiit: *Lucian* T. III. Indoct. p. 114: ἄμεινόν ἐστι τῷ Πενθεῖ ἅπαξ σπαραχθῆναι· et alibi. *Celsus* apud *Origen.* II. p. 415. A: ἔπαθέ τι, οἷον ὁ Πενθεὺς, μανεὶς ἢ σπαραχθείς. *Julian.* Or. VII p. 221. D. *Clem. Alex.* Strom. I. p. 298. A. *Numen.* Euseb. P. E. p. 529. A. *Atticus* ibid. p. 509. A. Veteranio βασιλείας ὑποκριτὴς vocatur p. 77. C. *Plato* Rep. IX. p. 504. E, tyranno τραγικὴν σκευὴν tribuit, et *Johann. Chrys.* Hom. ad Antioch. VIII. p. 102. E. Est itaque merus dicendi color et allusio, quae proprie, ac ex solo verborum sensu, neutiquam explicanda est.

P. 101. D. in fine orationis: Ἀλλ' ὥρα λοιπὸν πρὸς ἔργον τρέπεσθαι. Haesit hic *Petavius*, qui pro ἔργον corrigere tentabat τέλος, aut orationem nondum absolutam esse credebat. Itaque male vertit: „ *sed tempus est deinceps, ut me ad opus ipsum con-*

convertam:" cum reddendum erat: „*sed jam tem-* „ *pus est ut ad negotia mea revertar.*" Sic *Plato* Sympos. p. 323. A: *ἵνα — διαναπαύοιντο, καὶ ἐπὶ τὰ ἔργα τρέποιντο, καὶ τοῦ ἄλλου βίου ἐπιμελοῖντο. Herodot.* I. p. 50: *καὶ αὐτοὶ πρὸς ἔργα τρεψόμεθα. Aeschines* Ctesiph. p. 296. B.

Orat. III. p. 110. D: *Ἅτε τῶν παιδικῶν σφόδρα ἀκουσμάτων ἐπιθυμῶν. Petavio* mutilus videbatur locus, quem in versione proinde asteriscis notavit „ *perinde atque * * * puerilium acroamatum cu-* „ *piditate ductus.*" Explevit voce, *magna*, lacunam *Spanhemius*, quod scopum nondum ferit. Nonne, Vir Acutissime, levi mutatione locus sanari poterit, si pro *ἅτε* substituamus *ἴστω sciat?*

P. 124. D: *Παιδείαν τε οὐκ ἄμουσον ἐν αὐτοῖς ποιοῦμαι.* Semper mihi arrisit *παιδιάν*. Est quidem contra me *Timaeus* p. 2. [3.] *νομίσας καὶ αὐτὸν ἕξειν σε παιδείαν οὐκ ἄμουσον.* Verum, quod ex notula aliqua Cl. *Fischeri* ad Plat. Dial. didici, *Heusingerus* V. Cl. bis in *Timaeo* pro *παιδείαν* substituendum conjecit *παιδιάν*. Recte, puto. Primum enim Saturnalibus non seriae tractabantur res, sed ludicrae: deinde, quod ad hunc locum attinet, *Julianus* dixerat, se hos libros legere *ὅποτε σχολὴν ἄγοιμι·* jam vero otio *παιδιὰ* magis convenit quam *παιδεία*. Consulenda quoque sunt quae super hac re ex *Platonis* mente disputant *Aristides* T. I. p. 72. et 73. ac *Lucian.* Ver. Hist. I. p. 640. Apposite *Plato* Phileb. p. 80. D: *ἀνάπαυλα*

γὰρ

γὰρ τῆς σπουδῆς ἐνίοτε γίνεται ἡ παιδιά. Ac simillimis formis utitur cum παιδιὰν et σπουδὴν sibi opponit; v. c Legg. VI. p 617. F: γίγνοιτ' ἂν μετὰ παιδιᾶς μηδαμῆ ἀχαρίστου, σπουδὴ δὲ cet. ibid. p. 620. E. senum ἔμφρων παιδιὰ vocatur καλὴ σπουδή. V. p. 606. F. VIII. p. 644. C. Tim. p. 538. F: φρόνιμος παιδιά. Phaedr. p. 357. B: ἡ ἐν λόγοις παιδιά. Denique οὐκ ἄμουσος nunquam παιδείᾳ, sed *joco* tribuitur. *Plato* Phaedr. p. 342. B: ἡδονὴ οὐκ ἄμουσος, quod imitatur *Plutarch.* Pericl. p. 158. C: διαπαιδαγωγῶν οὐκ ἀμούσοις ἡδοναῖς τὴν πόλιν. *Longin.* XXXVIII. 2: σκώμματα οὐκ ἄμουσα. *Aristid.* T. I. p. 81: οὐκ ἄμουσος διατριβή. Egregie *Lucianus* Amor. p. 455: σπουδὴν ἱλαρὰν ἅμα καὶ παιδιὰν εὔμουσον ἐσχηκότα, *Platonem* imitatur Epist. VI. p. 711. E: σπουδῇ τε ἅμα μὴ ἀμούσῳ, καὶ τῇ τῆς σπουδῆς ἀδελφῇ παιδείᾳ, ac παιδιᾷ legendum esse innuit. Plura in aliud tempus rejicio. Nunc unum addam elegantem *Euripidis* locum ap. Dion. Chrys. Or. XXXII. p. 393. C:

> Μὴ παυσαίμην τὰς Χάριτας Μούσαις
> Ἀναμιγνὺς, ἡδίστην συζυγίαν.

P. 127. B: Καὶ μυρίος δή τις ἐπιῤῥεῖ γυναικῶν ὅμιλος. Mst. Voss. pro ὅμιλος habet ὄχλος, quam unice veram judico lectionem. Imitatur enim *Platonem* Phaedr. p. 337. B: καὶ ἐπιῤῥεῖ δὲ ὄχλος τοιούτων Γοργόνων καὶ Πηγάσων· ut alii complures, v. c.

Clem.

Clem. Alex. Protr. p. 44. C: *καὶ πολύς μοι ἐπιῤῥεῖ τοιοῦτος ὄχλος, οἱονεὶ μυρμῶ τινὰ δαιμόνων παρεισάγων ξένων. Philostrat.* Heroic. p. 680: *πολὺς ἐπιῤῥεῖ τοιούτων ὄχλος, εἰ πάντων ἀπομνημονεύοιμι. Liban.* Or. XIX. p. 499. A: *καὶ ἐπιῤῥεῖ δὴ ῥητόρων ὄχλος.* Sic *ἐπιῤῥεῖν* eleganter usurpatur de cogitationum multitudine, quae confertim subit memoriam. *Julian.* Or. VII. p. 236. C. *Isocrat.* Panath. p. 598. *Plutarch* Garrul. p. 513. D. *Plato* Legg. V. p. 607. E. VII. p. 621. F. Eadem quoque phrasis de hominum adfluente turba adhibetur; *Xenophon.* Cyri Inst. VII. p. 443: *ὁ δὲ ὄχλος πλείων καὶ πλείων ἐπέῤῥει. Theocrit.* Id. XV. v. 59: *ὅσος ὄχλος ἄμμιν ἐπιῤῥεῖ. Lucian.* Jov. Trag. p. 646: *εἶτα ὄχλου πολλοῦ ἐπιῤῥυέντος. Max. Tyr.* IV. p. 37: *ἡδονῶν τοσοῦτον ὄχλον ἐπιῤῥέοντα.* Itaque recte Magnus *Valkenarius* Grammatici Coisl. stuporem refutavit, qui *ὄχλον* negavit *ἐπὶ πλήθους* dici, ad *Euripid.* Phoen. v. 204.

Orat. IV. p. 139. B: *Ὁ σύμπας κόσμος ἓν ἐστι ζῶον, ὅλον δι' ὅλης ψυχῆς καὶ νοῦ πλῆρες.* Lego *ὅλον δι' ὅλου*, sic p. 143. C: et, qui maxime adamavit hanc formam, *Philo Jud.* Abrah. p. 366. E. 377. B. Migr. Abr. p. 498. A. C. Q. Erud. p. 459. B. Q. R. Div. Haer? p. 549. D. et alibi. De ipsa re videndi *Th. Gataker* ad *M. Ant.* VIII. 54. *J. Upton.* ad *Epictet.* III. p. 413. Addo *Cyrill.* c. Jul. II. p. 72. E. *Alexander Aphrodis.* ibid. IV. p. 82. B. *Jamblich.* Myst. Aeg. I. p. 16.

Orat.

Orat. VI. p. 188. B: *Ἀληθείας μὲν ἡ πάντων ἀγαθῶν θεοῖς, πάντων δὲ ἀνθρώπων ἡγεῖται, ὅλη, φασίν, ἐπιπράξασθαι τῇ διανοίᾳ.* Legendum *Ἀλ. ἣ παντ. μὲν ἀγ. — ἀνθρώποις — ἐπιδράξασθαι.* Sic, quod postea ex Ed. Paris. vidi, ex parte jam emendaverat *Petavius*, ex ingenio ni fallor, nam rationem correctionis videtur ignorasse. Est nimirum sententia *Platonis* Legg. V. p. 605. F: *ἀλήθεια δὲ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς, πάντων δὲ ἀνθρώποις ἡγεῖται·* quam adhibuit quoque *Eunap.* Proaeres. p. 129. *Marin.* Vit. Procl. p. 9. *Hierocles* Carm. Aur. p. 225. *Jamblich.* Protr. p. 114, quod monuit *C. Rittershus.* ad *Porphyr.* Vit. Pythag. p. 58, sed latuit *J. Toll.* ad Longin. p. 6. Hinc alibi colorem duxit *Julian.* Or. V. p. 180. A, VI. p. 195. C. *Ἐπιδράξασθαι* unice verum est, quod notat *mente capere*, *contrectare*, apud *Plutarch.* T. II. p. 541. A, Alex. p. 679. C. *Philonem Jud.* Joseph. p. 546. B. *Themist.* Or. XX. p. 235. A, II. p. 39. B, IV. p. 50. D, ubi pro *ἐπιδράξασθαι* habet *λαβέσθαι*, ex quo hausit, *Plato* Theaetet. p. 120. A.

P. 189. A: *Ἐπεὶ καὶ Πλάτων ἐξομνύμενος φαίνεται τὰ ξυγγράμματα· οὐ γάρ ἐστι Πλάτωνος ξύγγραμμα οὐδὲν, οὔτ' ἔσται· τὰ δὲ νῦν φερόμενά ἐστι Σωκράτους ἀνδρὸς καλοῦ καὶ νέου.* Pro *νέου* mallult *Petavius* *γενναίου*. At non attenderat *Platonis* haec esse verba, quod vel contextus eum monere poterat; quae si tenuisset, vix veram tentasset

lectionem. Sunt Epist. II. p. 707. F: *οὐδ' ἔστι Πλάτωνος σύγγραμμα οὐδὲν, οὐδ' ἔσται· τὰ δὲ νῦν λεγόμενα Σωκράτους ἐστὶ καλοῦ καὶ νέου γεγονότος*· ubi et alia exemplaria *νέου* servant, et qui locum citant *Aristides* T. II. p. 288, et *Stobaeus* Serm. CIX. p. 355. *Καλὸς καὶ νέος* optime decet Socratem virum *ἐρωτικόν*. *Callimach.* H. Apoll. v. 36: *ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος*. *Longus* Past. II. p. 48: *θεός ἐστιν ὁ ἔρως νέος καὶ καλός*. *Lucian.* D. D. XX. p. 264: et alibi saepissime conjunguntur. Pro *λεγόμενα* frequentius substituit *φερόμενα*. Sic *Plato* Theaetet. p. 117. A, *ἀποφερόμενοι λόγοι*. *Numenius* Euseb. P. E. XIV. p. 738. C. *Herodot* IV. p. 362. *Themist.* Or. XXVI. p. 317. A. *Platoni* autem Atticum ξ restituendum.

P. 190. D: *Πλὴν γοῦν ἢ δέκα μυριάδες*. Legendum *πλεῖν γοῦν*, *plus quam centum millia*. Id sententia postulat, et forma est Attica, quam egregie adstruxit *J. Pierson* ad *Moerid.* p. 294. et *V. D.* ad *Thom. M.* Voc.

P. 129. B: *Τί δῆτα ἐχρῆν πράττειν τὸν (γὰρ) παρὰ θεοῦ ταχθέντα καθάπερ στρατηγοῦ*. *Γὰρ*, quod offendit *Petavium*, ex sequente *παρὰ* est ortum. Scripsit elegantissimus Imperator *τόν γε παρὰ θεοῦ*. Sententiam hausit ex *Platone* Ap. S. p. 363. G: unde profecit etiam *Epictet. Arrian.* L. III. D. I. p. 350. *M. Antonin.* VIII. 45. *Jamblich.* Vit. Pythag. §. 2.

P. 197. B: *Τοῦτο γὰρ πολλοὶ τοῦ Διογένους ζη-*

λώσαντες ἐγένοντο παντορραῖκται. *Th. Reines* V. L. p. 152. emendabat παντορραῖσται. Sed unice legendum παντορέκται. Respexit enim ad *Porphyrium* Abstin. I. 42: τοῦτο καὶ τῶν Κυνικῶν τινὰς παντορέκτας ἐποίησε, προςπλακέντων τῷ αἰτίῳ τῶν ἁμαρτημάτων αὐτοῖς, ὃ δὴ καλεῖν εἰώθαμεν ἀδιάφορον.

Orat. VII. p. 205. C: Τὸν πρῶτον σπαρέντα ἢ χρεμψάμενον ἀναζητεῖν. De mendo suspectum erat *Petavio* σπαρέντα. At sanum videbatur *Spanhemio*, dum reddit *sementem fecerit*. Ecce! *Suidas* V. Χρεμετίζοντα, legit πτάρνυντα, quae, ni fallor, verior est lectio. In hujus autem farragine pleraque *Juliani* detexi fragmenta.

P. 206. C: Τοῖς δεδεμένοις δὲ ἔτι, καθάπερ οἶμαι *** εἰδωλ *** ἀντὶ τοῦ θεοῦ λέγεται παραναπαύσασθαι *** τετηκε δόξῃ γίνεται γὰρ ἐντεῦθεν αὐτῷ τὰ ὑπ' *** ταυτὶ, τῆς ἀληθοῦς ἐπιστήμης οἷον εἴδωλα ἄττα καὶ σκιαὶ *** πρὸ τῆς τῶν ἀληθῶν ἐπιστήμης τὰ ψευδῆ. Et hujus loci sensum assequi posse sibi videbatur Ill. *Spanhemius*. Tales quidem pessime habitos locos non meo, sed Tuo, Κριτικώτατε *Ruhnkeni*, perspicacissimo ingenio, perpurgari posse scio. Vide tamen an aberret procul a veritate mea conjectura. Τοῖς δεδεμένοις δὲ ἔτι, καθάπερ οἶμαι Ἰξίων εἰδώλῳ τινὶ ἀντὶ τῆς θεοῦ λέγεται παραναπαύσασθαι, οὐδέν ἐστι ἀλλ' ἢ προστετηκέναι δόξῃ· γίνεται γὰρ ἐντεῦθεν αὐτοῖς τὰ ὑπ' αὐτῆς ἐμφαινόμενα ταυτὶ τῆς ἀληθοῦς ἐπιστήμης οἷον εἴδωλα ἄττα καὶ σκιαί· καὶ ἀσπάζονται πρὸ τῆς τῶν ἀληθῶν ἐπιστή-

στήμης τὰ ψευδῆ. Nota est fabula de *Ixione*, qui Junonem deperiens, cum ejus umbra congressus, Centauros genuit: de quo hic loqui *Julianum*, tum res ipsa, tum verborum indicant vestigia. Optime proinde δόξα cum Centauro comparari potest ob ambiguitatem originis, decetque id in primis *Platonis* imitatorem. Luculentus est locus *Synesii* Dion. p. 44. B: εἰ δὲ μὴ ὁ Ἰξίων, ἀντὶ τῆς Ἥρας, τὴν νεφέλην ἡρήκει, καὶ ἠγαπήκει συνὼν τῷ εἰδώλῳ, οὐκ ἄν ποτε ἑκὼν εἶναι μεθεῖτο τῆς ἀτόπου διώξεως. Παρασκευαστέον οὖν, ἀντὶ λόγου, λόγον, ἀντὶ τοῦ μείζονος τὸν ἐλάττω, καλὸν μέν τοί τινα καὶ τοῦτον, ᾧ προεντυχόντες, ὁ μὲν πολὺς ἐνσχεθήσεται, καὶ τοῦτον ἀσπάσεται, καὶ οὐδ' εἶναι πρεσβύτερον ἄλλον οἰήσεται, ὁ δὲ λαχὼν φύσεως θείας, ἐντεῦθεν ἀρθεὶς περιφρονήσει κἀκεῖνον. Praeiverat ei, quem imitari solet, *Dio Chrys.* Or. IV. p. 80. D. Convenit *Plutarch.* Philos. cum Princ. p. 777. E: οὗτοι μὲν, ὡς Ἰξίων διώκων τὴν Ἥραν, ὤλισθεν εἰς τὴν νεφέλην, οὕτως ἀντὶ τῆς φιλίας εἴδωλον ἀπατηλὸν ὑπολαμβάνουσι. Sic Gryll. p. 986. A, Quaest. Plat. p. 1001. E. *Lucian.* Piscat. p. 581: κατὰ τὸν Ἰξίονα εἰδώλῳ ἀντὶ τῆς Ἥρας ξυνόντας. *Plato* ubique inter δόξαν et ἐπιστήμην distinguit, et simili modo, in eundem usum, *Stesichori* Idolum Helenae adhibuit Rep. IX. p. 508. D: quo respexit *Aristid.* T. II. p. 55. Tale est etiam Νεφέλης ἄγαλμα *Euripidis* Helen. v. 712. Προστετηκέναι, quod conjeci, verto *opinioni adhaerere.* Sic *Julian.*

lian. Or. VII. p. 226. A: *σὺ δόξῃ προστέτηκεν. Philostrat.* V. S. II. p. 564, *Lucian.* Catapl. p. 637. Παραναπαύσασθαι, male reddit *Spanhemius*, *coram Idolo requievisse:* qui enim hoc dixerit Idololatriae propugnator? Verto *congressus esse*, *rem habuisse. Nicostrat.* ap. Stob. p. 667: *τῇ γυναικὶ — ἀνὴρ προσαναπαύεται. Plutarch.* Repugn. Stoic. p. 1034. A: *συναναπαύεσθαί τινι. Philostrat.* V. A. I. p. 45, *ξυγκατακεῖσθαι.*

P. 209. B: *Ἐπιγνώσῃ σαφῶς ἐν τῇ τοῦ Κυνὸς αὐτοφωνίᾳ, καὶ τῷ κατὰ τῶν χρηστηρίων. Petavius* male vertit *αὐτοφωνίᾳ ex ipsis Canis illius sermonibus.* Mihi probabile est, librum contra oracula sic inscripsisse *Oenomaum*; cui conjecturae pulchre favet *αὐτόφωνος χρησμὸς* apud *Lucianum* Pseudomant. p. 235. et Gall. p. 705. Hunc autem *Oenomaum* inter Cynicos referendum esse negavit *Heumannus* Act. Philos. II. p. 901; cujus nugis refellendis nollem perdere tempus. Vix in errorem hunc fuisset delapsus, si *Juliani* loca attente considerasset. Notavit eum quoque Eruditissimus *Bruckerus* H. Crit. Philos. T. II. p. 509.

P. 228. A: *Προσαπέλαβον δὲ καὶ οἱ ξυγγενεῖς, οὐδ' αὐτοὶ παιδευθέντες καλῶς, τῆς τῶν παίδων ἀνοίας τε καὶ ἀμαθίας ἀνέχεσθαι· εἶτα ἐπίμπλατο φόνου πάντα· καὶ ἡ τραγικὴ κατάρα ὑπὸ τοῦ δαίμονος εἰς ἔργον ἤγετο· τὰ πατρῷα γὰρ θηκτῷ σιδήρῳ διελάγχανον· καὶ ἦν πάντα ἀκοσμίας πλήρη· πατρῷα μὲν ἱερὰ κατεσκάπτετο παρὰ τῶν παίδων.* Nullus dubi-

 to

to quin ἀνέχεσθαι inducendum sit. Dederat ni fallor *Julianus* προσαπέλαυεν· nam υ facillime in β abire potuit, ut centies in similibus verbis λαύρα, καλαύροψ, aliisque contigit. Hinc Librarius, excidisse quid putans, de suo addidit ἀνέχεσθαι, ut sententiam constitueret. Ἀπολαμβάνειν ἀνέχεσθαι τινὸς, certe vix Graecum, nedum Atticum est. Ἀπολαύειν mala quoque significatione accipi docuerunt *V. D.* ad *Lucian.* Tim. p. 191., et exempla ubique sunt obvia. Venustissimum illud *Platonis* Phaedr. p. 348. E: ἀπ' ἄλλου ὀφθαλμίας ἀπολελαυκὼς, imitati sunt *Plutarch.* D. A. A. p. 53. C, Sympos. V. p. 680 D, *Dio Chrys.* Or. XXXVI. p. 440. B: τοῦτο μὲν, ἔφην, ἀπολελαύκασι οἱ ποιηταὶ ἀπὸ Ὁμήρου, ὥσπερ ἀπὸ ὀφθαλμίας. *Philostrat.* V. S. II. p. 598: πρόσοικος δὲ ὢν τῆς Ἀσίας, τῆς Ἰωνικῆς ἰδέας, οἷον ὀφθαλμίας ἔσπασε. *Epictet. Arrian.* L. III. D. XVI. p. 412. *Porphyr.* Abstin. I. 28. Θνητῷ σιδήρῳ erat in Paris., pro quo recte jam *Petavius* conjecerat θηκτῷ, immemor tamen, ut videtur, quo alludat *Julianus*, nimirum *Euripidi* Phoeniss. v. 67:

Ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας,
Θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε.

Quod monuit deinde Cl. *Valckenarius.* Πατρῷα forte ex alio Tragici loco desumsit, Hecub. v. 21:

Πατρῷα θ' ἑστία κατεσκάφη·

Nam

Nam quod sequitur, γάμων οὐ γάμων, ex v. 948 est, nec neglexisse videtur Orest. v. 842, et Androm. v. 103. Aut debet *Platoni* Alcib. II. p. 38. E: ὥσπερ τὸν Οἰδίπουν αὐτίκα φασὶν εὔξασθαι, χαλκῷ διελέσθαι τοὺς υἱεῖς τὰ πατρῷα. Proprie ἱερὰ dicuntur κατασκάπτεσθαι· *Aristid.* Or. Plat. I. p. 106, *Liban.* T. I. p. 106. D, Or. XIX. p. 484. A, *Eunap.* Maxim. p. 87. De re ipsa egit *A. Pagi* ad Baron. Annal. 333. Descriptionem autem hanc *Juliani* vix dubitem quin imitari voluerit *Eunapius* Aedes. p. 73—77.

P. 235. D: Σοὶ δὲ ἀρετῆς, ἢ τοῖς σοῖς ἀδελφοῖς· ἀφελὼν δὲ τὸ δύσφημον, τὸ λειπόμενον αὐτὸς ἀναπλήρωσον· εἰ βούλει δὲ καὶ παρ' ἡμῶν αὐτὸ ἀνάσχου πράως λεγόμενον· τίς μετουσία. Paris σὺ δὲ ἀρετῆς. Recte σοὶ conjecit, male ἀφελῶ, *Petavius*, qui verborum ceteroquin sensum recte cepit. Ignoravit tamen quid per δύσφημον intelligat *Julianus*, et ignorabit qui nescit quo respiciat. Nimirum κάθαρμα. Est enim dictum *Demosthenis* Coron. p. 331. B: Σοὶ δὲ ἀρετῆς, ὦ κάθαρμα, ἢ τοῖς σοῖς, τίς μετουσία; quod imitatur etiam *Philostrat.* V. A. V. p. 206: Σοὶ δὲ τίς, ὦ κάθαρμα, ἀρετή; Erit itaque sensus: „*Tibi enim tuisque fratribus, quae* „ *est cum virtute* — sed omittens inhonestum no„ men (κάθαρμα), reliquum ipse suppleto; vel, „ sin ita mavis, a me aequo animo dictum accipi„ to — *communio?*" In *Libanio* Declam. XXIII. p. 552. D: ἡ μὲν ἀπόλωλε· τὸν δὲ δεῖ παθόντα οὐδὲν

 τι

τί γὰρ καὶ ταῦτα ἃ λέγεις· γελᾶν· similis est apostrophe; quod ignorabat *Morellus* qui reddit: „*haec* „ *quidem profligata est; istum vero nihil perpes-* „ *sum, impune ferre oportet. Eccurnam istaec* „ *dicis? risus gratia?*" inepte! ut solet. Pro τί levi correctione legendum ἔστι· ἐς enim ab antecedenti εν absorptum est; et vertendum. „*Haec* „ *quidem mortua est! Illum vero impunem, — hoc* „ *enim velle tu tibi videris — ridere fasne est?*" Πρᾴως λεγόμενον convenit fere cum *Xenophonte* Anabas I. 5. 14: πρᾴως λέγει τὸ αὐτοῦ πάθος.

Orat. VIII. p. 246. C: Τὸν ἄριστον τῶν ἑταίρων οὐκ ὀψόμεθα, δι' ὃν ἠχθόμην μὲν τῇ νυκτὶ, ὅτι μοι τὸν φίλον οὐκ ἐδείκνυεν· ἡμέρᾳ δὲ καὶ ἡλίῳ χάριν ἠπιστάμην, ὅτι μοι παρεῖχεν ὁρᾶν, ὃν μάλιστα ἤρων. A Paris. abest ὁρᾶν ὃν· hinc οὗ excidisse conjecerat *Petavius*. Sic autem ex Cod. Voss., ni fallor, restituit *Spanhemius*. Pro ὃν mallem tamen οὗ. Est autem flosculus *Xenophontis* Sympos. IV. 12: ἄχθομαί τε καὶ νυκτὶ καὶ ὕπνῳ, ὅτι ἐκεῖνον οὐχ ὁρῶ· ἡμέρᾳ δὲ καὶ ἡλίῳ τὴν μεγίστην χάριν οἶδα ὅτι μοι Κλεινίαν ἀναφαίνουσιν· quae verba ipsum *Xenophontem* Cliniae amore dixisse perhibet *Diogenes Laërt.* II. 49. At Critobuli sunt, qui loquens inducitur. *Laërtio* forte aliunde erat compertum, amatum fuisse a *Xenophonte* Cliniam; aut fallere eum potuit 'Απομνημ. I. 3. 8—15. Caeterum, idem imitatus est *Longus* Past. II. p. 50: ἐπιθυμοῦ-

μεν

μεν ἀλλήλους ὁρᾶν, καὶ διὰ τοῦτο θᾶττον εὐχόμεθα γενέσθαι τὴν ἡμέραν.

P. 247. D: Μορφῆς τύπωμα στερ * * * ἐξείκασμα. Sic in Paris. legitur. At in Lips. ex Cod. Voss. restituit *Spanhemius* στέρνων τε ἐξείκασμα. Optime! correctionem enim confirmat *Euripid.* Phoeniss. v. 165:

> Ὁρῶ δῆτ'· οὐ σαφῶς· ὁρῶ δέ πως
> Μορφῆς τύπωμα, στερνά τ' ἐξεικασμένα.

Huc alludit *Julianus*. Ac idem, ni fallor, obversabatur *Libanio* Declam. XXXVIII. p. 824. A: κατὰ μικρὸν γνωρίζω μὲν τῆς μορφῆς τὸν τύπον.

Epist. ad Themist. p. 253. C: Φρίκη τις προσείη, καὶ δέος θαυμαστόν. Pro προσείη emendabat προσήει *Petavius*. Cui equidem conjecturae nil detraho. Vix tamen dubito, scripsisse Imperatorem Atticae elegantiae peritissimum, φρικήν τε προσείεις. Sic προσείειν *terrorem incutere* notat *Thucydidi* VI. p. 431: προσείοντες φόβον· quem Tu, Vir Eruditissime, excitasti, et *Aeliani* loco προσείει μωκωμένη, quem summus *Hemsterhusius* emendavit, ad *Timaeum* V, Θαλλός. Ἐπισείειν dixit *Libanius* Declam. XXXI. p. 707. A: αὐτοῖς μέγαν ἐπέσεισα φόβον. XXXV. p. 779. A: φόνου προσδοκίας ἃς αὐτοῖς πολλάκις ἐπέσεισα. *Plutarch.* Themistocl. p. 113. D. Mox pro ἀφίκωμαι lego ἐφίκωμαι.

P. 255. C: Λέγουσι γάρ τοι καὶ τὸν Σωκράτη πολλοὺς μὲν οὐ σφόδρα ἔχοντας ἀπαγαγεῖν τοῦ βήματος·

τος· Γλαύκωνα δὲ ἐκεῖνον, ὡς Ξενοφῶν λέγει, καὶ τὸν τοῦ Κλεινίου παῖδα, πειρασθῆναι μὲν ἐπισχεῖν, οὐ δυνηθῆναι δὲ περιγενέσθαι τοῦ νεανίσκου τῆς ὁρμῆς. Locus *Xenophontis* est Ἀπομν. III. 6. 1, unde *Juliani* verba sic constituenda sunt — *ἀπαγαγεῖν τοῦ βήματος, καὶ Γλαύκωνα ἐκεῖνον ὡς Ξενοφῶν λέγει· τὸν δὲ τοῦ Κλεινίου παῖδα.* — Nam Glauconem quidem a capessenda republica abduxit, Alcibiadem autem cohibere non poterat. Et hic *καὶ* et *τὸν δὲ* perperam erant trajecta; et singularis *νεανίσκου*, ad Glauconem et Alcibiadem simul referri nequit. Ex eodem fonte hausit, et corrigendus est *Libanius* Declam. XXIX. p. 678. C: *Γλαύκωνα τὸν Ἀρίστωνος καὶ τὸν Γλαύκωνος Χαρμίδην, τὸν μὲν ἐπεγείρας δημηγορεῖν ὀκνοῦντα· τὸν δ' ἐπισχὼν, δυνάμενος ὠφελεῖν·* legendum — *ὀκνοῦντα, δυνάμενον δ' ὠφελεῖν· τὸν δ' ἐπισχών.*

Fragment. p. 289. A: *Ἀκτέον ἐπὶ τοῦτον καὶ διδακτέον· ὄψονται δὲ, ὡς εἰκὸς, οἱ βελτίους.* Habent quid duri haec verba. Ac *Petavius*, acutissimus Interpres, utcunque potuit, reddidit: „*Quod quidem meliores, uti verisimile est, quique pervi-*„*debunt.*" Sed levi mutatione pro *ὄψονται* legendum *ἕψονται*, *sequentur*.

P. 303. C: *Πάντων γοῦν τῶν ἐπιστρατευσάντων ταῖς Θήβαις ἐπὶ τῶν ἀσπίδων πρὶν κατεργάσασθαι σύμπαντα γραφόντων καὶ ἐγειρόντων τὰ τρόπαια, καὶ τὰς συμφορὰς τῶν Καδμείων, ὁ τῶν θεῶν ὁμιλητὴς ἄσημα ἐπεστράτευεν ἔχων ὅπλα.* Judices velim, Vir Acutis-

tissime, an pro *σύμπαντα* substitui debeat *σύμβολα* vel *σημεῖα*. Respexit *Julianus* ad *Euripidem* Phoeniss. v. 1118:

> Ὁ μάντις Ἀμφιάραος, οὐ σημεῖ' ἔχων
> Ὑβρισμέν', ἀλλὰ σωφρόνως ἄσημ' ὅπλα.

Unde colorem quoque duxit *Philostratus* Heroic. p. 733: qui de Achille ait *τὰ δὲ ὅπλα κατεσκευάσθαι μὲν ἄσημα καὶ σώφρονα.* Et hunc imitatus *Philostrat. Jun.* Icon. X. p. 876, Eurypyli arma *ἄσημα ὅπλα* vocat. Amphiarai *σωφροσύνην* memorat *Euripid.* Phoen. v. 182. Suppl. v. 925, et illustrissimo elogio celebravit *Aeschylus* Sept. ad Theb. v. 542 — 579. *Ἄλλον ἐξ ἄλλου* elegans forma, miraberis quod offenderit *Petavium*. Similis est *Plutarch.* Gryll. p. 986. D, et *Joh. Chrys.* S. Babyl. p. 669. A.

P. 305. B: *Προσεκτέον γὰρ μάλιστα τῷ μέρει τούτῳ, καὶ τὴν ἰατρείαν ὅθεν ποιητέον.* Pro *ὅθεν* lego *ἔνθεν*, *hinc.* Etenim, a pauperibus initium faciendum esse, ait.

Inter *Juliani* libros, is ab eruditis hominibus elegantissimus judicatus fuit, qui *Caesares* inscribitur, ac plures proinde nactus est editores. Ut enim *Petavium* aliosque taceam, egregie de eo meritus est Ill. *Spanhemius;* et ante hos triginta annos cum Cod. Aug. collatum edidit Cl. *Heusingerus.* Sed horum etiam Virorum aciem pleraque effugere. Quare diutius paulo ei immorabimur.

Init.

Init. Ἐπειδὴ δίδωσιν ὁ θεὸς παίζειν· ἔστι γὰρ Κρόνια· γελοῖον δὲ οὐδὲν οὐδὲ τερπνὸν οἶδα ἐγὼ, τὸ μὴ καταγέλαστα φράσαι, φροντίδος εἶναι ἄξιον ἔοικεν. Torsit hic locus Interpretes, quod justam differentiam non nossent, quae inter γελοῖον et καταγέλαστον intercedit. Primus recte cepit verborum sensum *Petavius*. *Julianus* autem imitatur *Aristophanem*, qui loquens inducitur a *Platone* Sympos. p. 322. A: Φοβοῦμαι περὶ τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι, οὔτι μὴ γελοῖα εἴπω· τοῦτο μὲν γὰρ ἂν κέρδος εἴη, καὶ ἐπιχώριον τῆς ἡμετέρας Μούσης· ἀλλὰ μὴ καταγέλαστα. Obfuit V. Doctis, quod γελοῖον duplicem, eumque contrarium admittit sensum: alibi enim *facetum* notat, alibi *deridendum*. Grammatici inter γελοῖον et γέλοιον distinguunt, de quo tamen nec ipsi inter se conveniunt, nec hodie hoc discrimen observatur. *Timaeum* Tuum, Vir Egregie, aliquando corruptum esse, et ad hunc *Platonis* locum respicere suspicatus sum. Ex hoc profecit *Plutarch.* T. II. p. 854. C, dum ait, Aristophanis γελοῖον, οὐ παιγνιῶδες, ἀλλὰ καταγέλαστον esse. Geminum est de *Demosthene* judicium *Longini* π. Τ. p. 190: ἔνθα μέντοι γελοῖος εἶναι βιάζεται, καὶ ἀστεῖος, οὐ γέλωτα κινεῖ μᾶλλον ἢ καταγελᾶται. Nescio autem quid sibi velit *Pollux* VI. 122. 201.

Ibid. Ὀρθῶς γε σὺ τοῦτο ὑπολαμβάνεις. Codd. Voss. et Aug. habent ὑπολαμβάνων, quod unice ab Atticae venustatis studiosissimo Imperatore pro-

profectum est. *Plato* Rep. I. p 419. G: Θρασ. Σοὶ γὰρ χαρίζομαι. Σωκρ. Εὖγε σὺ ποιῶν. Protag. p. 210. E: Καὶ δοκεῖ, ὥσπερ σὺ λέγεις, respondet alter καλῶς γε σὺ λέγων. In eadem forma Gorg. p. 307. F: ὀρθῶς γέ σοι συμβουλεύω, reponendum συμβουλεύων. Charmid. p 236. F: καλῶς δὲ σὺ ποιῶν. pro δὲ substituendum γε. Haec enim est dialogi lex apud Atticos. Sic p. 239. D, Hipp. Maj. p 105. C, Cratyl. p. 263 F, 276. E, Legg VIII. p. 647. B. *Lucian.* Demosth. Enc. p. 685: καλῶς γε σὺ ποιῶν. Parasit. p. 245: ὀρθῶς γε σὺ λέγων. *Aristid.* Orat. Plat. I. p. 68. et 236. *Philostrat.* V. A. VII. p. 301. et 308. *Basil M.* Hom. Avar. p 334. D. Sed extra dialogum quoque usurpatur, v. c. *Plutarch.* Conj. Praec. p. 140. B: ὀρθῶς τοῦτό γε αὐτὸ ποιοῦντες, ubi pro αὐτὸ lego αὐτοὶ, quod ex Codd. Xylandr. et Vulcob. emergit. Sic quoque Pyth. Orac. p. 401. F, Herod. Mal. 864. A. *Aristophan.* Acharn. v. 1049. Pac. v. 270. et 284. *Lucian.* D. D. p. 231.

Ibid. Λέγοις ἂν καὶ μάλα ἀσμένως. Quod *Cunaeus* conjecit ἀσμένῳ verissimum est, quidquid obloquatur *Heusingerus.* Nam et sententiam egregie juvat, et Atticum est. *Thucydid.* IV. p. 272. D. et 309. A: θαυμάζω δὲ τῇ τε ἀποκλείσει μου τῶν πυλῶν, καὶ εἰ μὴ ἀσμένοις ὑμῖν ἀφῖγμαι. *Herodot.* VIII. p. 625. *Aristoph.* Pac. v. 582. *Aristid.* T. I. p. 347. *Philostrat.* V. S. I. p. 521. *Plutarch.*

tarch. Alex. p. 680. F. *Jamblich.* Vit. Pythag. 19: τοῖς Μάγοις ἀσμένοις συνδιατρίψας ubi *L. Küster.*

P. 307. C. Πολλὴν ἐν τῷ μέλανι καὶ θεῖαν αὐγὴν κρυπτούσης. *Trillerus* V. Cl pro κρυπτούσης emendat ῥιπτούσης· satis quidem ingeniose. Sed ῥίπτειν τὶ ἔν τινὶ, possuntne ferre, Vir prisci leporis peritissime, teretes tuae aures? Unicum novi *Euripidis* Herc. Fur. v. 934: Ῥίζας τ' ἐν ὄσσοις αἱματώπους ἐκβαλών· quod tamen nescio an huc quid faciat. Mihi vulgatum κρυπτούσης cum μέλανι bene convenire videtur. Aut si quid tandem mutandum esset, mallem ἀστραπτούσης. Mox in ἔπασχε δὲ τοῦτο, pro τοῦτο conjeci τὸ αὐτό.

P. 311. C: Μετὰ τοῦτον ἐπεισέρχεται βαθεῖαν ἔχων ὑπήνην, ἀνὴρ σοβαρὸς, τά τε ἄλλα, καὶ δὴ καὶ Μουσικὴν ἐργαζόμενος. Equidem non nego Graecum esse ἔχειν ὑπήνην. Sic enim *Apoll. Tyan.* Ep. 63 *Lucian.* Piscat. p. 606 Eunuch. p. 356. De Merced. Cond. p. 683. Conjeci tamen βαθεῖαν ἕλκων ὑπήνην. Sic *Gregor. Naz.* Stel. II. p. 112. A: τί φήσουσιν οἱ τοῦ αἰῶνος τούτου σοφοὶ, καὶ τὰ παρ' αὐτοῖς ἀποσεμνύνοντες, οἱ τὰς βαθείας ὑπήνας ἕλκοντες; et *Aristid.* Orat. Plat II. p. 212: ἡδέως δ' ἂν ἐροίμην τοὺς τὰς βαθείας ὑπήνας ἕλκοντας, ἔφη τὶς τῶν κωμικῶν. Simile est *Aristophan.* Lysistr. v. 1074: Καὶ μὴν ἀπὸ τῆς Σπάρτης οἱδὶ πρεσβεῖς ἕλκοντες ὑπήνας. At Comicorum sales, nosti, Vir Eruditissime, quantum in hac satyra amet

πα-

παρῳδεῖν *Julianus*. Βαθεῖα κόμη restituenda est *Synesio* Enc. Calv. p. 64. D. pro βαρεῖα κόμη. Sic *Aelian*. H. A. XIV. 14. XVI. 24. *Lucian*. saepius, ut in Indic. V. Πώγων notat *Reitzius*. Μουσικὴν ἐργαζόμενος est *Platonicum* Phaedon. p. 376. G: μουσικὴν ποίει καὶ ἐργάζου: sumsitque hinc *Themist*. Orat. XXXII. p. 366. B: ἐργάζομαι τὴν μουσικήν.

P. 373. C: Ὅς καὶ χρυσὸν ἔχων πάντη τρυφᾷ, ἠΰτε κούρη. *Spanhemius* ait ex Heusingeri interpretatione: „*Video hunc locum esse parodiam Aristophanei illius Avib.* (v. 671.) Ὅσον δ' ἔχει „ τὸν χρυσὸν ὥσπερ πάρθενος, caet." Quod argumento est *Homericas* etiam allusiones Doctissimos Viros latere posse. Alludit enim ad Il. B. v. 872.

> Ὅς καὶ χρυσὸν ἔχων πολεμόνδ' ἴεν ἠΰτε κούρη
> Νήπιος.

quod, cum varietate quadam, laudant *Clem. Alex*. Paed. II. p. 208. D. *Dio Chrys*. Or. II. p. 29. A. *Atticus* Euseb. P. E. XV. p. 595. A. Et ex eo *Aristophaneus* versus expressus est.

P. 315. D: Quae hic de Magnentio dicit, imitatus est *Zosimus* II. 54: 3.—P. 316. C: Ὅρα, εἶπεν, μή ποτε οὗτοι ἑνὸς ὦσιν οὐκ ἀντάξιοι τουτουῒ τοῦ Γραικοῦ· item est allusio ad *Homericum* illud, quod citat *Plutarch*. T. II. p. 72. A: νῦν δ' οὐδ' ἑνὸς ἄξιοί εἰμεν Ἕκτορος.

P. 317. C: Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ Μάρκος κληθεὶς παρῆλ-

θε,

θε, σεμνὸς ἄγαν ὑπὸ τῶν πόνων ἔχων τάτε ὄμματα καὶ τὸ πρόσωπον ὑπό τι συνεσταλμένον, κάλλος δὲ ἀμήχανον ἐν αὐτῷ τούτῳ δεικνύων, ἐν ᾧ παρεῖχεν ἑαυτὸν ἄκομψον καὶ ἀκαλλώπιστον. Nodum quaerunt in scirpo Viri D. *Triller.* et *Heusing.* Hic ὑπό τι concoquere nequit, ille pro σεμνὸς conjecit στεγνὸς vel σκαμβός· pro quo tamen, si mutandi necessitas fuisset, opportunius substituisset σύννους, qui συστέλλεσθαι dicitur *Heliodoro* VI. p. 273: et apposite de Marco Sophista ait *Philostrat.* V. S. I. p. 528: τὸ δὲ τῶν ὀφρύων ἦθος καὶ ἡ τοῦ προσώπου σύννοια σοφιστὴν ἐδήλου τὸν Μάρκον· καὶ γὰρ ἐτύγχανεν ἀεί τι ἐπισκοπῶν τῇ γνώμῃ — καὶ τοῦτο ἐδηλοῦτο μὲν τῇ τῶν ὀφθαλμῶν στάσει, πεπηγότων τὰ πολλὰ ἐς ἀποῤῥήτους ἐννοίας. Sed σεμνὸς genuinum videtur. Ipse enim *Marc. Antonin.* I. 9, σεμνὸν ἀπλάστως esse, didicisse fatetur a Sexto, et II. 5. Memorat quoque ejus σεμνὸν ἦθος *Herodian.* I. 3, labores ibid. 5. et *Xiphilin.* p. 365. Qui vultum comprimere dicuntur *Heliodoro* I. p. 5. ὀφθαλμοὺς δὲ ἐκείνου οἱ μὲν πόνοι κατέσπων. Haec autem σεμνότης bene convenit cum συννοίᾳ, quod egregie docet *Spanhem.* p. 54: decetque Philosophum κατεσταλμένον βλέμμα, quod ait *Epictet. Arriani.* L. IV. D. VIII. p. 637. *Lucian.* Piscat. p. 582. Ὑπό τι *Cantoclar.* recte vertit *aliquantulum*, et *Sylburg.* Indic. *Aristoph.* Vesp. 1281. ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα. Plura dedit Eruditiss. *Abresch.* Dil. Thuc. Auct. p. 303. Ἀμήχανον κάλλος et ἄμαχον aucto-

ri-

ritatibus communivit *Idem* Lect. Aristaenet. p. 144, et *Salmas.* Append. p. 70. Illud praeterea dixit *Plato* Rép. VI. p. 479. B. *Philostrat. Junior* Imag. I. p. 863. *Plotinus* Ennead. I. p. 56. E: *πῶς τις θεάσεται κάλλος ἀμήχανον οἷον ἐν ἁγίοις ἱεροῖς μένον.* Scio equidem *μένον* defendi posse ex *Juliano* Or. VI. p. 186. C: *μυρίων εἴσω ἱερέων ἁγνῶν ἐν ἁγνοῖς μενόντων χωρίοις.* Conjeci tamen *ἱεροῖς ἱδρυμένον.* Hauserat enim ex *Platone* Phaedr. p. 348. A: *πρὸς τὴν τοῦ κάλλους φύσιν ἠνέχθη, καὶ πάλιν εἶδεν αὐτὴν μετὰ σωφροσύνης ἐν ἁγνῷ βάθρῳ βεβῶσαν·* ubi pro *βεβῶσαν*, quod poëticum est, substituerunt *ἱδρυμένην*, qui hunc locum imitantur, *Julian.* Or. III. p. 123. A: *ἐδόκουν ὥσπερ ἐν ἱερῷ καθιδρυμένον ἄγαλμα σωφροσύνης ὁρᾷν.* *Plutarch.* T. II. p. 781. E: *ἱδρυμένος ἐν βάθροις ἁγίοις, ᾗ φησὶν Πλάτων.* Hinc quoque alter emendandus est locus *Plotini* Enn. I. p. 67. D: *ἕως ἂν ἴδοις σωφροσύνην ἐν ἁγνῷ βεβῶσαν καθαρῷ·* lego *βεβῶσαν βάθρῳ.* Respexit quoque *Jamblich.* ap. Stob. p. 116: *σωφροσύνη — ἐν ἁγνοῖς βεβῶσα βάθροις.*

P. 321. C: *Βούλεσθε ἐξετάσαι.* Mallem *ἐξετάσω.* Mox *ὅτι οὖν περὶ τῶν πρωτείων μοι ἀμφισβητεῖν οἷός τε ἔσῃ.* *Heusinger* edidit *τί οὖν.* Cantoclar. Ed. prior habet *ἔτι*, quod *Petavio* placebat. Ex hoc optima emergit lectio *εἶτα*, *Siccine?* Sic *Julian.* p. 324. D: *εἶτά μοι τολμᾷς ἀμφισβητεῖν.* Simillimum accidit Epist. XXXVII. p. 413. C: *ἔτι, ὦ πάντων ἀτοπώτατε, θρηνεῖς ἀνέδην·* ubi pro *ἔτι*

Cod. Baroc. habet τί οὖν. Sed utroque loco restituendum εἶτα, quod et sensum egregium parit, et Atticum est.

P. 322. D: Ἄλλοι μὲν κατειργάσαντο, Κράσσος καὶ Λούκιος, τοὔνομα δὲ καὶ τὴν ὑπογραφὴν ἔσχε Πομπήϊος. Sic ex Codd. Voss. et Aug. ediderunt *Spanh.* et *Heusing.* pejorem lectionem secuti. Revocandum ἐπιγραφὴν ex Edd. Vett., ut mox elegantissime loquitur ἀλλοτρίαις ἐπεγράφησαν πράξεσιν. *Aristid.* Orat. Plat. II. p. 160: οὐδ' ἀποχρῆν ἡγήσατο ἐπιγράφεσθαι τοὔνομα τοῦ πατρός. *Aelian.* H. A. VIII. 2. *Lucian.* T. II. p. 6

P. 325. D: Οὐδὲ ἐν ὅλοις ἐνιαυτοῖς δέκα. Lego ἐν οὐδὲ ὅλοις ἐνιαυτοῖς δέκα· ut p. 314. B Quod sequitur ἔργα ἔπραξα — τῷ βίῳ, videtur expressum esse ex *Demosthenis* exordio Orat. de Class.

P. 330. C: Ἰού, ἰού, ἔφη, τῶν διαλεκτικῶν κιγκλίδων! Optime explicat *Spanhemius*. Itaque non est audiendus *Heusingerus*. Consulendus erat *Pollux* VIII. 124, ubi ab *Hemsterhusio* quoque *Viri Illustr.* observatio laudatur. Quem ibi affert *Kuhnius* locum *Plutarchi*, habes T. II. p. 975. C. *Libanius* Epist. CXIX: ἔδραμον ἐπὶ τὰς ὑμετέρας κιγκλίδας διψῶν τῆς ἀκοῆς· ubi vid. *J. C. Wolf.*

P. 335. C: Πορεύεσθε οὖν caet. ex *Platone* Rep. X. p. 520. Mox, ὁ δὲ Κωνσταντῖνος οὐχ εὑρίσκων ἐν θεοῖς τοῦ βίου τὸ ἀρχέτυπον, item est *Platonicum* ex Theaetet. p. 128. H. Tangere autem oblique videtur *Eusebium*, qui Orat. in Laud. Const. p.

722.

722. et 724. et alibi, Deum Constantini ἀρχέτυπον fuisse jactat. — Ibid. πεῖσμα καὶ ὅρμον ἀσφαλῆ· ob oculos habuit *Platonem* Legg. X. p. 667. F. — In fin. ἡνίκα ἂν ἐντεῦθεν ἀπιέναι δέῃ μετὰ τῆς ἀγαθῆς ἐλπίδος. Quem hic adfert *Spanhemius* locum *Aristidis*, est Ed. Jebb. T. I. p. 259: ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς τελευτῆς ἡδίους ἔχειν τὰς ἐλπίδας, ὡς ἄμεινον διάξοντας· et expressus est ex *Isocrate* Panegyr. §. 6: καὶ τὴν τελετὴν ἧς οἱ μετέχοντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν. *Juliano* autem praeiverat *Plato* Rep. VI. p. 474. C: καὶ τὴν ἀπαλλαγὴν μετὰ καλῆς τῆς ἐλπίδος ἵλεώς τε καὶ εὐμενὴς ἀπαλλάξεται. Est notanda potestas significandi, quam etiam simplex καλὴ ἔλπις habet, cum nimirum *spem futurae beatitudinis ex bona conscientia ortam* notat. Sic *Julian.* Or. VIII. p. 233. D, Fragm. p. 298. D, Epist. LXIII. p. 452. C. *Damasc.* Suid. T. I. p. 643. et V. Ἀσκληπιόδοτος. *Cyrill.* c. Jul. V. p. 163. E. *Jamblich.* M. Aeg. II. 6. fin. ubi vid. *Gale. Atticus* Euseb. P. E. p. 799. A. *Philo Jud.* Migr. Abr. p. 394. E. *Lucian.* Ver. Hist. p. 683. *Lucian.* T. I. p. 204. B. *Pindari* γηρότροφος ἔλπις, quam celebrat *Plato* Rep. I. p. 411. C. et ex eo *Plutarch.* T. II. p. 477. B. *Themisth.* Orat. VIII. p. 101. B., restituenda est *Synesio* Insomn. p. 149. A, pro κουρότροφος ἔλπις, quod vel *Nicephor.* p. 406. *Petavium* monere debuisset. Eadem medicina nescio an corrigendus quoque sit

Clem. Alex. Protr. p. 68. B: *ἀλήθεια — κουρότροφος.*

Misopogon. p. 351. A: *Θέατρον οὐκ ἰδεῖν πρὶν μᾶλλον κομῆσαι τῆς κεφαλῆς τὸ γένειον. P. Martin.* legit *νομίσαι* pro *κομῆσαι*· hinc vertit *pluris mentum capitis aestimare.* Paris. et Lips. recte *κομῆσαι*· quod tamen *Spanhemius* minus recte vertit „*priusque maiorem increscentis mento barbae,* „*quam reliqui capitis curam gerere.*" Est nimirum *κομῆσαι* non *curam gerere*, a *κομεῖν*, sed *comatum, barbatum esse*, a *κομᾶν*. Sic enim, ex quo venustissimum flosculum decerpsit, *Xenophon* Sympos. IV. 28: Ἀλλὰ νῦν σοι, ἔφη, ὦ Κριτόβουλε, ἐναντίον τοσούτων μαρτύρων προαγορεύω, μὴ ἅπτεσθαί μου, πρὶν ἂν τὸ γένειον τῇ κεφαλῇ ὁμοίως κομήσῃς.

P. 363. C: Κρατούντων. Vertitur *potentiorum*; quod miror non notasse *Spanhemium*. Reddendum enim esse *Christianorum*, dudum docuerat magnus *Valesius* ad *Euseb.* H. E. p. 62, laudatus etiam *L. Küstero* ad *Suid.* V. Ἱεροκλῆς.

P. 366: *Φαυλότερον τῶν ἄλλων ὀρνίθων εἶναι τὴν φωνήν. Interpres* reddit, *omnium avium postremam in canendo extitisse.* At pro *εἶναι*, mutato spiritu legendum *εἷναι*, *emittere.* Dictio non intellecta fuit in *Plutarcho* Solert. Animal. p. 973. D: *ἄφνω γὰρ αὖθις ἧκε*, ac in versione proinde omissa. Verti debuerat *subito enim iterum vocem emisit.* Frequens satis est Ellipsis *φωνή*. Verba

Ju-

Juliani suppresso ejus nomine, ut solet, retulit in suam farraginem *Suidas* V. Ἴκτινος.

Epist. IV: Ἀπορήσει τις ἐνταῦθα· πῶς δὲ οὐκ εἰδότες ἀλλήλους ἐσμὲν φίλοι; πῶς δὲ τοῖς πρὸ χιλίων ἐτῶν γεγονόσι, καὶ ναὶ μὰ Δία, δισχιλίων; ὅτι σπουδαῖοι πάντες ἦσαν, καὶ τὸν τρόπον καλοί τε κἀγαθοί. Dicamne quod sentio, Vir Acutissime? Scripsisse videtur *Julianus* — πῶς δὲ οὐκ ἰδόντες — πῶς δὲ οἱ πρὸ χιλίων ἐτῶν γεγόνασι caet. *Quaeret aliquis, quo pacto amici simus, qui nunquam nos invicem coram vidimus? At ego vicissim quaero, qui factum sit, ut ii, qui mille annos, imo bis mille ante nos vixerunt, antea inter se fuerint amici, quam de facie noverint, aut compellaverint.* Mens, certe, *Juliani*, non temporis, sed loci postulat distantiam; ac, ut saepissime ex *Pythagoreorum* placitis explicandus est, ita hic, sine dubio, de eorum amicitia cogitavit. Haec celebris est, et proverbii vim induit, quod *J. A. Fabricius* docuit ad *Marin.* p. 41. Proprie autem ad ea respexit, quae de Damone et Phintia memorat *Jamblichus* Vit. Pythag. §. 37: ὡς ἐκ τῶν τοιῶνδε ἔργων μηδ᾽ ἐκεῖνον τὸν λόγον ἀπιστεῖσθαι, ὡς ἄρα οἱ σπουδαῖοι ἄνδρες, καὶ προσωτάτω οἰκοῦντες, φίλοι εἰσὶν ἀλλήλοις, πρὶν ἢ γνώριμοί τε καὶ προσήγοροι γένωνται. Λόγος ille, *Euripidis* est nobile dictum, quod disco ex *Basil. M.* Epist. CCCLXXI. p. 360. A: Τὸν σοφὸν ἄνδρα κἂν ἑκὰς ναίῃ χθονὸς, κἂν μήποτ᾽ αὐτὸν ὄσσοις προσίδω, κρίνω φίλον. Huc ni fallor

respexit quoque *Themist.* Orat. XXII. p. 275. B: ὁ μὲν οὖν τραγικὸς ποιητὴς, καὶ τὸν ἀγνῶτα μὲν, ἀγαθὸν δὲ, ἐπαινεῖ καὶ φίλον ἡγεῖται. Add. *Cicero* N. D. I. 44.

Epist. XXII: Κουφοτέρα δέ ἐστιν αὕτη τῆς τῶν ἱππέων, et quae mox sequuntur, γίνονται δὲ ἀπὸ τῶν ὁπλοφορησάντων οὗτοι καὶ στρατευσαμένων, indigna sunt *Juliano*: itaque, tanquam a glossatore profecta, inducerem. — Ibidem: ἀνδρὸς οὐδαμῶς οἵου τε ψεύδεσθαι, *Demosthenis* est Olynth. II. p. 7. A. Utitur eodem *Aristides* Or. Aegypt. p. 334: ἔγωγ' οὖν ἤκουσα, τοῦτο δὴ τὸ τοῦ Δημοσθένους, ἀνδρὸς οὐδαμῶς οἵου τε ψεύδεσθαι.

Epist. XXVII. p. 400. C: Ἐκτὸς πάτου γὰρ εἶναι χρὴ, καὶ δρᾶσθαι καθ' ἡσυχίαν, ἐπ' αὐτὸ τοῦτο πορευομένων, οὐκ ἐπ' ἄλλο τι βασταζόντων τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ἱερεῖά τε καὶ ὅσια. *Etenim procul a tumultu ac strepitu sacra fieri debent, neque aliud quippiam quaerendum, nisi ut victimae et sacra Diis apportentur.* Graeca aliquando sic refingebam; οὐκ ἐπὶ τὸ αὐτὸ βασταζόντων τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ἱερά τε καὶ ὅσια, *non enim decet, ut per eandem viam portentur res profanae, qua ad Deos res sacrae.* Ἱερὰ enim et ὅσια sic distingui demonstratum est a *Te* ad Tim. p. 142. ac V. Doctis quos ibi laudasti. Sed meliorem deinde medicinam invenisse mihi sum visus, qua, judices velim, Criticorum Acutissime, an sanum praestem locum: πορευόμενον, οὐκ ἐπ' ἄλλο τι βαστάζοντα, ἢ πρὸς

τοὺς

τοὺς θεοὺς, τὰ ἱερεῖά τε καὶ ὅσια. i. e. *Extra viam ac tumultum sacra sunt peragenda. Non enim obiter ac in transitu Deorum sunt adeunda templa, sed solo hoc animo sacrificia apportantem, domo est discedendum.* Quod *Pythagorae* esse praeceptum docet *Jamblichus* Vit. Pyth. §. 85: εἰς ἱερὸν οὐ δεῖ ἐκτρέπεσθαι, οὐ γὰρ πάρεργον δεῖ ποιεῖσθαι τὸν θεόν. Et plenius §. 105. p. 89: ὁδοῦ πάρεργον οὔτε εἰσιτέον εἰς ἱερὸν, οὔτε προσκυνητέον τὸ παράπαν, οὐδ' εἰ πρὸς ταῖς θύραις αὐταῖς παριὼν γένοιο. *Porphyrius* Vit. Pythag. §. 38: προσκυνεῖν δὲ μὴ ἐκ παρέργου τοὺς θεοὺς, ἀλλ' οἴκοθεν ἐπὶ τοῦτο ὡρμημένους· ubi vid. *C. Rittershus. Juliani* autem hic locus, vix dubito, quin obversatus fuerit *Libanio* Orat. Parent. §. 78, qui eum ait, in expeditione contra Persas, Deorum templa adiisse ἐκτρεπόμενον τῆς εὐθείας ὁδοῦ, ubi ἐκτρέπεσθαι non cum *Jamblicho* pugnare, sed idem esse ac ἐπ' αὐτὸ τοῦτο πορεύεσθαι, sensus facile docet. Idem quoque *Pythagorae* monitum adoptavit ex parte *Socrates* apud *Xenophontem* Ἀπομνημ. III. 8. 10: Ναοῖς γε μὴν καὶ βωμοῖς χώραν ἔφη εἶναι πρεπωδεστάτην, ἥτις ἐμφανεστάτη οὖσα ἀστιβεστάτη εἴη· ἡδὺ μὲν γὰρ εἰδότας προσεύξασθαι, ἡδὺ δὲ ἁγνῶς ἔχοντας προσιέναι. Placet Cel. *J. A Ernesti* conjectura ἰδόντας pro εἰδότας, quam confirmat quoque *Stobaeus* Serm. CLXXIII. p. 590: cujus tamen ἀσφαλεστάτη pro ἐμφανεστάτη recipere si velimus, pro εἰδότας legendum erit ἰόντας, *euntes:* at sic constituendus

est locus: — *ἡδὺ μὲν γὰρ ἰδόντας προσιέναι, ἡδὺ δὲ ἁγνῶς ἔχοντας προσεύξασθαι.* Ἰδόντες et εἰδότες saepius confundi novi. Sic Epist. IV. et Or. I. p. 28. A. ubi plura jam notavi, quae nunc nollem praeripere.

Epist. XXXIV. p. 407. A: Ἑρμῆ ἅγιε. Legendum unice cum Cod. Baroc. Ἑρμῆ λόγιε. Id adeo saepe in *Juliani* scriptis occurrit, ut temperare sibi non potuerit, quin rideret *Gregor. Naz.* Stel, I. p. 96. D. Exquisitius est *Julian.* Or. VII. p. 237. C: *τοῦ λογίου τύπου Ἑρμοῦ* quod primus dixit *Aristides* Orat. Plat. II, p. 307: *Δημοσθένους, ὃν ἐγὼ φαίην ἂν Ἑρμοῦ τινὸς λογίου τύπον εἰς ἀνθρώπους κατελθεῖν.* Respexit eo *Choricius* Or. I, §. 38; et imitatur *Eunapius* Proaeres. p. 115: *οἱ δὲ θεὸν ἔφασαν, οἱ δὲ Ἑρμοῦ λογίου τύπον.*

Epist. XLII. Initium legitur cum quadam varietate apud *Suidam.* V. Παιδεία. Quod ibi pro *πολυτελῆ* est, *πολιτευομένην*, licet passim apud ejus aevi scriptores *πολιτεύεσθαι*, *esse* notet, vulgatae tamen non praefero. *Themist.* Or. XXIV. p. 300. D: *πολυτελεῖς λόγους.* XXVI. p. 323. C: *φωνῇ πολυτελεστέρᾳ κεχρῆσθαι.*

Epist. LIX. p. 446. B. Quae hic desiderantur, restituit *J. A. Fabricius* Luc. Salut. Evang. p. 332. Ubi inter alia, *Ἀλλ' ἐγὼ κατὰ τὴν Εὐριπίδειον Ἠλέκτραν καὶ τοιαύτας σιγῶ τύχας*, lusit ambiguite citationis Doctissimum Virum, qui ad Electr. 946. et 1122. respicere opinabatur *Julianum.* qui hic ad Electrae quidem verba respexerat, at

at non in ejus nominis fabula, sed alia, qua nimirum illa praeloquitur, Orest. v. 16.

Ἀτρέως δὲ, τὰς γὰρ ἐν μέσῳ σιγῶ τύχας,
Ὁ κλεινὸς, εἰ δὴ κλεινὸς, Ἀγαμέμνων ἔφυ.

Plenius alio loco ea usurpavit *Julianus*, Epist. ad Themist. p. 254. B: Τὰς γὰρ ἐν μέσῳ σιγῶ τύχας, αἵ μοι τὸν ἔρωτα τοῦτον ἀτελῆ τέως ἐφύλαξαν. Ac profecisse hinc videntur *Aristides* T. I. p. 287: τὰ γὰρ ἐν μέσῳ τοσαῦτα σιωπήσομαι· *Heliodor.* VI. p. 274: πολλὰ τὰ μεταξὺ σιωπῶντα· et *Chion.* Ep. IV. p. 15: καὶ δεινὰ παθόντες, ἵνα μὴ λέγω τὰ μεταξύ.

Epistolam LXIII. quae foedissimis scatebat mendis ac lacunis, ex meliori membrana emendavit summus *Spanhemius;* at non pauca restant, quorum nunc unum tantum notabo. P. 453. A: Αὐτίκα μάλα σὺν τοῖς ἄλλοις εἰσί. Minutissimum mendum induxit Virum Ill. ut contra *Juliani* mentem verterit: „*Quamprimum ea cum aliis deprehendentur.*" Levissima mutatione pro εἰσὶ legendum εἴσῃ, *comperies.* Id sensus flagitat, et est elegans forma. *Lucian.* D. D. p. 237: αὐτίκα μάλα εἴσῃ, ὡς οὐ πολύ σε ὀνήσει ἡ ἀθανασία. Vit. Auct. p. 567: εἴσῃ αὐτίκα μάλα· et alibi.

Ultimo tandem loco duas proferam in *Juliani* fragmenta apud *Cyrillum* emendationes.

Lib. IV. p. 131. D: Ἀπολαύουσι μόνον τῆς διαλέξεως καὶ τῆς ῥητορείας οἱ λίαν εὐφυεῖς, ἀλλ' οὐδὲ

οὐδενὸς μεταλαμβάνουσι μαθήματος. Seduxit falsa lectio Interpretem: postrema enim perperam reddit „ *omnium plane disciplinarum expertes.*" Lego ἄλλου δὲ οὐδενός.

Lib. VI. p. 201. E: Εἰ τοῖς ἐκείνων γοῦν προσείχετε λόγοις, καὶ οὐ παντάπασιν ἐπεγράφητε δυστυχῶς. Non equidem mirarer, si operarum vitio in hac editione ἐπεγράφητε legeretur. Alia nunc non est ad manum. Sic tamen interpres quoque legere potuit, dum vertit, *non infelici loco prorsus essetis.* Quidquid sit, pro ἐπεγράφητε legendum ἐπεπράχειτε. Caeterum, fragmenta haec, ante aliquot annos, edidit Ill. *Dargensius*, omissis tamen iis quae in ipso textu *Cyrilli* latebant, v. c. p. 52. B. C: 57. B. C: 66. C: 72. B: 236. D.

Ac tantum quidem Tibi delibatum esto, Vir Praestantissime, mearum in *Julianum* animadversionum. Liceat nunc de ejus quoque admiratore bene mereri, EUNAPIO. Hujus denuo edendi spem fecerat eruditis hominibus Cel. *J. B. Carpzovius*, instructus abunde ad tale opus subsidio Codicum, ut gratissimum sine dubio futurum esset hoc munus omnibus. Est enim *Eunapius* is, ex quo unice fere de Eclecticis Philosophis accuratior constat ratio. Dictio, licet subinde tumeat, ac in poëticum spiritum assurgat, est tamen pura, elegans, et figurarum audacia mirifice delectat, prout *Philostrati*, cujus sedulus extitit imitator. At, si quis Graecus Scriptor, certe *Eunapius*,

plu-

plurimis lacunis scatet, ac mendis, quarum, age Vir Κριτικώτατε, videas an meo qualicunque ingenio eximi aliquot possint.

Itaque ab initio statim se offert lacuna: Auctoris tamen mens facilis est conjectu, quam proinde miror Interpretem non esse assecutum. Ait Edit. Commelin. p. 9: Ὁ γοῦν μέγας Ἀλέξανδρος οὐκ ἂν ἐγένετο μέγας, εἰ μὴ Ξενοφῶν καὶ τὰ πάρεργα φησὶ δεῖν τῶν σπουδαίων ἀνδρῶν ἀναγράφειν· quae inepte ad verbum interpretatur *Junius*. Locus forte sic supplendus: — εἰ μὴ Ξενοφῶν ἐγένετο· οὗτος οὖν καὶ τὰ πάρεργα —· hic enim Alexandrum Persas contemnere docuit. Verba *Xenophontis* sunt Sympos. init. Respexit quoque huc *Philostrat.* V. S. I. p. 540: ἀνδρῶν ἐλλογίμων ἀξιομνημόνευτα οὐ μόνον τὰ μετὰ σπουδῆς λεχθέντα, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν παιδιαῖς.

P. 10: τὴν φιλόσοφον ἱστορίαν καὶ τοὺς τῶν φιλοσόφων ἈΝΑΓΩΝ βίους Πορφύριός τε καὶ Σωτίων ἀνελέξαντο. *Jun.* emendat εὐαγῶν, quod nec aures facile ferunt, nec sententiae satisfacit. Conjeci ἈΝΔΡΩ͂Ν· sic ipse statim φιλοσόφων τε ἀνδρῶν.

Ibid. Φιλόστρατος μὲν ὁ Λήμνιος τοὺς τῶν ἀρίστων (forte σοφιστῶν) ἐξ ἐπιδρομῆς μετὰ χάριτος παρέπτυσε βίους· φιλοσόφων δὲ οὐδεὶς ἀκριβῶς ἀνέγραψεν. παρέπτυσε, ni fallor, *Philostrati* defenditur auctoritate, qui aliquoties sic est locutus; alioquin παρέπτυξε melius esset quam *Junii* παρέπτησε.

P. 11: μηδενὸς ἐγγεγραφότος. Lego συγγεγραφότος. — P. 12: οὐ βίον προσειπών. Veram lectionem ma-

male tentat ac interpretatur *Junius*. Sensus est: „ Ex *Plutarchi* libris egregie de Ammonii rebus „ et morte, quae ei Athenis obtigit, constare, licet „ nullum composuerit librum, quem *Vitam Ammonii inscripsit.*" — P. 13. καθαῤῥοῦντες· lego καταθροῦντες, *considerantes*. In *Plotino* simile quid legi. Ex parte imitatur *Platon.* Phaedr. p. 348. A., quem locum ni fallor indigitavit *T. Hemsterh.* ad Lucian. T. I. p. 44. nisi ibi legendum Phaedon. p. 182. E. Ed. Lugd. — P. 15. distinguendum εἰς αὐτὰ κάμπτεται. Τὸν βίον αὐτοῦ —· et hinc emendanda versio. — Ibid. ὅσα γε εἰς (l. καὶ) ἡμᾶς εἰδέναι. — P. 21. Τούς τε χρόνους εἰς Γαλλιηνὸν καὶ Κλαύδιον εἰκάζειν (leg. ἀκμάζειν) συνέβαινεν. *Ejus vita in tempora Gallieni et Claudii incidit.*

P. 22. Lego οὐκ ἔστιν ὅ, τι οὐ καὶ Πορφυρίου διήνεγκεν, *nulla non in re Porphyrio superior fuit.* — Ibid. οὔτε γὰρ εἰς ἀφροδίτην αὐτῶν καὶ χάριν τὰ λεγόμενα βέβαπται· lego αὐτῷ — κέκαπται· posterius ex Ed. Plant., quod non intellexerat *Junius*, a κάμπτω, *flecto*.

P. 23. ηὐώχουν· sensus poscit συνευωχοῦντο. — P. 24. οὔτι μάλα γελασείων ἐγέλασεν ἐπὶ τούτοις τοῖς λόγοις Ἰάμβλιχος· imitatur *Platonem* Phaedon. p. 378. C: σὺ πανύ γέ με νῦν δὴ γελασείοντα ἐποίησας γελᾶν. ut *Damascius* ap. Suid. V. Γελασείω. — P. 25: τὸν ἔλεγχον ὥσπερ κύνες ἀνιχνεύοντες· recte *Commelin.* ἔλεγχον, pro ἔλαγχον seu ἔλακον. Profecit *Eunapius* ex *Platone* Parmenid. p. 55. B: ὥσπερ αἱ λάκαιναι σκύ-

σκύλακες εὖ μεταθεῖς καὶ ἰχνεύεις τὰ λεχθέντα· qui alibi etiam saepissime venatoria vocabula de veritatis investigatione adhibet, Theaetet. p. 133. F, Sophist. p. 152. D, Rep. IV. p. 450. C, Legg. II. p. 576. E: τοῦθ ἡμῖν αὖ καθάπερ κυσὶν ἰχνευούσαις διερευνητέον. Praeiverat ei *Sophocles* Ajac. v. 8. Hinc obiter emendo *Synesium* Dion. p. 52. B. Ait *veritatem non esse* θήρᾳ ληπτόν· quo enim pacto hoc dixerit *Platonicus?* lego θατέρᾳ ληπτόν. Sic *Plato* Sophist. p. 152. D: οὐ τῇ ἑτέρᾳ ληπτόν. *Numenius* ap. Euseb. P. E. p. 735. C, *Basil. M.* Leg. Gr. Libr. p. 449. E, *Themist.* Orat. V. p. 69. B, X. p. 138. B. — Ibid. οἱ δὲ οὐδὲ οὕτως ἀπέστησαν· conjeci ἐπίστευσαν, ob id quod p. 27. ait, πᾶσιν ἐπίστευον.

Ibid. Ἔτι δὲ τούτου θειωδέστερον συνεμαρτύρουν, ὡς ἐνοχλεῖ μὲν αὐτῶν πολλάκις· corruptissima forte sic refingenda sunt: θειωδέστερον σημεῖον καρτεροῦντες, ἐνώχλουν αὐτῷ πολλάκις. — P. 31: τήν τε ἐν τοῖς λόγοις ὀξύτητα καὶ τομὴν κατεσκευάζετο· lego ὀξύτητα καὶ ῥώμην κατεσεβάζετο· ῥώμη λόγου dicunt Graeci: exempla aliquot notavi ad *Julian.* Orat. I. p. 33. — P. 36: Κωνσταντῖνος τὰς ἄλλας χειρώσας (lego χηρώσας) πόλεις ἀνθρώπων, εἰς τὸ Βυζάντιον μετέστησε.

P. 37: πολλάκις ἐμβαίνοντος· legendum συμβαίνοντος. Saepius hoc modo antecedens Σ praepositionem σὺν absorpsit. Sic supra p. 11, et *Epictet. Arrian.* L. III. D. XXIII. p. 441: μόνας τὰς Φωνὰς ἀνειληΦώς· malo Φωνὰς συνειληχώς. *Demosthe-*

nes

nes Coron. p. 356. B: καὶ συνειληχὼς ῥήματα, καὶ λόγους συνείρει. Φ et χ non raro confunduntur, supra *Julian.* Cyrill. VI. p. 201. E. *Abydenus* ap. eundem I. p. 9. A, πελάγεος ἀχανέος scripsit, non, ut vulgatur, ἀφανέος. *Plato* Rep. X. p. 520. E. εἴληφε· legendum εἴληχε. Ex eadem regula restituendum *Luciano* T. II. p. 168. συνάγεσθαι pro ἀνάγεσθαι. — Ibid. ἀπήγχετο non reddidit interpretando *Junius*; vertendum *invidia rumpebatur.* — P. 39: ἐπὶ τρεῖς ᾠδῖσιν· pro ἐπὶ τρεῖς lego ἔπιτεξ· aut quod fere malim ἐπὶ ταῖς· mox ἀφίκοιο. — P. 40. Σώπατρον ἀπέκτεινεν, αἰτίαν ἐπενεγκὼν τῆς Σωκρατικῆς εὐηθεστέραν, ὥσπερ ἀτάκτῳ δήμῳ καὶ τῷ τότε βασιλεύοντι· inepte vertit *Junius*: nescio quidem an sanus sit locus, sensus tamen hic est: „*Sopatrum interfecit Socraticae similem* „ *causam ei inferens, at Constantino tanto plus* „ *adferentem ignominiae, quantum Rex ab indo-* „ *mita plebe differt.*" — P. 41. ἐχωρηθέντες· forte εἰσεχώρησάν τε. — P. 42: ὁ δὲ ἀνακαλύψας ἔτι (lego ἄρτι) τὰ βλέφαρα, καὶ περίφοβος ὢν ἔτι. — Ibid. τῶν μὲν οὖν ἐμέμνητο· forte τὸν μὲν νοῦν ἐμέμνητο. — Ibid. ὁ δὲ ἑπόμενος, ὥσπερ (l. οἷπερ) ἕπεσθαι χρή. — P. 43: κατὰ γένος οὐκ ἐφεστήκεσαν· malo ἀφεστήκεσαν, cognatione enim, ni fallor, conjuncti erant.

P. 44. Καταχεκλημένοι· conjeci κατακεκηλημένοι.

P. 46. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἐκώλυσαν οἱ παρατυχόντες τῶν γάμων. Rectene conjeci, Vir Acutissime, Μάγων pro γάμων? — P. 55: προσιστορῆσαι δὲ τοῖς γε-

γεγεννημένοις τάδε ἀναγκαίως εἴη· scripsit, ni fallor, *τοῖς γεγραμμένοις — ἔχει.* — P. 56: *Ἂν μὲν γὰρ ᾖ Φιλομήτωρ, ἔφη, Φιλομήτωρ γε ἐστί·* nullo pacto commodus sensus ex verbis extorqueri potest, neque tamen suspecta fuere Cel. *Carpzovio.* Omnia erunt plana, si pro *γὰρ ᾖ* substituamus *παρῇ.* — P. 58: *τοὺς θεούς σοι, Φιλομήτωρ, εἶπεν, ἑταῖρε παῦσαι μάτην κατακαίων τὰ ξύλα.* Nec hic *Eunapii* mentem ceperat *Junius*, dum vertit: „*Cave, inquit,* „ *sodalis Deos lacessere, et incassum lignis adole-* „ *re desine;*" ignorabat ellipticam jurandi formulam. *Τοὺς θεούς σοι*, est *Per Deos!* vid. *J. Upton.* ad Epict. p. 355. Reddo itaque, *Desine, per Deos! Philometor, faces incassum comburere.* — P. 60: *Σωκράτης περὶ τὴν τοῦ Βασιλέως στοὰν*, ex *Platon.* Euthyphr. init. et Theaetet fin. — P. 65. Superstitiosum cultum martyrum perstringens ait: *καὶ κρείττους ἀπελάμβανον εἶναι μολυνόμενοι πρὸς τοῖς τάφοις.* *Junius* reddit: „*eos in Deorum numerum recepta-* „ *bant ad illorum sepulchra pulvere sordibusque* „ *conspurcati:*" quod vertendum erat: *et Christiani beati ac felices sibi evasuri videbantur, si ad illorum sepulchra pulvere sordibusque conspurcentur:* pro *ἀπελάμβανον* enim legendum *ὑπελάμβανον.* Imitari autem videtur *Julianum*, qui et alibi hanc superstitionem similiter risit, et ap. Cyrill. X. p. 339. D: *ὑπὲρ τίνος προσκαλινδεῖσθε τοῖς μνήμασι*, dictione *Platonica* Phaedon. p. 386. C. ubi ait, quod impiorum anima post mortem pu-

nia-

niatur καλινδουμένη περὶ τοὺς τάφους καὶ τὰ μνήματα· quo respiciunt etiam *Clem. Alex.* Protrept. p. 37. C. et *Origenes* c. Cels. I. p. 432 E, VII. p. 697. — P. 66: Καὶ τοῦτό γε αὐτοῦ μόνον ἀσθένειαν φέρει. pro ἀσθένειαν scripsit sine dubio *Eunapius* ἀγχίνοιαν· pro ceteris quid reponam nunc non habeo. Sensus est: „*Atque hoc, majorem fuisse* „ *Antonini perspicaciam, quam Jamblichi, aper-* „ *te testatur.*" — P. 67: τὰς δὲ ὁρμὰς τῆς ψυχῆς διεδήλου τὰ ὄμματα· imitatur *Philostratum* V. S. II. p. 552: χαροπήν τε ἀκτῖνα ἐκ τῶν ὀμμάτων ἐκδεδόσθαι, παρεχομένην τὶ ὁρμῆς ἦθος. — Ibid. τοσαύτη τὶς ἀφροδίτη τοῖς χείλεσιν ἐπεκάθητο· imitatur *Eupolis* nobile dictum Πειθώ τις ἐπεκάθισεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν. Sed de hoc multa notavi ad *Juliani* Orat. I. - P. 72. Maximus dicitur ἐπὶ μανίας τινὰς ὁρμήσας· perperam: legendum enim μαγγανείας, aut, quod propius ad vulgatae vestigia accedit, μαγείας. Sic *Origenes* contr. Cels. I. p. 383. A, II. p. 426. A, IV. p. 527. A: quod idem forte restituendum *Luciano* T. I. p. 700, pro μαντείας. — Ibid. χόνδρον καθαρίσας λιβανωτοῦ· conjeci καθαγίσας. Sic *Aelian.* H. A. X. 5. *Lucian.* Luct. p. 926: *Plutarch.* Euseb. P. E. XV. p. 884. A. — P. 73: τὸν θεανδρικὸν ἐκεῖνον θαυματοποιόν. *Junius* emendat θεατρικόν· sed vulgata defendi posse videtur ex *Marino* Vit. Procl. p. 47. — Ibid. ὑπολαμβάνω· legendum ὑπολαμβάνων. Pessime accepit locum *Junius*, notatus etiam Cel. *Bruckero* H. Crit. Phil. II.

Ver-

Vertendum: „ *tu vero mecum et sperne magicas* „ *artes, et eam solam magni facito animi purgationem, quae ratione fit et contemplatione.*" — P. 74: ὡς μὴ θέμις· lego ᾧ. Mox, ἐπὶ δὲ θεοῖς· conjeci ἔπειγε θεοῖς. — P. 76: πήχεσι δὲ ἐπὶ πᾶσαν σοφίαν αὐξόμενος· imitatus est *Marin.* Vit. Procl. p. 65, ubi vid. *J. A. Fabric.* — P. 81. Locus ita refingendus est: ὡς ὑπὲρ τοῦ Βασιλέως καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ εἴη, εἰ κατὰ τὴν Λυδίαν γίνοιτο μόνον.

P. 86: ἐπιμέλειάν τε ἐπονήσατο· leg. ἐποιήσατο. Sic *Luciano* Tyrannicid. p. 152. lin 88. pro ἐποίησα restituendum ἐπόνησα. — Ibid. Ἀλλ' οὐ γὰρ ἐπεφύκει πρὸς θέατρον τὴν δόξαν εἰς ἐλάχιστον ἤνεγκεν, ὡς (leg. ἕως) ἀνέφερεν αὐτὸν διαλεγόμενος πάλιν. Rideas ineptissimam interpretationem, *dictitans solum se illum humeris efferre* caet. Sed quis omnes interpretis errores confutet? Ait *Eunapius*: „ *Itaque primum publice aliquoties orationes recitavit, quo tamen parum profecit, quod non tales ei essent a natura dotes; verum privatis deinde institutionibus totam fere, quanta erat, pristinam gloriam recuperavit.*" — P. 87: ταχύτερον ἀνέφυ πάθος· lego τραχύτερον. — P. 96: μειράκια ἐλέγοντο· scripsit μειρακίοις συνελέγοντο. Mox, ἀγωνιζόμενοι. — P. 99: ἐμβοήσαντος αὐτῷ τοῦ διδασκάλου σφοδρόν τε καὶ διάτονον· forte διάτορον. — P. 102. Verba corrupta sic restituerem: καὶ ταῦτά γε εἰς πάνυ μεγάλα καὶ οὐρανομήκη πρὸς χάριν ἐστὶ τῷ διδασκάλῳ, ἄλλως τε πολλῷ τινὶ — ἀφεστή-

κεσαν· „ *ac haec maximam liberalitatis lau-* „ *dem praeceptori ferunt, praesertim quod in* „ *eum innumera illa beneficia conferebat, qui ne-* „ *que generis neque patriae propinquitate illum* „ *tangebat.*" — P. 110: ἐπεὶ τόγε ἀκριβῶς καὶ διαφθορᾶς· lego ἐπεὶ τότε ἀκριβής τις διαφορά. Mox, διὰ μετανάστησιν — εἴ που τις. — P. 114: ταυρηδὸν μὲν αὐτοὺς ὑπέβλεψε· locutio *Platonica* Phaedon. p. 402. B, qua usi etiam sunt *Philostrat.* V. A. I. p. 14. Heroc. p. 701. *Aelian.* H. A. VII. 5.: restituenda *Luciano* Philopatr. p. 586: ταυρηδὸν ἐπιβλέπειν· legendum ὑποβλέπειν. — P. 115: Φρονήματος ἐμπλησθεὶς καὶ λόγων ὕψος ἐχόντων καὶ βάρος· malo βάθος. Imitatur *Platonem* Phaedr. p. 354. C. D. ut *Plutarch.* Pericl. p. 154. C. *Damascius* ap. Suid. V. Ἐνδεέστερος. Emendandus hinc *Themistius* Or. XXVI. p. 329. C: Περικλέα δὲ ἐπαινοῦσαν μόνον καὶ Ἀσπασίαν ὡς ῥήτορας τελεσιουργοὺς καὶ ὑψηλόγους· legendum ὑψηλόνους. — P. 118: τὸ νοούμενον ἐκ τῶν ἀρχαίων ἰνδαλμάτων φάντασμα ἐπὶ τὴν ὄψιν πάσαι (l. σπάσαι) πρὸς τὴν Ἑλλάδα ἔσπευσε. — P. 122, ait Gallos graeci sermonis ignaros, proceritatem ac pulchritudinem Proaeresii admiratos fuisse, imitatus, ni fallimur, *Philostratum* V. S. II. p 589. Mox ejusdem laudanti continentiam obversabatur *Plato* Sympos. p. 335. A. B, similia de Socrate narrans. — P. 124: καὶ βασιλέα ἐπαινεῖν σοῦ παρόντος ἕτερον· reddendum erat: „*turpe enim foret, si,* „ *te praesente, alius quam tu regem laudaret.*" —

Ibid.

Ibid. *ὥσπερ ἵππος εἰς πεδίον κληθείς·* restituendum videtur *ἱππεὺς* ex *Platone* Theaetet. p. 131. G. Sic et *Epictet. Arrian.* L. II. D. XIII. p. 239. G. Hoc certe malim, licet et *ἵππος* Graeci frequentasse videantur ex *Luciano* Piscat. p. 577. ubi vid. VV. DD.

P. 129. Lego et distinguo: *τοῦ βασιλέως, ἀσμένως ὤφθη τε καὶ Ἰουλιανοῦ.* — P. 130: *ἑαυτὸν ἐπὶ ταῖς μελέταις συνεῖχε·* dictio videtur *Philostrat.* V. S. I. p. 488: *ἀπὸ δυοῖν βιβλίοιν ἑαυτὸν ξυνεῖχε.* — P. 131: *πρὸς τὸν ἀρχαῖον ἐξεβιβάζετο τύπον·* lego *ἐξεβιάζετο.* — P. 136: *ἡ λέξις μετὰ κρότου πρὸς τὸν ἀρχαῖον ἐπέστρεφε τρόπον·* *τύπον* conjeci pro *τρόπον.* — P. 141: *οὐδ' ἐγγραφομένης ἤθεσιν.* — P. 142: *οὐδὲ φαρμάκου τινὸς ἔλαβε κατασκευὴ αὐτὸν καὶ κρίσις·* nescio an *κρᾶσις* reponi debeat. — P. 145: *τὰ μὲν εἰπεῖν, τὰ δὲ σιωπῆσαι δυνάμενος·* imitatio *Euripidei*, *Λέγειν θ' ὅπου χρὴ καὶ σιγᾶν ὅπη καλὸν*, ut citat *Julian.* Caes. p. 328. D. — P. 146: *εἴπου βαθείη·* scripsit *βιασθείη.* — P. 148: *ἐπαίτης*, monstrosum est, pro quo repono *ἐπείσθη.* — P. 151: *διὰ τοῦ βάθους τῆς ψυχῆς οὐκ ἀφιγμένων·* placet *διὰ τοῦτο τοῦ βάθους τῆς ψυχῆς οὐκ ἐφιγμένων.* — P. 153: *γενναῖος καὶ ἄλλως τὸ ἦθος·* satis eleganter: hic tamen magis congruere videtur *γενναῖος καὶ καλός·* sed nil definio. Illud restituendum *Libanio* Orat. I. p. 11. D: *νεανίσκος εὐλαβὴς καὶ τοιούτων ἄλλων* (lego *ἄλλως*) *ἄγευστος.* — P. 156: *οὕτω* (l. *αὐτῷ*) *γενομένῳ διδασκάλῳ.* — Ibid. *καὶ ἦν ὁ παῖς ἐκ παιδὸς ἐπτερωμένον τι*

χρῆμα πρὸς ἅπασαν ἀρετὴν, καὶ τῶν ἵππων οὐκ εἶχε θατέρου ἤ Φησὶν ὁ Πλάτων, οὐδὲ βρίθετο κατὰ νοῦν αὐτός. Locus sine dubio sic est refingendus: καὶ τῶν ἵππων οὐκ εἶχε θάτερον, οὐδ', ὥ Φησὶν ὁ Πλάτων, ἐβρίθετο κάτω ὁ νοῦς αὐτοῦ. Notissimus est locus *Platonis* Phaedr. p. 344. sequ. ubi p. 345. H. βρίθει ὁ τῆς κακίας μετέχων ἵππος· qui, vix dici potest, quam late pateat, et quot quam varie eum sint imitati: *Synes.* Insomn. p. 140. C, *Damasc.* ap. Suid. V. Ἀγαθοεργία, *Hierocl.* Carm. Aur. p. 185: βρίθει γὰρ ὁ τῆς κακίας ἵππος. *Jamblich.* M. Aeg. III. p. 127: ψυχὴ κάτω βρίθουσα. *Clem. Alex.* Protr. p. 37. C. et plures alii. Θατέρου pro κακοῦ dedit *Eunapius* per euphemismum, de quo notavi quaedam ad *Julian.* Or. I. — P. 158: πεπλανημένος· lego πεπλανημένῳ. Mox πρίν τι τῶν. — P. 159: συ. . . ασάμενος· facile est conjectu συσκευασάμενος.

Eunapium autem si quis castigare velit, vix, puto, quid proficiet, nisi in *Philostrato* probe versatus fuerit, ut *Platonem* aliosque Auctores taceam. Horum equidem imitationes plures notare potuissem, si prolixiori esse licuisset: loca porro quae sensum darent, nolui temere tentare. Nam et haec, ut vides, ἀποτόμως valde, et currendo quasi sunt scripta. Criticorum enim Principem, longis ac jejunis verborum ambagibus, qui sustineam detinere?

Nunc in alios quoque Scriptores paulum excurre-

rere esset animus, nisi vererer ne Tua abuterer patientia. Itaque ex caeteris unum seligam ARISTAENETUM. Forsan non deessent, quas in praestantiores Auctores possem proferre emendationes: sed delectat quodammodo, animadvertisse quaedam post eruditissimorum Virorum diligentiam, qui in hoc Erotico expoliendo versati sunt.

Lib. I. Ep. I: *Εὐστόχως ἐπιτοξεύειν ταῖς τῶν ὀμμάτων βολαῖς.* Praeiverat ei *Philostrat.* Icon. II. p. 842: *βολαί τε ὀφθαλμῶν εὔσκοποι.* — Ibid. *καὶ μειδιᾷ πάνυ ἐπαγωγόν·* ex *Luciano* Dial. Meretr. I: *εὐμήκης ἐστὶ, καὶ ὀρθὴ, καὶ μειδιᾷ πάνυ ἐπαγωγόν.* — Ibid. *ψῆφον αὐτῇ δίκης* (conjeci *νίκης*) *οὐκ ἀπέδωκα μῆλον.* — II: *Οὐκ ἀφετέος εἶ*, ex *Platone* Euthyphr. p. 53. G. — III: *Νὴ τὰς κοπίδας νύμφας·* potuit etiam scribere *κυανοπίδας.* Sic *Anacreon.* ap. Dion. Chrys. Orat. II. p. 31. D. — Ibid. *Τὸ πνῖγος τῆς μεσημβρίας ἠπιώτερον ἐγεγόνει·* ex *Platonis* Phaedro p. 358. C: *τὸ πνῖγος ἠπιώτερον γέγονε.* — Ibid. *Ἕκαστον δὲ τῶν ἐκπωμάτων δίκην ὁλκάδων ἐπιχαρίτως* (l. *ἐπισχερὼ*) *διεκπλεόντων·* id sententia loci requirit, et exquisita vox facile a librario in frequentiorem scriptori mutari potuit. — Supra, *εὐανθῆ μὲν τοὺς ὄρπηκας — ἐκδρεψάμενος φύλλον*, imitatur *Philostratum* Heroic. p. 663. — IV: *Ἱππίας ὁ καλὸς*, ex *Platon.* Hipp. Maj. init. — V. *Ὀνόματι γὰρ οὐδὲν δέομαι λέγειν·* perperam tentat Eruditiss. *Abresch:* sic enim *Plato* Ap. S. p. 360. D: *ὀνόματι γὰρ οὐδὲν δέομαι λέγειν.* — VII. *Ἐξεδύσατο καὶ τὸν ἔσχατον*

χιτωνίσκον. Cel. *Dorvillius* pro *ἔσχατον* emendabat *ἰσχίσαρκον*· sed major est *Platonis* auctoritas, quem *Aristaenetus* imitatur. Dictum ejus memorat *Athenaeus* IX. p. 507. D: *ἦν ὁ Πλάτων καὶ φιλόδοξος, ὅστις ἔφησεν, ἔσχατον τὸν τῆς δόξης χιτῶνα ἐν τῷ θανάτῳ ἀποδυόμεθα*· ubi vid. *J. Casaubon.* et *Th. Gataker* ad *M. Antonin.* XII. p. 360. Cel. *J. de Rhoer* ad *Porphyr.* Abstin. I. 31. Imitatur quoque *Julian.* Orat. II. p. 96. C: *τὸν ἔσχατον ἀποδύσασθαι χιτῶνα τῆς φιλοτιμίας.* — IX: *Περιεστιχίζετο κύκλῳ*· recte *περιεστοιχίζετο* reposuit *Abresch*: imitatur enim *Demosthenem* Philipp. I. p. 15. C: *κύκλῳ πανταχῇ μέλλοντας ὑμᾶς καὶ καθημένους περιστοιχίζεται.* — XI: *Ἡβάσκων ἀμφὶ πρώτην ὑπήνην*, ex *Homero* expressit Il. Ω v. 348: *πρῶτον ὑπηνήτῃ τοῦπερ χαριεστάτη ἥβη.* *Philostrat.* Icon. II. p. 821: *ἡβάσκει μὲν ὑπήνης πρόσω.* — Ibid. *ὑφ' ἡδονῆς παντοδαπὰ χρώματα παρ' ἕκαστον λόγον ὑφίει.* Addo *Platon.* Lysid. p. 113. E: *ὑπὸ τῆς ἡδονῆς παντοδαπὰ ἠφίει χρώματα.* *Dion. Chrys.* Or. I. p. 17. A: *χρώματα παντοδαπὰ ὑφίει.* — Mox *ὅταν* (l. *ὅτου*) *ἐρασθείη.* — XII: *Καὶ τὸ ἆσθμα ἡδὺ ἢ δὲ μήλων ἢ ῥόδων πόμασι συμμιγέντων ἀπόζειν φιλήσας ἐρεῖς.* VV. DD. conjecturis nil detraho: non tamen negligi debuerat *Olearii* emendatio — *ἡδύ· εἰ δὲ μήλων — ἀπόζει,* —: sic enim *Philostrat.* Icon. I, p. 787: *Καὶ ὡς ἡδὺ τὸ ἆσθμα, εἰ δὲ μήλων ἢ βοτρύων ἀπόζει, φιλήσας ἐρεῖς.* — XIV: *Τί πράγματα παρέχετε ταῖς χορδαῖς.* *Plato* Rep. VII. p. 487. C:

σὺ

σὺ μὲν τοὺς χρηστοὺς λέγεις, τοὺς ταῖς χορδαῖς πράγματα παρέχοντας. — XV: Πρᾳότητα μὲν πορίζων. In his sensum languere nemo non videt: non enim habet μὲν, quod ei respondeat δέ. Hinc Eruditissimus Vir *J. J. Reiske* emendavit πρᾳότητα μένει πορίζων. Suspicor quid excidisse, ac legendum esse, πρᾳότητα μὲν πορίζων, ἀγριότητα δ' ἐξορίζων· quae audax quidem foret crisis, nisi locuplete auctoritate niteretur, *Platonis* Sympos. p. 325. E, ubi inter alia *Amor* dicitur ἐν ἑορταῖς, χοροῖς, θυσίαις γενόμενος ἡγεμών· πρᾳότητα μὲν πορίζων, ἀγριότητα δ' ἐξορίζων· φιλόδωρος εὐμενείας, ἄδωρος δυσμενείας. Simili modo, sed ex alio divini Philosophi loco, emendandus est *Dio Chrysost.* Orat. XVIII. p. 254. C: μέχρι νῦν μὲν γὰρ, ὥσπερ τὶς ἔφη τῶν παλαιῶν, αὐτῷ κακῶς εἶναι μάντις, κἀγὼ ἐξαρκεῖν ᾤμην ἐμαυτῷ περὶ τοὺς λόγους, μόγις καὶ τοῦτο. Lego κακὸς μὲν εἶναι μάντις, ἑαυτῷ δὲ ἱκανὸς, κἀγὼ ἐξαρκεῖν caet. Respexit enim ad *Platonem* Phaedr. p. 343. B: εἰμὶ δὴ οὖν μάντις μὲν, οὐ πάνυ δὲ σπουδαῖος· ἀλλ' ὥσπερ οἱ φαῦλοι τὰ γράμματα, ὅσον ἐμαυτῷ μόνον ἱκανός. Ut *Max. Tyr.* XIV. 3. p. 153: θαυμαστὸν δοκεῖ καὶ ἄπιστον, καὶ τοῦτο ὅσον αὐτῷ ἱκανὸν εἶναι χρησμῳδεῖν· ubi *J. Davis.* — Ibid. Μαλθακὸς αἰχμητής· *Homerica* dictio, Il. P. v. 588: utitur etiam *Plato* Rep. III. p. 442. C, Symp. p. 315. G, *Dio Chrys.* Orat. II. p. 26. D, *Julian.* Or. II. p. 84. D. — Ibid. Αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ τὰς ὀργὰς ὑφαρπάζειν· imitatur *Demosthenem*

 Olynth.

Olynth. II. p. 7. B: αἱ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ὀνείδη. — XVI: Οὐ δύναμαι γὰρ οὐδὲ γυναιξὶν οὐρανὲ τοὐμὸν ἀφηγήσασθαι πάθος· conjeci, οὐ δύναμαι γὰρ μὰ Δία τῇ γοῦν ἀξίᾳ θεραπαίνῃ τ. ὑμὸν caet. Similis est res I. 4. II. 18. — XVIII: Ὥσπερ οὖν αἱ Λάκαιναι σκύλακες εὖ μεταθεῖς τε καὶ ἰχνεύεις, ὅπῃ δ' ἂν αἴσθοιο τινὸς τῆς σῆς ἀμέλει θήρας ἀξίου· ex *Platone* Parmenid. p. 55. B: ὥσπερ αἱ λάκαιναι σκύλακες εὖ μεταθεῖς τε καὶ ἰχνεύεις τὰ λεχθέντα. Sic *Xenophon* Cyneg. p. 612: ἰχνεύειν καὶ μεταθεῖν. *Julian.* Or. VI. p. 187. B; ὥσπερ αἱ ἐξιχνεύουται κύνες μεταθέουσι τὰ θηρία. Hinc Epist. XVIII. fin. pro μεταθεῖναι legendum μεταθεῖν. Adhibentur saepissime venatoria verba de rebus amatoriis; *Dorvill.* Char. p. 555. *Xenoph.* M. S. I, 2, 24. Geminum est *Philostrat.* V. A. IV. p. 165: *Aeschyl.* P. V 832: θηρᾶν γάμους. *Muson.* Stob. p. 131, *Philo Jud.* Joseph. p. 533 B, *Isidor. Pelus.* IV. 78, *Plato* Protag. init. κυνηγέσιον. *Max. Tyr.* XXIV. 5, *Plutarch.* Alcib. p. 194. C, Amator. p. 749. E, ἀντεραστὴς vocatur συγκυνηγός. *Plato* Sympos. p. 332. B; ἐλλοχᾶν· et *Longus* Past. III. p. 109. IV. 155.

Ibid. Ἀμελὴς ἀκόμψων, ἐπιμελὴς εὐπρεπῶν. Imitatio *Platonis* Sympos. p. 325. E: ἐπιμελὴς ἀγαθῶν, ἀμελὴς κακῶν. — XIX: Θεάτρου μεστή. *Plato* Sympos. p. 324. B: θεάτρου μεστός. Hinc explicandus *Synesius* Provid. p. 105. B. *Eunapius* Jamblich. p. 29: τοῦ δὲ θεάτρου γενόμενος. — Ibid.

τῇ

τῇ μητέρι τὸ βλέμμα Φαιδρὸν καὶ οὐδὲ τεκούσης ἀπήνθησεν: forte ἐπήνθησεν· alioquin *Merceri* ἀπήντησεν magis placet; notat *obtigit*. — Ibid. Βραχυλογίαν ἐν ἠρεμαίᾳ Φωνῇ· obversabatur forte *Xenophon* Cyri Instit. I. 4, 4: λόγοις βραχυτέροις ἐχρῆτο, καὶ Φωνῇ ἡσυχαιτέρᾳ. Sympos. VIII. 3: σπουδαῖαι μὲν αὐτοῦ αἱ ὀΦρύες, ἀτρεμὲς δὲ τὸ ὄμμα, μέτριοι δὲ οἱ λόγοι, πραεῖα δὲ ἡ Φωνή. — XXII. Lego, αἴτιον δὲ ἦν τοῦ βούλεσθαι μισεῖν τὸ λίαν Φιλεῖν. — Ibid. Φθέγγεται ταπεινόν τε καὶ σκυθρωπὸν καὶ τεχνηκῶς ἀθυμίᾳ· verissimum est τεθνηκὸς pro τεχνηκῶς· imitatur enim *Aeschinem* Fals. Leg. p. 251. C: Φθέγγεται τὸ θηρίον προοίμιον σκοτεινόν τε καὶ τεθνηκὸς δειλίᾳ. — Ibid. Ὑπ' ἐξουσίας· malo ἐπ' ἐξουσίας. — XXIV: Σὺ δ' οὖν εὐθύς· ante oculos habuit *Alciphron*. II. 3. p. 240. — XXVI: Λόγους παντοδαποὺς ὑποΦαίνεις· potuit quoque scribere ὑΦαίνεις· vulgatam tamen non damno. — Ibid. Χειρὶ πολυσχήμῳ· conjeci πολυσήμῳ. — Ibid. Ἀνάπαυλα γὰρ τῆς σπουδῆς ἐνίοτε γίνεται ἡ παιδιά· verbotenus desumsit ex *Platone* Phileb. p. 30. D: ἀνάπαυλα γὰρ τῆς σπουδῆς ἐνίοτε γίνεται ἡ παιδιά. — Lib. II. Ep. II: Μὴ τρόπος ἀπειθὴς ἀνασοβήσῃ, ὃν εὖ μάλα τεθήρακεν ἡ μορΦή· placet αὐθαδὴς pro ἀπειθής· caeterum *Platonem* imitatur Lysid. p. 107. E: ποῖος ἄν οὖν σοι δοκῇ θηρευτὴς εἶναι εἰ ἀνασοβοῖ θηρεύων, καὶ δυσαλωτοτέραν τὴν ἀγρὰν ποιοῖ· ut *Aristid.* Or. Plat. II. p. 117, *Synes.* Regn. p. 3. A. — V: Πυκνὰ παλλομένης ἐΦάπτομαι τῆς καρδίας, καὶ Φθέγγεσθαί μοι δοκῶν εἶε. Non

satisfacit ulla conjecturarum quas ad hunc locum protulere VV. DD., nec ego, quid reponam, habeo. Id saltem moneo *Aristaenetum* imitari *Sapphus* elegantissimam Oden; nam illud, *ἐναντίον μοι ἰζάνει, Καὶ πλάσιον ἀδὺ φωνείσας ὑπακούει, τό μοι τὰν καρδίαν ἐν στάθεσιν ἐπτόασεν — ἐμοὶ γὰρ αὔδας οὐδὲν ἔθ' ἥκει·* illud, inquam, tantum non ipsis verbis adoptavit *Aristaenetus*. Hinc forsan legendum: *καὶ φθέγγεσθαί μοι δοκῶ οὐκ ἔθ' οἷα τε·* sed acutiores forsan probabilius quid elicient. Quod statim subnectit, *τότε μὲν οὖν εἰς τὰ γόνατα ἡ κεφαλὴ βρίθει, τότε δὲ εἰς ὦμον ἐγκλίνει*, decerpsit ex *Philostrato* Lib. I. Icon. XVIII. p. 791: *ἰζάνουσαί τε κατὰ τῆς γῆς, τῆς μὲν εἰς γόνατα ἡ κεφαλὴ βρίθει, τῆς δὲ εἰς ὦμον.* — Ibid. *τοὐμὸν μέλημα* *Sapphus* laudat *Julian.* Epist. XVIII. p. 386. C. *Aristoph.* Eccles. v. 900. — VI: *Ἢ μᾶλλον, ὦ θαυμάσιε Φορμίων, ὡς ἀξιέραστον ἔχων τὴν ὄψιν·* pro *ὡς* lego *οἴῃ* *putasne:* sic I. 26.

VII: *Τί φῄς; ποιήσεις ἤδη; ποιήσεις, οἶδα ἐγώ·* ex *Luciano* Dial. Meretr. VI. fin. *τί φῄς; ποιήσεις ταῦτα; ποιήσεις, οἶδα ἐγὼ, καὶ πράξεις ἁπασῶν ῥᾳδίως.* — Ibid. *Ταῖς σαῖς ἐπιθυμίαις ὀνειδίζουσα·* ex *Platone* Phaedr. p. 349. F: *τῇ αὐτοῦ ἐπιθυμίᾳ ὀνειδίζοι.* — VIII: *Ἀποτρόπαιοί γε ὄντες·* obversabatur, ni fallor, *Plato* Legg. IX. p. 652. B. — XIII: *Κατασπένδω δάκρυα τῶν γραμμάτων·* forte ex *Synesio* Ep. CXXIII. decerpsit, quem in hac epistola imitari videtur. — XIV: *Μὰ τὸν φίλιον ἔρωτα, τὸν ἐμόν*

τε

τε καὶ σόν· a glossatore forsan est ἔρωτα. *Plato* Alcib. I. p. 27. E: Μὰ τὸν Φίλιον τὸν ἐμόν τε καὶ σὸν, ὃν ἐγὼ ἥκιστ' ἂν ἐπιορκήσαιμι. Sic etiam *Synes.* Ep. CIII. — XV: Ὁ δ' οὖν οἰκέτης εὔκτητος (f. εὐκταῖος) ὁ καλός. — XVI: Καιτοί γε τεττάρων ὀβολῶν ἀξία Θαῒς ἢ (f. εἰ) πάνυ πολλοῦ. — Ibid. Ἐκκεχυμένως· ex *Platonis* Euthyphr. p. 48. E. — Ibid. Ἐπελάμβανον ταῖς ἀγκάλαις· lego ὑπελάμβανον. *Julian.* Caes. p. 336. A: ὑπολαβοῦσα μαλακῶς, καὶ περιβαλοῦσα τοῖς πήχεσι. *Plato* Symp. p. 331. G, *Plutarch.* Artox. p. 1016. E, *Casaubon.* ad *Diog. L.* II. 23, *Dorvill.* Char. p. 172. — XIX: Νέος καταβόστρυχος ἔτι ἐν ἀπαλῇ τῇ ὑπήνῃ· ex *Philostrato* Lib. II. Icon. IX. p. 825: νέος ἔτι ἐν ἀπαλῇ τῇ ὑπήνῃ· similis fere est locus *Euripidis* Phoeniss. v. 148, in quo legitur καταβόστρυχος.

XXI: Ὀφρὺς μέλαινα κατὰ λευκοῦ τοῦ μετώπου· *Philostrat.* ibid. p. 826: αἱ ὀφρύες, ὑπὸ λευκῷ μετώπῳ μέλαιναι.

XXII: Μόνου ῥήματος τυχεῖν· ex *Achill. Tat.* I. p. 33: ἂν τύχωσι κἂν ῥήματος μόνον.

Haec fere erant, Vir Celeberrime quae Tibi offerre constitueram. Jam autem video chartae nonnihil superesse; huic, quidquid est, liceat nonnullas in alios Scriptores correctiones mandare.

LUCIANUS Ver. Hist. I. p. 1. de Abderitis ait, πυρέττειν μὲν γὰρ τὰ πρῶτα πανδημεὶ ἅπαντας, ἀπὸ τῆς πρώτης εὐθὺς ἐῤῥωμένως, καὶ ΛΙΠΑΡΕΙ τῷ πυρετῷ· quod offendit Viros DD. nec ego unquam

quam legisse memini: conjeci itaque ΛΑ'ΒΡΩι. *Eunapius* Proaeres. p. 103: ἐπὶ πυρετῷ λάβρῳ. — Conscrib. Hist. p. 55, vult ut sit historiae scriptor ξένος ἐν τοῖς ΒΙΒΛΙ'ΟΙΣ, καὶ ἄπολις· quod, quid sibi velit, equidem non video; scripsit forte ΒΕΒΗ'ΛΟΙΣ. — Abdicat. p. 163: τοῦτο γενόμενον εὔφραινε μὲν πολλοὺς ὅσοι ΠΑΡΗ'ΣΑΝ χρηστοὶ· lego ὅσοι ΠΕΡ'ΗΣΑΝ, *delectavit eos qui quidem boni erant.* At in iis *Luciani* scriptis, quae summi *Hemsterhusii* curam non sunt experta, plurima superesse male adfecta loca, nemo mirabitur. Leve tamen, ni fallor, mendum insidet in Dialog. Deor. V. p 214. Jupiter ait ad Junonem — ἢν γοῦν ἐπιτρέψω αὐτῷ (Ganymedi) κἂν ἅπαξ φιλῆσαί σε, οὐκέτι μέμψῃ μοι ΠΡΟΤΙΜΟ'ΤΕΡΟΝ τοῦ νέκταρος οἰομένῳ τὸ φίλημα εἶναι· ubi, nullus dubito, quin mecum consentias, rescribendum esse ΠΟΤΙΜΩ'ΤΕΡΟΝ. Vox est elegans et trita satis, ut non sit quod ejus adferam exempla. Ejus autem significationis puto eam debere originem *Platonis* elegantissimo dicto, quod est in Phaedr. p. 343. C: ἐπιθυμῶ ποτίμῳ λόγῳ οἷον ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύσασθαι· laudat id *Platonis* auctoritate *Plutarch.* Symp. VII. p. 711. D, et dici vix potest, quot imitati sint Scriptores, v. c. *Libanius* Orat. Parent. in Jul. §. 7: ποτίμῳ λόγῳ τὴν ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀπεκλύσατο· et similiter *Nicephor.* Schol. Synes. p. 351. C, *Gregor. Naz.* Or. IX. p. 150. A, XX. p. 352. D, Epist. XLIII. p. 784. C, *Clem. Alex.* Strom.

Strom. I. p. 258. A, *Themist.* Orat. XXVI. p. 330. A, *Athen.* III. p. 121, *Philostrat.* V. S. II. p. 597, *Plutarch.* T. II. p. 706. D, p. 997. F, *Isidor. Pelus.* I. 143. *Plato* autem, ut multa alia *Euripidi* debet, sic hoc expressit ex Hippolyt. v. 653.

Ἃ' γὼ ῥυτοῖς νασμοῖσιν ἐξομόρξομαι
Εἰς ὦτα κλύζων.

Marinus Vit Procli p. 53: *ὅσον μὲν ἦν παρ' αὐτοῖς γεννικὸν τοῦτο μετ' ἐπικρίσεως ἐσεποιεῖτο, εἰ δέ τι* 'ΑΝΟΜΟΙΑΙ͂ΟΝ *εὕρισκε, πάντη ὡς μῶμον ἀπῳκονομεῖτο·* reddidit Interpres *diversa et dissentanea:* sed scripsit Auctor ΑΝΕΜΙΑΙ͂ΟΝ, imitatione *Platonis* Theaetet. p. 118. C. 120. G. — Ibid. Cap. XXXVI, ait Proclum prope Syrianum sepeliri voluisse: *Ἐκεῖνος γὰρ αὐτῷ τοῦτο παρεκελεύσατο ἔτι περιὼν, καὶ τὴν θήκην τοῦ μνήματος διπλῆν διὰ τοῦτο ἐργασάμενος. Καὶ μετὰ θάνατον δὲ ἐπειδήποτε ἐβουλεύετο ὁ ὁσιώτατος μὴ τὸ* (l. *που*) *παρὰ τὸ καθῆκον εἴη, τὸν* 'ΑΥΛΟ`Ν *ὄναρ ἐπαπειλοῦντα αὐτῷ καὶ διότι μόνον τοῦτο ἐνεθυμήθη.* Levissimum mendum quantum lusit summi *Fabricii* ingenium! Interpretatur: „*Cum porro consuleretur Vir Sanctissimus quid in funere suo factum vellet, ne quidquam esset indecens aut parum decorum, TIBIAS quas somnium ipsi minatum erat, nec quicquam praeterea desideravit.*" Indigne, profecto, tanto Viro. Nollem praeterea repetere quae in notis de funeralibus tibiis comminiscitur. Le-

Legendum 'ΑΥΤΟ'Ν *illum*, nempe *Syrianum*, et reddendum: „— *mortuo autem Syriano, cum* „ *cogitaret Proclus, ne forte indecens esset, si in* „ *eodem ambo sepelirentur monimento, ipse ei per* „ *somnium visus est Syrianus, reprehendens eum,* „ *quod vel cogitare id sustinuerit.*"

ISIDOR. PELUS. Lib. IV. Epist. 67. — *τῶν μὲν γὰρ συγγραφέων τοσαύτην δόξαν λαβόντων.* Sensus in his verbis quodammodo languet; sana tamen omnia esse, hoc non obstante contendere quis posset. At inserendum *δὶς* ante *τοσαύτην.* At quare *δίς*? En dubium tollit *Isocrates!* hunc pueriliter admodum imitatus est *Isidorus.*

Isocrat. Panegyr. init.	*Isidor. Pelus.*
Πολλάκις ἐθαύμασα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγαγόντων, καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων, ὅτι τὰς μὲν τῶν σωμάτων εὐεξίας οὕτω μεγάλων δωρεῶν ἠξίωσαν, τοῖς δὲ ὑπὲρ τῶν κοινῶν ἰδίᾳ πονήσασι, καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς οὕτω παρασκευάσασιν ὥστε καὶ τοὺς ἄλλους ὠφελεῖν δύνασθαι, τούτοις οὐδεμίαν τιμὴν ἀπένειμαν, ὧν εἰκὸς ἦν αὐτοὺς μᾶλλον ποιήσασθαι πρόνοιαν· τῶν μὲν γὰρ ἀθλητῶν ΔΙ'Σ τοσαύτην ῥώμην	Πολλάκις ἐθαύμασα τῶν τοὺς διαλόγους συντιθέντων, καὶ τοὺς διεξοδικοὺς λόγους συγγραψαμένων, ὅτι τῆς μὲν οἰκείας δόξης λίαν ἐφρόντισαν, ὑψήλῳ καὶ ὑπερτόφῳ χρησάμενοι λόγῳ, τῆς δὲ τῶν ἀκουσομένων ὠφελείας ἠμέλησαν, ἧς εἰκὸς ἦν μᾶλλον αὐτοὺς ποιεῖσθαι πρόνοιαν· τῶν μὲν γὰρ συγγραφέων τοσαύ-

μην λαβόντων, οὐδὲν ἂν γένοιτο πλέον τοῖς ἄλλοις, ἑνὸς δὲ ἀνδρὸς εὖ Φρονήσαντος ἅπαντες ἂν ἀπολαύσειαν οἱ βουλόμενοι κοινωνεῖν τῆς ἐκείνου διανοίας.

ταύτην δόξαν λαβόντων, οὐδὲν ἂν γένοιτο πλέον τοῖς ἄλλοις, τῶν δὲ ἄλλων ἀΦελουμένων, πολλὴ ἡ ἐπίδοσις γίνοιτ' ἂν τῆς ἀρετῆς.

Sed neque negligendus est LIBANIUS, Scriptor elegans ille, et *Juliano* nostro in primis familiaris. Ex hujus quidem Orationibus plurima menda exemit Vir multi acuminis et mirae eruditionis *J. J. Reiskius:* sed in Declamationibus centena restant pessime adfecta loca; quorum nunc quidem aliquot saltim corrigere tentabo.

Progymnasm. p. 60. A: *εἶτ εὐθὺς ἕπεται κατήγορος, καὶ* ΤΑΦΗ', *καὶ ὕδωρ, καὶ ψῆΦος, καὶ τίμημα.* Lego ΓΡΑΦΗ'. — P. 77. C: *ὅταν οὖν ἀκούεις ὡς* 'ΕΤΕ'ΡΩΣΕ *νῦν μὲν τὸν Ἄρη, νῦν δὲ τὴν Ἀφροδίτην.* Hic, ut solet, in ipsa luce nil vidit *Morellus*, qui sensum quidem loci assecutus erat, at pro vitiosa voce aut *οὔτασε*, aut *ἐτραυμάτισε* corrigebat. At unica litera demta legendum erat ἜΤΡΩΣΕ. — P. 93: *Μόνοις τοῖς δικαίοις καλὰ μὲν τὰ τῇδε, καλλίω δὲ τὰ ὑπὸ γῆν, καὶ θάπτονται μὲν σὺν ἐπαίνοις, χωροῦσι δὲ παρὰ* ΦΑΥ'ΛΟΥΣ *τοὺς ἐκεῖ θεούς.* Et haec bona fide reddidit *Morellus:* „*ad tristes illos Deos se conferunt.*" Sed scripserat Sophista ΦΙ'ΛΟΥΣ. — Declam. XVII. p. 473. D: *ἐπειδὴ* ΜΕΘΗ'ΚΑΤΕ, *διότι μὴ δεῖ πολεῖν ἀλ-*

ἀλλαχοῦ Δημοσθένη· *Morell.* „ *quoniam concedi-* „ *tis.*" Lego ΜΕΜΑΘΗ'ΚΑΤΕ *didicistis.* — XVIII. p. 488. C: μὴ τὸν τοῦ Ο'ΙΚΗ'ΜΑΤΟΣ φόβον μεῖζον ἰσχύσαι τῶν συμφερόντων τῇ πόλει. *Morell.* conjecit ΤΙΜΗ'ΜΑΤΟΣ· sed propius, opinor, ad litterarum ductus, et Sophistae mentem, accedit 'ΑΔΙΚΗ'ΜΑΤΟΣ. Duxit autem colorem ex *Demosthene* Leptin. p. 364. B: μείζων ἐστὶ ὁ τοῦ μέλλοντος φόβος τῆς παρούσης χάριτος. — XIX. p. 491. D: καὶ οὐ τοῦτό ΠΩΣ δεινὸν, καίπερ ὂν δεινόν· ultima demta litera legendum ΠΩ· sic enim elegans forma effertur apud *Demosthen.* Fals. Leg. p. 214. B. et alibi. — XXI. p. 534. A: τοῖς δὲ υἱέσιν, ἂν ὑπὸ τῆς εὐφυΐας 'ΕΚΤΕΙ'ΝΟΝΤΑΙ, τὴν οἰκίαν ἀλλοτρίαν καταστήσομεν. *Morell.* vertit „ *si prae bonitate naturae laxentur.*" Itaque non suspectam habuit vocem. Verum, nisi egregie fallor, scripsit *Libanius* 'ΑΚΤΑΙ'ΝΟΝΤΑΙ· nam in antecedentibus, juvenes cum equis exsultantibus comparavit: haec ergo vox, cujus potestatem Tu Graecae elegantiae arbiter declarasti ad *Timaeum* p. 15., illa inquam et sententiam mirifice juvat, et *Libanium* decet, qui judice quidem *Eunapio* exquisitis delectatur vocabulis p. 134. — XXI. p. 548. A: ΠΡΟΙ'ΣΤΑΤΟ τὸ γιγνόμενον ὑμῖν. Interpres reddit „ *ut praesagierit, quod vobis facere usu venit.*" Lego ΠΡΟΣΕ'ΣΤΗ· *nauseam vobis creat.*" — XXXIV. p. 761. B: τοῖς μοιχοῖς ἐκ τῶν κρίσεων ΔΙΑΛΥΣΕΙΣ ὑπάρ-

ὑπάρχειν. Legendum ΔΙΑΔΥ'ΣΕΙΣ, *effugia.* In litteris Λ et Δ commutandis saepius peccatum est a librariis, v. c. *Basil. M.* Epist. CCCXCV. p. 405. B: ἀποδύεσθαι τὰς διαβολάς· lego ἀπολύεσθαι. *Alciphron.* III. 69: ἀπωμόσατο καὶ ἀπεδύσατο τὴν αἰτίαν· legendum ἀπελύσατο· id enim Graeci sermonis ratio postulat: sic *Demosth.* Rhod. Lib. p. 78. A, *Themist.* Or. XXIX. p. 343. D, *Julian.* Or. II. p. 64. A, III. p. 118. B. *Lucian.* T. II. p. 131, pro ὑπεδέξατο recte conjecit ἐπελέξατο, *M. du Soul. Choricio*, in elegante oratione funebri in Procopium Gazeum, simile insidet mendum, apud Fabric. B. G. VIII. p. 847: *Alexandriae* πρὸς ἄνδρα πάλαι μεθοδεύοντα λόγους, ἔτι μειράκιον ὢν 'ΑΠΕΔΟ'ΣΑΤΟ, ἄρτι πρῶτον ἐν Ἑρμοῦ ταχθεὶς ἀθληταῖς· vertunt, „*viro qui olim* „*praecepta oratoria dabat TRADITUS EST.*" Sed scripserat 'ΑΠΕΔΥ'ΣΑΤΟ, *certavit cum Sophista*, sc. in ἐπιδείξει, ut eorum erat mos. Plenius dictionem effert *Philostrat.* V. S. II. p. 601: ἀπεδύσατο πρὸς Ἡρακλείδην τὸν Σοφιστὴν τὸν ὑπὲρ μελέτης ἀγῶνα. Sed id genus plura ad *Julian.* Or. I. — XXXVII. p. 807: ὁ δὲ τὴν μάχην διηγεῖται, τὴν φάλαγγα, τὸ κέρας, τὸ σύνθημα τὸ μεταίχμιον, τοὺς φόνους, τὴν δίωξιν· μὴ σύ γε ταῦτα, ὦ παῖ, τὰ ἐκ τοῦ πολέμου ΔΕΙ'ΓΜΑΤΑ. Var. Lect. διδάγματα· sed legendum ΔΕΙ'ΜΑΤΑ, *terrores.* Sic recte *Origeni* contr. Cels. III. p. 457. C. restituit *Delarue* pro δείγματα, et *Juliano* Ep. ad

Themist. p. 259. C, *Petavius*; et plura dat Cl. *Schwebel* ad Onosandr. p. 92.

Quod supra p. 11. observavi *ἀνδρείαν* pro *ἀναιδείαν* ironice usurpari, id commode in mentem mihi revocat PHILOSTRATUM, apud quem simile fere usu venit, Vit. Apollon. Lib. V. p. 203: Τὸ δ' αὐτοὺς σιτεῖσθαι τοὺς θεοὺς καὶ μηδ' ἐμπίπλασθαι τούτους, δεινῆς ἐμπορίας, εἴποιμι δ' ἂν καὶ 'ΑΝΑΝΔΡΙ'ΑΣ, εἰ μηδὲν ἐκ τούτου δέδοικας. Vertitur: „*Ipsis autem Diis quod vesceris, neque iis* „*saturaris, id horrendi quaestus, imo amentiae* „*esse dixerim, si nihil inde metuis.*" Non male *ἀνδρείας* conjecerat *Gruterus*, at vulgatam lectionem defendit *Olearius*. Mihi propius ad literarum ductus et Scriptoris mentem accedere videtur 'ΑΝΑΙΔΕΙ'ΑΣ, et locum, a cujus vero sensu plane aberraverat interpres, ita interpretor: „*quod autem ipsis Diis vesceris, nec ii tamen* „*hinc inquinantur, belli profecto ac egregii est* „*mercatoris, seu ut verius dicam, magnae est* „*impudentiae, si nil inde metuis.*" Ultima illa, *εἰ μηδὲν ἐκ τούτου δέδοικας*, dubius sum utrum reddenda sint, *si non metuis quod Dii hac mercatura inquinentur*, an *si Deorum vindictam non times.* 'Εμπίπλασθαι autem hic, ut supra, *conspurcari* notare satis est manifestum. Quod ibidem ait *ναυτικῆς ἀταξίας*, desumsit ex *Euripide* Hecub. v. 607: 'Ακόλαστος ὄχλος ναυτική τ' ἀναρχία· ubi pro *ἀναρχία* antiquis jam temporibus *ἀταξία* in exemplaribus

bus nonnullis extitisse constat etiam ex *Dione Chrys.* Or. XXXI. p. 389, quem versum perperam incerto *Comico* tribuit *H. Vales.* Emendat. I. 30. Medicina non dissimili sanandus quoque videtur *Origenes* c. Cels. III. p. 492. A. ubi „*Polemonem*" ait „*irrupisse in Xenocratis scholam*" ἵν' ἐνυβρίσῃ ἄνδρα ὃν καὶ οἱ 'ΕΤΑΙΡΟΙ ἐθαύμαζον· scripsit enim, ni fallor, 'ΕΧΘΡΟΙ'.

Nosti, Vir Celeberrime, quot quamque gravibus laborent vulneribus *Philostratorum* pulcherrimi *Icones*. Horum, ego, non paucis, conjectura medelam afferre studui. Et, ut conjecturis hic est locus, id abs Te nunc peto, ut parvum earum spicilegium Tibi delibare benigne mihi concedas. Itaque Lib. I. Icon. II. p. 765: Καθεύδει δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἐπὶ τὰ στέρνα 'ΡΙ'ΨΑΣ, vehementioris videbatur significationis, quam locus hic ferre possit; conjeci ergo ΚΥ'ΨΑΣ, vel ΤΡΕ'ΨΑΣ. — XI. p. 781. de *Heliadum aureis lacrymis* ait, τὰ δὲ ΣΤΕΓΑ'ΖΟΝΤΑ κατὰ τοῦ στέρνου χρυσὸς ἤδη· vertunt quidem, *quae in pectore consistunt:* sed restituendum videtur ΣΤΑ'ΖΟΝΤΑ aut ΣΤΑΛΑ'ΖΟΝΤΑ, *defluentia.* — XII. p. 782: ὥρμησαν ἀποθανεῖν ἀπὸ ταυτησὶ τῆς πέτρας, κἀντεῦθεν 'ΗΡΘΗΣΑΝ εἰς τὴν θάλασσαν· dubito an is, qui ex rupe se in mare praecipitem dat, commode αἴρεσθαι, *tolli*, dici possit: puto itaque scripsisse *Philostratum* 'ΗΝΕ'ΧΘΗΣΑΝ. — XII: Σατύρων δὲ ἡδὺ μὲν τὸ ΣΦΟΔΡΟ'Ν, ὅτε ὀρχοῦνται· equidem

dem non damno lectionem satis elegantem: magis tamen mihi placet ΦΑΙΔΡΟ´Ν· sic II. Icon. XII. p. 829: ὁ δὲ Πὰν ἐξορχεῖται μὲν ῥυθμὸν δή τινα, φαιδρὸν δὲ αὐτῷ τὸ εἶδος. In *Plutarchi* quoque aureolo libello de Sera Numinis Vindicta p. 1000. lin. 29. pro φαιδρὰ, legit σφοδρὰ *Mst. Harlejanum*, cujus varias lectiones in meos usus excerpsit, V. Cl. *J. M. Hassenkamp*, bono Orientalium literarum natus, idemque mihi amicissimus. — XXIII. p. 798: τῆς κόμης — τὸ μὲν οἱ τένοντες ἐφέλκονται, τὸ δ' ὑπὸ τῶν ὤτων ΚΡΙ´ΝΕΤΑΙ, τὸ δὲ τῷ μετώπῳ ἐπισαλεύει· *partem aures quasi secant* reddit interpres: at ego mallem ἐπὶ τῶν ὤτων ΚΡΕ´ΜΑΤΑΙ, cui favet *Junior Philostratus*, qui hunc locum imitatus est Icon. XIV. p. 886. — XXIV. init. Ἀνάγνωθι τὴν Ὑάκινθον, γέγραπται γάρ· vertitur: „*Hyacinthum vide, illam enim pictura repraesentat.*" Sed illius γέγραπται alium opinor esse sensum, nec huc quid facere eadem formula adhibita a *Juniore Philostrato* Icon. XVI. Reddo itaque *Agnosce hyacinthum ex litteris quae ei sunt inscriptae.* Videndus est *T. Hemsterhus.* ad *Lucian.* D. D. XIV. p. 240. Quae autem mox sequuntur μή σε λειμὼν — ἀνέσχε, haec adeo sunt impedita, ut ego quidem non videam quomodo probabili conjectura expediri queant. — XXVI: εἰ δὲ βούλει καὶ ἼΧΝΟΣ αὐτοῦ (Mercurii) κατιδεῖν· conjeci ΤΕ´ΧΝΗΝ. — XXVIII. p. 804: τῷ τῆς ἼΔΗΣ ἄνθει φαίνεται· mallem ἼΡΙΔΟΣ. —

Ibid.

Ibid. p. 805: *καιρία μὲν οὐκ* 'ΕΝΤΥΧΟ'ΝΤΩΝ· nescio an ipse scopum feriam substituendo 'ΕΤΣΤΟΧΟΥ'ΝΤΩΝ. — XXXI. p. 809: *τὰ μὲν ὑποκέχηνε* ΠΑΡΑΠΤΥ'ΟΝΤΑ *τοῦ μέλιτος·* forte ΠΑΡΑΒΑΥ'ΟΝΤΑ. — Lib. II. Icon. I. p. 811: *καὶ ἡ νευρὰ παναρμόνιον ᾄδει καὶ Φησὶ πάντα* ἜΧΕΙΝ, *ὅσα ἡ λύρα·* magis convenit 'ΗΧΕῖΝ, *sonare.* — II. p. 812, juveni Achilli tribuitur *κομὴ* 'ΗΔΕῖΑ· sed ego specialius quid expectassem, ΒΑΘΕῖΑ. — Ibid. p. 813: *ὁ ἵππος ὀξὺς ἄρα καὶ ἀφαιρεῖ γέλωτα.* Haec quid sibi hic velint nullo modo exputare possum. Ego perperam a sua sede turbata, leviter correcta in fine ea colloco: — *οὐχ οἷα ὁ Ξάνθος ὁ ἵππος ὀξὺς ἅμα καὶ ἀφαιρῶν γέλωτα·* sicque, opinor, optime omnia inter se convenient. — XI. p. 825: ΚΕῖΤΑΙ *γοῦν τὸ στόμα·* lego ΚΛΕΙ'ΕΤΑΙ aut ΚΕ'ΚΛΕΙΣΤΑΙ. — XIV. p. 813: *καὶ ὁ ποταμὸς οἷον* ἌΤΘΙΣ, ΚΑΙ` *Φυλάττων τὸ εἰς ἀγκῶνα·* conjeci 'ΑΝΘΙ'ΣΤΑΤΑΙ vel ΑΝΙ'ΣΤΑΤΑΙ, *fluvius autem resistit (v. surgit) ita tamen ut cubito adhuc innitatur.* — XVII. p. 838: *Λόγχας ἐπὶ τὰ θηρία ἠρμένοι καὶ τόξα* 'ΕΝΙ'ΟΙ· mallem 'ΕΝΙΕ'ΝΤΕΣ. — XVIII. p. 840: *ᾄδει δὲ ὑπὸ τῇ πρίνῳ ταῦτα, οὐδ' ὅπου αὐτῷ τὰ πρόβατα νέμεται εἰδὼς, οὐδ' ὁπόσα ἐστὶν, οὐδ' ὅπου* 'Η ΓΗ῀. ὍΤΙ ὌΡΕΙΟ'Σ *τε καὶ δεινὸς γέγραπται.* Non est, quod multis demonstrem falsitatem lectionis quae in aperto satis est. Ego quidem conjeci: *οὐδ' ὅποι*

ἩΓΕΙ͂ΤΑΙ Ὁ ΚΡΙΟ΄Σ· ὄρειός τε κ. τ. λ. „*aut* „*quo eas abducit aries:*" scilicet *Aries Cyclopis* optime hunc locum decet, et κριὸς facillime potuit absorberi a sequente ὄρειος. — XXI. p. 845: μέλας Ἀνταῖος, ΚΕΧΩΡΗΚΟ΄ΤΟΣ αὐτῷ τοῦ ἡλίου ἐς βάθος· forte ΚΕΧΡΩΚΟ΄ΤΟΣ αὐτόν. — XXIX. p. 854: ἡ μὲν γὰρ ἔχεται τοῦ ποδὸς, ἡ δὲ ἄκρου τοῦ πτεροῦ, ἡ δὲ ΕΣΘΙ΄ΕΤΑΙ τῆς κεφαλῆς· conjeci ΕἼΛΗΠΤΑΙ, aut ἙΛΚΥ΄ΕΤΑΙ. Conferendus est *Alciphron*. III, 30. — In *Junioris Philostrati* Icon. III. p. 867: σοφὸς τε καὶ ζώγραφος· legendum σοφός γε ὁ ζώγραφος. — IV. Ibid. βλέπων τε δεινῶς δεδορκώς· inducere volebat βλέπων *J. Pierson* Verisimil. p. 232: at leviore mutatione legendum δεδορκός. — V. p. 869: Hercules dracones ἑκάτερον ἑκατέρᾳ χειρὶ ΠΡΟΛΑΒΩ΄Ν· malo ΠΕΡΙΘΑΛΙ΄ΒΩΝ. — VI. p. 871: καὶ ἡ ὀφρὺς οἷον ἀποσημαίνουσα τὸν νοῦν τῶν ᾀσμάτων, ἘΣΘΥ͂Σ τε αὐτῷ μετανθοῦσα· lego ἘΣΘΗ͂Σ, *vestis*. Id frequens est *Philostratis*, p. 779. 869. 876. et *Aristaenet*. — Ibid. ἐπιτέταται τοῖς φθόγγοις· malo ἐπιτέτακται. — VII. Ibid. ἄῤῥηκτον ἐνδεικνῦσα τοῦ προσώπου τὴν θέαν· scripsit sine dubio ἄῤῥητον. — X. p. 878: ΑΙ΄ΑΝ ἐλάσασθαι περινοεῖ· *vehementer eos propellere in animo habet*, lego ΛΕΙ΄ΑΝ· *praedam abigere*. — Ibid. p. 880: ΝΟΗ΄ΣΕΙ κεραμέως ἔργον τινὸς ΕἼΠΗι, ΔΥΣΚΟ΄ΛΟΥ. Nollem prolixe *Olearii* nugas refellere; ego quidem legendum suspicor ΝΟ΄ΕΙ ΣΟΙ — ἭΠΟΥ

ΔΑΙ-

ΔΑΙΔΑ'ΛΟΥ· *hoc figuli alicujus opus puta; Daedali forsan.* — XIV. p. 886. Nec hic opus erat *Olearii* medicina, legendum quippe ἔρως ΤΕ Φαιδρὸς ἅμα. —XVII. p. 889. *Philoctetes:* ὁ δὲ νῦν ἐνταῦθα ΞΥΜΠΕΠΡΑΚΟ'ΤΙ διὰ τὴν νόσον τῷ προσώπῳ· vertitur: *facie morbo respondente*: sed tunc legendum fuisset ξυμπεπραγότι. At scripsit Sophista ΣΥΜΠΕΠΤΩΚΟ'ΤΙ.

Hae autem conjecturae, si dignae omnino erant futurae, quae Tibi dicarentur, majore, fateor, aut excogitandae erant acumine, aut confirmandae doctrina, aut orationis exornandae elegantia. Verum Tu, Celeberrime Vir, quae Tua est singularis humanitas, juveniles lucubrationes aequi bonique consulas. Neque id Te meis precibus esse negaturum spero, ut, perlectis iis, meo sive ingenio imbecilli, seu studio, quod certe est acerrimum, rationem ac viam praescribas, qua quidem in his litteris ita incedere possim, ut ne, in tanto imprimis neglectu, in quo illae jacent, omnino me in iis operam posuisse poeniteat. Vale. Dab. Goettingae XXXI. Mart. MDCCLXIX.

DEDICATIO

EX EDITIONE LIBELLI

PLUTARCHEI

DE SERA NUMINIS VINDICTA.

VIRO AMPLISSIMO,

DANIELI WYTTENBACH,

SENATORI BERNENSI,

BERNENSIS ET LAUSANNENSIS
ACADEMIAE CURATORI,
CET. CET. CET.

FAUTORI ET COGNATO

OMNI OBSERVANTIA COLENDO,

S. P. D.

DANIEL WYTTENBACH.

Quotiescunque, VIR AMPLISSIME, *patriam meam Bernam cogito: cogito vero saepissime: toties sive voluptate, sive tristitia, sive utraque perfundi me sentio. Cum enim, primae juventutis memoriam repetens, mecum ipse recolo, quam diu et quam longe ab iis locis absim, animus veluti leni placidoque flumine in pristinarum rerum considerationem defertur; hac sibi indulget atque ita* ad-

adficitur, ut eum dubitet, tristemne illam an dulcem dicat, lubentissime tamen in ea versetur. In qua cogitatione cum magna me obruat imaginum copia et varietas, Tua, V. A., imago mentem meam et primum in se convertit, et diutissime retinet. Neque hoc Tu forte a me ex tempore fingi putes. Nec enim Tu is es, qui fictis blanditiis quid tribuas; nec ego is, qui Te ignorem, Tuamque beniyolentiam adulando captare aut velim aut possim. Sed est ea virtutis et beneficiorum vis, ut optimum quemque sibi maxime adjungant. Ac beneficia quidem ex Patris mei sermonibus saepius admiratus sum, cum diceret, ea Te in se contulisse, quibus Te non nomine sed re cognatum ostenderes, et manifeste significares eodem Te amore ejus liberos complecti. Virtutis vero Tuae testes habes cives singulos et universos. Cum enim eo loco natus esses, et in ea tempora incidisses, ut ad summos in Republica honores sponte evolare posses; indignum Te existimans in fortunae donis acquiescere, ad generis praesidia virtutis atque ingenii adjecisti ornamenta, ut omnia Tibimet ipse debere videare, nil sibi tuorum vindicaret fortuna. Itaque id assecutus es quo contendunt multi, perveniunt paucissimi, ut in summo magistratus fastigio cunctis tam sis ob pietatem et humanitatem amabilis, quam ob consilii vim et praestantiam admirabilis. Quanto igitur me semper Tui videndi et alloquendi desiderio flagrasse putes,

quo

quo Tibi meae observantiae testimonia darem praesentiora, et ipse mei studii fructus a Te perciperem praesentiores? Sed Diis aliter visum! Nam in Te oculos figens, ad Te plenis tendens velis, ecce! in Bataviae oras deferor, vel aura fortunae, vel amore doctrinae: ibique detineor oblato docendi munere. Sive igitur munus ipsum spectes, hoc amantissimo cuique literarum jucudissimum est; sive scholam, ea magnorum Doctorum fama celeberrima est; sive urbem, ea florentissima Europae, Amstelaedamum: ut ad summam voluptatem nil nisi praesentis familiae suavitas, ac patriae nomen et propinquitas deesse videatur. Quare, V. A., noli putare me patriam ejurasse; qui enim, quamvis diuturna absentia, adeo degenerem, ut hunc sensum exuam? Sed ita potius accipe, me ad avitam et naturalem patriam veluti novam adjunxisse. In cujus rei fidem pignus Tibi do, quo nil habeo pretiosius. Primitias igitur mearum lucubrationum in Plutarchum, quem Tu quanti facias me non latet, Tibi dono, dico, consecro. Has Tu, V. A., eodem animo accipe, quo Tibi offeruntur: Tibique ita persuade, me non cum loco sensum mutasse, sed quoad vivam, et patriae amantissimum et Tui observantissimum futurum. Vale. Scribebam Leidae. a. d. XXII. Octobris MDCCLXXI.

PRAE-

PRAEFATIO

EX EDITIONE LIBELLI

PLUTARCHEI

DE SERA NUMINIS VINDICTA.

Magnum fuit ingenium Plutarchi, magna disserendi subtilitas et elegantia, divinarum vero humanarumque rerum scientia, et omnis liberalis doctrinae vis quaedam incredibilis ac prope infinita. Quae bona etsi per se tanta sunt, ut accessioni nullus relictus videatur locus; magnus tamen iis accessit laudis cumulus, quod non in res obscuras aut ad captandam popularem auram, sed in rem unam omnium gravissimam, in communem humani generis utilitatem expromta fuerunt. Etenim ubique id egit Plutarchus, ut quid utile vel secus, quid fugiendum vel sequendum doceret; ut de ratione vitae, de studio virtutum, de moderanda republica dissereret; denique ut Philosophiam commendaret, non eam, quae rerum obscuritate, gravitatis et distinctionum acumine, subtilitatis

tis speciem adfectaret, sed quae errore et superstitione liberaret, essetque vitae magistra et expultrix vitiorum. Jam vero ejus librorum, quorum ne tertia quidem pars ad nos pervenit, tantus est numerus, tanta et varietas et cujusque in suo genere praestantia, ut veterum scriptorum ei comparem paucissimos, anteponam omnino neminem. Quid de Philosophiae notitia dicam, cujus ille omnes partes excussit, et quid quaelibet secta boni haberet laudavit, quid falsi monuit? Quid de rebus gestis Graecorum et Romanorum, in quibus memoriae prodendis nemo facile majore fide versatus est, nemo conversionum momenta et animorum abditos recessus aut vidit acutius aut explicavit prudentius? Quid de reliquis antiquitatis partibus, quarum nulla est quin ex eo egregie possit illustrari, multae quarum notitiam ei soli debeamus? Recte itaque magni viri ita judicarunt, eum qui ex veteribus unum legisset Plutarchum, sed cogitate meditateque legisset, tantam rerum praestantissimarum cognitionem mente comprehendisse, ut omnium consensu hominis eruditi nomen tueri possit.

His Plutarchi laudibus cum ab ineunte aetate mihi aures personarent, contuli me ad ejus lectionem, quam primum eo perveni, ut ipse aliquid de his literis judicare possem. Hic vero quo majorem ipse capiebam voluptatem, eo magis dolebam adeo inique comparatum esse, ut plerique

eo-

eodem suavitatis fructu carere cogerentur. Quae calamitas ex duplici potissimum causa oriri videtur. Cum enim duo sint scriptionum genera Plutarchi, alterum quo magnorum virorum ingenia descripsit, alterum quo philosophicas quaestiones tractavit, et doctrinam de vitae morumque ratione tradidit; hoc temporis injuria tantas labes corruptelasque suscepit, ut magna ejus pars intelligi nequeat: cumque ducentis et quinquaginta abhinc annis non sit editum, jam fere ignotum fieri coepit; illud vero ante hos triginta annos in Anglia editum quidem est a Mose Solano, sed splendide potius quam emendate. Deinde vel sic utrumque genus adeo rarum factum est, ut saepissime ne maximo quidem pretio comparetur. Unde fit, ut Plutarchi non nisi nomen audiatur, libri jam fere hominum notitiam effugiant, laudentur ab omnibus, legantur a paucissimis.

Quam injustam sortem cum mecum dolerem, indigneque ferrem, scriptorem, cujus praestantia nemini non assidua lectione cognita penitusque perspecta esse debebat, tanta premi tenebrarum iniquitate; cogitare mecum coepi, an forte mea opera ad pristinum splendorem revocari posset. Arduum, fateor, opus et difficile! Quid quaeris? Audere coepi. — Sed ingredienti in hoc spatium cum necesse videretur libellum aliquem Plutarchi veluti γεύματος χάριν edere, incidi forte in librum *de sera numinis vindicta.* Erant quidem et amoenio-

niores libri et qui criticae facultati majorem praeberent excurrendi campum; verum non meam, sed Plutarchi et aliorum rem hic agi arbitrabar. Nam sive argumentum spectes, nullum majus graviusque est; sive explicandi rationem, adeo subtiliter eleganterque disputavit Plutarchus, ut, summorum virorum judicio, proxime ad Christianae doctrinae praestantiam accesserit. — Scilicet cum popularem efficere Philosophiam studeret, et id ubique spectaret, ut de rebus quae ad vitae rationem, ad emendandos mores, et ad bene beateque videndum pertinerent dissereret; hanc quoque de poenis divinis doctrinam explicandam sibi esse putavit. Magna, sine dubio, et difficilis quaestio; de qua jam antiquissimis temporibus varia Philosophorum fuit sententia. Hujus patrocinium cum sibi nonnulli sumsissent Stoicorum, eam adeo horridam rigidamque fecerunt, ut neque aliis facile probaretur, ab Epicureis vero derideretur. Cum enim Providentiam statuerent omnibus minimisque humanis rebus praesto esse, in omnia influere, hominum delicta vel extemplo ulcisci vel in posteris punire; non satis habebant rationes ex rei natura ductas proposuisse; sed, ut cumulate ultro suscepto muneri satisfacerent, alteram quoque certitudinis opificem experientiam in auxilium cogebant. Hic vero quidquid ad rem facere videretur anxie conquirebant, exemplaque dubia et quae nemo non in utramque partem accipere posset congerebant:

un-

unde factum est, ut pulcherrimum illud Providentiae nomen ad risum contemtumque traduceretur, eaque mox *Anus fatidica*, mox *Spectrum quod homines agitaret ac terreret*, et diceretur et haberetur. Nacti enim hanc ansam Epicurei mire exagitarunt Stoicos quamvis Dialecticae peritissimos. „Quod „si enim, ajebant, verum est, nocentes a Diis pu„niri, unde est quod malis bene sit, bonis con„tra?" — „At suo tempore aliquando cuilibet „tribuent Dii quod meruit." — „Bene vero si „hoc ita semper facerent! Nunc vero videte, „quot mali sive divitiis sive tyrannide injuste „potiti et beate vixerint et poenas non dederint." — „At si ipsi poenas effugerint, eae a liberis et ne„potibus repetuntur et Providentiae justitia in fine „omnino elucet." — „Quid vero si aut liberos „nullos malus reliquerit, aut posteri eadem feli„citate perfruantur? deinde quae est ista Deorum „aequitas, ob parentum nequitiam insontes pu„nire posteros?" — At Deorum consilia nobis „ignota sunt, et in ea curiose inquiri ab homun„cionibus summae et amentiae est et impuden„tiae!" — „Ergone aut vobis e meliori luto „finxit praecordia Titan, aut ipsi Dii vos in con„silia adhibuere, qui ea tam confidenter scienter„que explicetis? Videte, o boni, quo evadatis." Tum vero Stoici multa comminisci, sudare, nec quo se verterent reperire; Epicurei contra acrius insistere, urgere, neque effugiendi locum dare.

Tan-

Tandem eo devenerunt quo devenire in hac disputatione necesse erat, ut post hanc vitam praemiorum et poenarum locum esse dicerent. At hoc omne, quicquid id est, ad vulgi superstitionem et aniles fabulas referebant Epicurei, jamque victores sibi videbantur et exclamabant:

Relligio,
Quae caput a coeli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans,
—— —— —— pedibus subjecta vicissim
Obteritur: nos exaequat victoria coelo.

Hanc certaminis iniquitatem cum indigne ferret Plutarchus, hoc libello opem adtulit non quidem Stoicis, quorum rigida decreta aliis libris refutavit, sed justae eorum caussae religioni et veritati; nimiumque illud Stoicae severitatis remittens, orationem ex angustiis et dumetis in campum eduxit, in quo posset exsultare. Ac primo quidem totam disputationis formam apte descripsit. Fingit enim Epicureum, postquam in suo et amicorum consessu acriter in sententiam de Providentia ac poenis divinis invectus esset, abiisse, ejusque objectiones ab ipsis ad examen revocari et refutari. Hic quidquid ad tarditatem divinae vindictae excusandam adferri potest explicatur; Deum non ira, sed misericordia ad puniendos malos accedere, ut eos corrigat et in viam reducat; eoque non statim poenas infligere, quod

 iis

iis tempus largiatur, ut ad meliorem redeant frugem. A posteris autem poenas repeti, non quod ipsi parentum delictis meruerint, sed quod ex maligna parentum indole labes in liberorum transeant ingenia eaque adficiant; has Deos poenis veluti medicina eluere, ne in insanabilem animi erumpant morbum. Cum vero videret integrum perfectumque Justitiae munus in hujus vitae angustiis absolvi non posse, id sibi sumsit quod praesens Epicureus nunquam concessisset: Providentiae igitur administrationem et animae immortalitatem pro concessa probataque sumsit, et post hanc vitam delicta punitum iri statuit. Tandem disputationem notabili exitu conclusit, Thespesii cujusdam historiam inducens, qui animo ad inferos raptus ipse poenarum ac praemiorum testis fuisset. Quo loco etsi mirum cui videatur, Epicureis fabulam eamque ex eo genere opponi quod ipsi maxime deridebant; id tamen Plutarchus suo sibi jure facere potuit. Nam primum quidem ad illustrandam sententiam quamvis probabilem non tamen certissimam, nil aptius erat tali fabula. Deinde Platonis sui auctoritatem sequebatur, qui gravissimis disputationibus de animae immortalitate, de virtute, et justitia, in Gorgia, Phaedone, Phaedro, et decimo de Republica simillimos epilogos imposuerat. Denique Epicurei etsi fabulas de inferis ad anilem referebant superstitionem, non tamen ita abjiciebant, ut nullam iis utilitatis par-

partem relinquerent; verum ad eos a vitiis deterrendos qui rectis rationibus duci non possent, aptas et in primis utiles judicabant. Haec de totius libelli descriptione. Singulas vero ejus partes cum ex intimis Philosophiae derivavit fontibus, tum apte connexuit, tum historiarum varietate, versuum amoenitate et ex omni doctrinarum genere decerptis suavissimis conspersit floribus.

Quare et dignum judicavimus hunc libellum, qui separatim editus omnium cognitioni pateret, et idoneum, in quo primas nostras vires doctorumque hominum de iis et nostro consilio judicia experiremur. Coepi ergo hoc agere, eum cum reliquis Plutarchi scriptis conferre, multum legendo relegendoque in eorum notitiam pervenire, obscura explicare, corrupta emendare, eam denique cum iis familiaritatem contrahere, ut doctrinam ibi traditam in promptu numeratoque haberem. Cumque me aliud consilium ad Julianum traduxisset, nil tamen de summo Plutarchi remittebam studio, sed ita in eo versabar, ut eum paene nullum diem de manibus ponerem, neque meas copiolas augere desisterem, quicquid aut ipse excogitassem, aut aliorum scriptorum lectione reperissem, annotando et in meam rem conferendo. Hoc tempore cum V. Cl. J. M. Hassenkamp., ab ineunte aetate amicitiae suavitate mecum conjunctus, et cum maxime Rintelii Orienta-

les litteras magna laude et docens et scriptis illustrans: is igitur cum cultiores Europae lustraret regiones, meum quoque studium adjuvit, misitque ad me varias lectiones Codicis Harlejani, gratissimum δῶρον ἐκ Μοισᾶν. Consului quoque Cel. Reiskii Animadversiones, quibus cum de aliis Graecis scriptoribus, tum de Plutarcho egregie meritus est, et utilissimam in emaculando nostro libello operam ab eo navatam esse deprehendi; pleraque vel corrupta ingeniose corrigi, vel quae ad rerum gestarum fidem pertinent docte moneri, vel, ut fit, saepius mecum in eandem explicandi emendandique viam ingredi. Adhuc haec erant, cum ecce novus dies nova attulit subsidia! — Etenim ab eo tempore, quo ad humaniores litteras animum appuli, nulla mihi beatior regio videbatur Batavia, quod in ea meae deliciae florerent, colerentur, et tuta tranquillaque pace fruerentur. In quam cum intuebar, maxime mihi occurrebat et quasi lucebat Leida, in qua Graecae Latinaeque Musae, post renatas litteras, sedes domiciliumque collocaverunt, et ex eo tempore nunquam non summorum Doctorum scholis celebratae sunt, et nostra aetate principes ex Hemsterhusii disciplina viri antiquam gloriam tuentur, Valkenarius et Ruhnkenius. Huc itaque mihi eundum putavi, ut et veterem sapientiam ab ipso fonte haurirem, et si quid meo studio Criticae facultatis assecutus essem, id horum duumvirorum lima

acue-

acueretur atque expoliretur. Quo cum venissem, magnum profecto meae operae fructum cepi. Nil dicam de insigni, qua me exceperunt, humanitate: nil de cura, qua meos in his litteris profectus adjuverunt praecipiendo, monendo, cavendo: nil de aliis, quae in me contulerunt, beneficiis; dicam de Plutarcho, in quem eadem benivolentiae redundavit ubertas. Etenim Viri summi, quamprimum eis meum consilium aperuissem, illud continuo laudare, quomodo ad MStos codices pervenire possem demonstrare, quam rationem in adornando toto Plutarcheo opere sequerer monere, denique ex Vossianis libris instructissimae Bibliothecae Leidensis plerosque mecum communicare; quos, age, cum reliquis subsidiis, quae ad recensendam hanc disputationem adhibuimus, enumeremus.

Usi ergo sumus primum codice MSto, quem *Voss.* nominavimus, seculi ut videtur XV., qui duobus voluminibus in forma quarta, pleraque Plutarchi continet moralia. Hic, cum, ut ab initio notatur, ex Bibliotheca Pauli Petavii ad Vossium pervenerit, idem esse videtur cum eo cujus variae lectiones ad calcem Edit. Francofurtensis et Parisinae adjectae sunt. Quod si ita est, negligentissime in eo conferendo, quisquis ille fuit cui hoc mandatum erat, versatus est. Cum enim in nostro libello varietates praebeat non paucas, nec eas contemnendas, in Francof. et Paris. edi-

tionibus notatam reperias omnino nullam. — Deinde librum habuimus, qui in Catalogo Nr. 64. notatur, et a nobis *Collectio Schotti* vocatur. Hic in omnes morales libellos ex duobus codicibus excerptas continet varias lectiones, quamquam plerumque inter se cum T. V. B. convenientes. Primae ejus paginae cum dilaceratae sint, ex titulo nil praeter haec verba leguntur: *Emendationes . . . . . Car. Amulii Romae.* Inferius recentiore manu adscriptum est: *Ex Bibliotheca Card. Granvellani sum Andreae Schotti Antwerp.* Denique eam lectionis varietatem in nostros usus adhibuimus, quam nescio quis ad marginem libri Aldini, qui Nr. 136. describitur, adlevit. Has, quamquam ignotum est a quo homine et ex quo Codice excerptae sint, manifestum tamen est ante Vossii aetatem excerptas fuisse, nec pro conjecturis sed lectionibus habendas esse, propterea quod, ut fit, inter bonas vitiosissimae etiam sunt lectiones, quae quidvis potius quam ingenium redoleant. In titulo scripta sunt haec verba: *Donati Janocchi:* in fine: *Loca a Nicolao Leonico emendata.* Quibus verbis librorum index subjicitur, in quibus emendandis ejus opera versata est, apposito ad quemlibet emendationum numero et subducta omnium summa. Cum vero libri de S. Num. Vind. nulla fiat mentio, eo magis certus sum, quas in eo deprehendi varietates, MStorum esse lectiones. — Harlejanus Codex, cujus mentio-

tionem fecimus, est seculi XV., et omnia fere moralia continet. — Editionibus usi sumus omnibus. Primum Aldina; quam fere ubique repraesentavimus, nisi ab ea recedere major auctoritas suaderet. Eandem, exceptis paucissimis et levissimis erratis, expressit Basileensis. Ex his duabus Xylander versionem suam confecit, adhibito praeterea codice quodam, cujus lectiones subinde laudat. Hunc secutus est H. Stephanus, qui Genevae integra Plut. opera 12. voluminibus, quorum 6. versionem habent, edidit. Hic quamvis se ad Codicum fidem Plutarchum castigasse dicat, nil tamen reperi quod ei Plutarchus, praesertim in nostro libello, debeat. Ejusdem seculi anno xc, duobus voluminibus in folio, Vitae et Moralia in Aubriorum officina Francofurti edita sunt, eorumque calci adjectae Xylandri notae et index variarum lectionum Aldinae et Basileensis editionis et trium praeterea MStorum, qui litteris T. V. B. significantur, i. e. Turnebi, Vulcobii et Bongarsi; denique Codicis Paul. Petavii, de quo supra monuimus: qui indices a quo confecti sint, ignotum est. Eadem recusa est Parisiis 1620, ita ut paginae respondeant paginis; nisi quod ei Rualdi vita Plutarchi adjecta sit cum Animadversionibus LII. et pluribus scateat operarum vitiis. Sed in his tribus ultimis editionibus non diligentissime versatos esse editores, haud paucis indicatur vestigiis; quorum haec saltem notabo. Nam ab initio

tio fere p. 2. habent ἐὰν δοκεῖ τὴν ζήτησιν, quod mire torsit interpretes. Atqui vel obiter inspectae Aldina et Basileensis eos hac molestia liberare potuissent, quae recte exhibent ἐᾷν. P. 44. cum Ald., Bas. et eas secutus Xylander Ἰνοῦς haberent, primum Stephanus nescio quo errore Οἰνοῦς recepit, in idemque vitium Francof. et Parisiensem induxit. Et haec quidem majoris momenti videantur: minorum lectionum negligentiae innumera exempla adferre possem, si mihi et aliis molestus esse vellem.

De ratione quam in animadversionibus conscribendis secuti sumus, cum de ea lector ipse judicare possit, non est quod multa dicamus. In variis lectionibus enumerandis ac dijudicandis noluimus obscuram diligentiam affectare: expenso cujusque momento breviter significavimus, quid ei tribuendum sit; nisi uno alteroque loco rei ipsius gravitas et difficultas fusius exponere nos cogeret. Sed defuncti, quantum fieri potuit, accuratissime brevissimeque emendandi officio, omnibus viribus in explicatione elaboravimus. Cum enim, ut omnes Plutarchi libri, ex intimis Philosophiae fontibus ducta et omni doctrinarum genere referta sit haec disputatio, operam dedi ut planum facerem, ex cujus sectae doctrina quodlibet placitum fluxerit: historiae, quae adferrentur, qua auctoritate niterentur: et ubique ad quaenam sive Poetarum, sive aliorum scriptorum dicta allu-

luderetur; quod in hac opera maximum momentum ad intelligendum auctorem positum esse, ea neglecta plurimorum locorum neque sententiam neque venustatem percipi posse scirem.

Denique ut hoc loco Erasmi opinionem breviter tangamus, facit viri magni auctoritas. Hic in Adagio Μετὰ Λέσβιον 'Ωιδὸν significavit, se in libro de *Sera Num. Vind.* eam subodorari a ceteris Plutarchi scriptis stili diversitatem, ut dubitaret an ad eundem auctorem referri possit. Non est quod hunc errorem fuse redarguamus. Nam huic quidem libello germanus inest color; verba, structura, sententiarum lumina, dicendi formae, disputandi ratio, habitus denique totius orationis adeo similis reliquis scriptis, ut facile quivis omnes Plutarchei ingenii numeros agnoscat. Itaque cum varii varios Plutarchi libros νοθείας convincere adgressi sint, contra nostrum tamen libellum, qui vel suspicionem hanc moverit praeter Erasmum nemo repertus est: neque is quidem confidenter, sed dubitanter admodum sui dubii injecit mentionem. Constat quoque testibus *Lampria* in Catalogo, et *Sopatro* apud *Photium* Cod. 161. quos laudavit etiam *J. A. Fabricius* B. G. T. III. p. 357. Plutarchum librum scripsisse περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων. Et, si qua est *Thomae Magistri* auctoritas, hic in Voce Δημόκοινος locum ex hoc libro profert, ut p. 42. Animadversionum monui

nuimus. Quare eum genuinum Plutarchi foetum esse, nec ego dubito, nec alios dubitaturos confido.

Denique fragmentum adjecimus, quod, cum hucusque in Stobaeo sub Themistii nomine circumferretur, nos certissimis rationibus Plutarcho vindicavimus. Ad hoc emendandum solum fere adhibuimus ingenium. Nam Stobaeus Bibliothecae Leidensis, cui H. Grotius ex duobus optimis Parisinis MStis lectiones adscripserat, ad hoc quidem fragmentum parum contulit.

Ceterum cum nostra opera eo spectet, ut novae editionis Plutarchi specimen exhibeamus, hoc publice spondeo et polliceor, si homines eruditi dignum judicent Plutarchum, qui suae luci restituatur, et me huic provinciae parem, me omnem curam atque diligentiam ei tributurum atque consecraturum; ea quidem lege, ut me bonorum MStorum subsidiis adjuvent, sine quibus et polliceri quid vanum est, et tentare temerarium. Tu interim B. L. his fruere, nobisque fave. Vale. Ao. MDCCLXXI.

ORA-

O R A T I O

DE

CONJUNCTIONE PHILOSOPHIAE CUM ELEGANTIORIBUS LITTERIS,

HABITA AMSTELAEDAMI IN AEDE SACRA REMONSTRANTIUM, CUM IN EORUM SCHOLA PHILOSOPHIAE PROFESSIONEM AUSPICARETUR, A. D. XIX. NOVEMBRIS ANNI MDCCLXXI.

Cum ex eo tempore, quo ad humanitatis studia animum appuli, hoc semper a Deo O. M. precatus essem, primum ut aliquid proficerem, deinde si quid profecissem, hoc non solus mecum tacitusque perfruerer, sed quam suavitatem ipse percepissem, eandem etiam cum aliis possem communicare, facit me compotem hujus voti hodiernus dies. Cum enim a Vobis, Viri summe Venerandi, quorum judicium magni facere debeo, et lubens semper faciam: cum igitur a Vobis et di-

dignus judicatus essem, qui in Vestra Schola docendi munere fungerer, et ad idem humanissime vocarer, agnovi tandem Divinae Providentiae vestigia, quae mihi munus offerret, quod cum ad suavitatem fructuosum, tum ad laudes honorificum, tum vero tale esset, quod meis votis ab omni parte responderet. Sed in hac tanta laetandi copia duplex me angit sollicitudo, instantis rei timor et futurae metus. Hunc mihi Vestri de me judicii benevolentia injicit, cujus onus sustinere, atque praestare ut ei satis respondere videar, intelligo profecto quam sit difficile. Verum in hoc quidem et ipse tantum efficere conabor quantum consilio atque industria effici potest, et Deum immortalem mihi spero futurum adjutorem. Sed timorem etiam concipio, qui quo praesentior eo gravior est. Nam et Vestra frequentia, H. H. A. A., Vestrique oculi me movent, hominem non solum dicendi rudem, verum etiam nunc primum publice dicentem: et huc accedit, quod vereor, ne sint quibus non satis fausto omine mei muneris auspicia capere videar, nisi orationem afferam, quae et ingeniose excogitata et magno elegantiae cultu exornata sit. Ego vero me, primum quidem, hujus artis ignarum profiteor; deinde argumentum, de quo dicerem, elegi vulgare atque e medio desumtum, sed et rei praesenti in primis accommodatum, et tam late patens, tam sua ubertate utilitateque diffusum,

ut,

ut, si justis laudibus exornari debeat, dicendi genere opus sit eximio quodam ac paene divino. Dicam enim DE PHILOSOPHIAE CUM ELEGANTIORIBUS LITTERIS CONJUNCTIONE. Quare si minus erudite minusque eleganter dixero quam vel pro Vestris ingeniis vel rei ipsius gravitate, hoc a Vobis peto, ut oratoris quidem a me officium et praestantiam ne exigatis, sed mediocritatem et infantiam meam aequi bonique consulatis.

Ac Philosophia quidem, quae recte ab antiquis rerum divinarum et humanarum scientia definita est, et ipsarum rerum, quarum scientiam pollicetur, magnificentia, et utilitatis abundantia reliquis omnibus doctrinis adeo praestat, ut major neque esse neque cogitatione effingi possit. Haec enim, cum et nos ipsos, et hujus universi naturam, et omnium rerum auctorem Deum cognoscere nos doceat, veritatis ac virtutis est magistra, errorum, superstitionum ac vitiorum expultrix, hominum ingenia ad inveniendum et dijudicandum verum acuit, denique res, quae cogitari possunt, singulas atque universas sua magnitudine complectitur, suaque vi pervagatur, ut sine ejus subsidio in nulla disciplina magnopere quis proficere possit. Sed huic tam praeclarae doctrinae tantum abest ut suus semper habitus sit honos, ut potius nulla aetate defuerint, qui eam vexarent, deriderent, exagitarent.

Cu-

Cujus contemtus caussa in ipsam Philosophiam cadere profecto non potest. Nemo enim facile tam inhumanus ferreusque reperiatur, quin cognita ejus praestantia, veluti divinitatis quodam splendore perculsus, eam ex animo veneretur summoque honore prosequatur. Verum ipsi, qui eam profitentur, hanc Philosophiae adsperserunt labem; qui cum in ea docenda commendandaque perversam sequerentur rationem, hominum error ad ipsam disciplinam traductus est, ac Philosophia, cum omnis felicitatis esset conciliatrix, nugarum somniorumque opifex dici haberique coepit.

Hujus calamitatis veluti fontem si indagare velimus, a duplici hominum genere manasse videatur. Cum enim essent qui se et Philosophos dici et imperito vulgo venditare cuperent, abstrusae reconditaeque scientiae speciem affectarunt, hac se jactarunt, et sanctissima Philosophiae sacraria opinionum inanitate, distinctionum futilitate, verborumque barbarie repleverunt atque conspurcaverunt. Sed hos quidem irato, quo nati sunt, Genio relinquamus! Alterum genus eorum est, qui, cum animo quidem ad Philosophiam accederent meliore, errore tamen laberentur non minus gravi. Visi enim sibi sunt ad summum ejus fastigium adscendere posse, si, omni omnino aliarum disciplinarum instrumento destituti, nil nisi contemplationis, ut vocabant, usum atque ex-

exercitium adferrent. Atqui Philosophia tam late patet, ut, qui eam mente comprehendere velit, is non intra humani ingenii augustias subsistere, sed quantum fieri possit, ejus etiam limites velut transgredi et aliunde nova auxilia arcessere debeat Deinde, ut omnes disciplinae quodam affinitatis continentur vinculo, neque altera alterius subsidio facile carere potest, eo magis aliarum disciplinarum adjumento habet opus Philosophia, quo res copia atque varietate plures ipsa complectitur.

Est profecto ita uti dixi, H. H. A. A., tanta est vis et majestas Philosophiae, ut ejus perfectam absolutamque scientiam mortalis naturae infirmitas capere omnino non possit, et recte antiqui dixisse videantur, unicum summum Philosophum esse Jovem. Neque tamen propterea homines desperatione debilitatos totum hoc studium abjicere par est; sed potius quidquid in nostro ingenio viget atque valet, quidquid in eo est reconditarum adhuc virium, id omne excitandum, acuendum, expromendum, ut naturae claustra perfringamus, et vel aliquam hujus divinitatis partem assequamur. Itaque cum aliarum disciplinarum instrumento ingenii vis corroboranda est, tum, de quo dicere constituimus, elegantiorum litterarum studio.

Equidem non dubito fore, qui mirentur, duas res a nobis conjungi, quas communis error adeo dis-

disjunxit, ut vel in utraque valere, vel eas ad mutua auxilia flectere, nemo quisquam posse videatur, et quo quis Graecarum Latinarumque litterarum rudior est, eo aptior ad Philosophiam habeatur. Sed nos non ita nostram mentem accipi velimus, ac si verbis Graecis et Latinis ea inesset vis, ut, quo quis majorem eorum copiam memoria comprehenderit, eo major etiam sit Philosophus; verum hoc dicimus, si quis antiquorum Philosophorum, Historicorum, Oratorum ac Poëtarum lectione ingenium subegerit atque excoluerit, eum ad suscipiendam assequendamque Philosophiam egregium sibi comparasse adjumentum. Atque hoc quidem primum experientiae testimoniis omni exceptione majoribus jam comprobabimus, deinde rationibus ex rei ipsius natura ductis evincemus.

Sive igitur nostram aetatem consideremus, sive antiquitatis memoriam repetamus ultimam, veram Philosophiam cum elegantiorum litterarum studio et stetisse et cecidisse reperiemus. Nam, ut a Graecis ordiar, primum apud ipsos Poësis floruit, cumque Philosophia paulatim subnasci coepisset, ipsa quoque non pedestri sermone sed carminibus illustrabatur. Neminem facile fugiant Solon, Simonides, Epicharmus, Empedocles, Parmenides, Critias, alii, qui simul et Philosophi et Poëtae exstiterunt. Sed eo tempore ipsa Philosophia arctis continebatur finibus, paucos sui

sui habebat studiosos, populoque cum esset suspecta, neque scholas aperire, neque nomen suum in publicum profiteri audebat; et qui ejus studium colebant, ii se Sapientes, Sophistas aut Philosophos nominare non sustinebant, sed, ut nominis invidiam effugerent, musicam tractabant, et prae se ferebant, et in ejus appellationis honestate latebant. Sed ecce! ortus est Pericles, quem inter magnos viros, quos Graecia multos tulit, fere maximum judicem; cui Athenae debent quod Athenae sint, et omnem ingenii atque elegantiae laudem acceptam referunt; cujus et animi magnitudinem, et incredibilem ingenii vim, et res gestas nulla unquam aetas satis admirari, nemo mortalium laudando aequare possit. Is igitur cum Anaxagorae disciplina acerrimum, quem a natura nactus erat, pulcri veriqüe sensum acuisset, humanitatis studia ex Poëseos angustiis, quibus erant circumscripta, liberavit, earum imperium dilatavit, et in omnes disciplinas, ac vitae humanae partes induxit. Eloquentiam excoluit, ut ipse omnium judicio summus habitus sit orator. Musicam auxit atque expolivit. Urbem aedificiorum, statuarum et picturarum exornavit magnificentia, et omnis generis spectaculorum exhilaravit festivitate. Omnium denique harum artium summos accivit magistros, civium ingenia ad pulcritudinis sensum judiciumque assuefecit, elegantiam ad mores vitaeque consuetudinem traduxit ac

G po-

popularem effecit. Quo factum est, ut Athenae omnis humanitatis, et urbanitatis mater, magistra atque sedes et esset et haberetur. Tunc vero in Philosophia quanta rerum facta est commutatio! Scilicet ea, cum hucusque ad paucorum hominum notitiam fuisset adstricta, et rerum abditarum tenebris involuta, nunc ipsa quoque in lucem erumpere, popularis fieri et ad hominum ingenia accommodari coepit. Hinc orti primum Sophistae, qui de omnibus propositis quaestionibus copiose et eleganter dissererent, eloquentiae praecepta traderent, ejusmodique se sapientiae magistros profiterentur, quam si quis teneret, is in omni vitae genere excellere posset. Quod si praestitissent, quis est qui eos de hominum genere egregie meritos esse neget? Verum plerique eorum cum non sapientiae veritatem, sed fictam speciem, traderent; venit, tamquam a coelo demissus, Socrates, qui Sophistarum fastum retudit atque exagitavit, homines, qui se ad suam disciplinam applicarent, ab opinionis inanitate ad scientiae veritatem revocavit, admonuitque, ut se ipsos nosse discerent, ne ultra humani ingenii vires sapere conarentur, et, si in aliqua re proficere vellent, periti esse potius quam videri studerent. Ex hujus disciplina, veluti ex sapientiae fonte, magnus effluxit discipulorum numerus, Xenophon, Plato, Aeschines, Antisthenes, Aristippus, Phaedon, Simmias, Cebes, aliique, qui, quan-

quantum doctrinae subtilitate, tantum disserendi valuerunt elegantia; ut ejus artis ab omni aetate summi haberentur magistri Socratici. Ac Xenophon quidem ob orationis dulcedinem Attica apis dictus est. Platonem vero quis nescit tanto studio in Poësi, Oratoria, et omnis pulcritudinis disciplina versatum esse, ut fere proverbii loco ab hominibus diceretur, Deos, si humana voce loqui vellent, non nisi Platonis usuros fuisse sermone? Hujus ingenii ubertas duas effecit Philosophorum scholas, Academiam et Lyceum, quae, cum placitis inter se discreparent, venustatis tamen studium commune sequebantur. Et Academiae adeo constans haec fuit laus, ut cum ejus quis nomen diceret, elegantiae officinam diceret, et Academicus nec esset, nec haberetur, qui non idem elegans homo esset. Lycei vero conditor Aristoteles, motus Isocratis oratoris gloria, prudentiam cum eloquentia conjunxit, et tantum effecit, ut nemo distinctius politiusque scripsisse dicatur. Ejus autem discipulus Theophrastus a divino dicendi genere nomen invenit. Hinc brevi Philosophia per omnes Graeciae partes diffusa florere coepit. Atqui cum constet, omnes hos Philosophos infinitam elegantiorum litterarum vim animo comprehendisse, et omni pulcritudinis studio ingenia excoluisse, nonne magno argumento esse debet, Philosophiam per elegantiae disciplinas crevisse, floruisse, hominibusque commendatam fuisse?

Transeamus ad Romanos, apud quos Philosophiae incrementa iisdem intervallis distincta videbimus. Etenim cum ab Urbe Condita continuus belli armorumque strepitus Musis omnem praeclusisset aditum, primum Livius Andronicus fabulas docendo, post Naevius, Plautus et Ennius, Romanorum ingeniorum duritiem carminibus mollire, eaque ad hilaritatem traducere, atque adeo Philosophiae et viam munire et facem praeferre coeperunt. Quod clarissime eluxit, cum Atheniensium legati Carneades, Diogenes et Critolaus, trium Philosophiae scholarum principes, Romam venissent. Hi enim cum magna eloquentia suam caussam in Senatu perorassent, adeo cepit haec suavitas Romanos juvenes, ut nobilissimus quisque maximo studio ad eos audiendos advolaret, et brevi tanta eorum scholae celebrarentur frequentia, ut metuens M. Porcius Cato, ne juvevenes paulatim a veteris disciplinae severitate desciscerent, auctor esset Senatui, ut Philosophos honeste domum remitteret, et lege lata horum et oratorum scholas urbe prohiberet. Verum, sparsis semel in Romanorum ingenia his seminibus, generosos eorum impetus reprimere haud potuit legis iniquitas. Quin Laelii et Scipionis auctoritate restitutus est suus Philosophiae honos; neque ab eo tempore repertus est facile Romanus quin alicui Philosophorum familiae nomen operamque daret. Mittamus alia, hoc unum obser-

vas-

vasse sufficiat: omnes hos Philosophiae apud Romanos statores instauratoresque elegantioribus litteris in primis deditos fuisse. Quid de Laelio et Scipione, quos nominavimus, dicam? Quid de Lucullo, Catone, Nigidio Figulo, Varrone, Bruto et Cicerone? Quin ii, qui se in Epicuri castra, in quibus elegantiae minus quam in ceteris tribuebatur, contulissent Romani, humaniorum litterarum studiosissimi fuerunt. Non est quod haec multis demonstrem; noti sunt Pisones, Papirii, Trebatii, Cassii, et superest adhuc Lucretii divinum carmen. Ac Attico quidem ipso hoc argumento persuadere conatur Cicero, eum Epicureum non esse, quod nimium elegantiae tribuat. Itaque, Amafanius aliique, qui disserendi genus sequebantur horridum et incultum, brevi explosi et a ceterorum venustate obruti sunt.

Veniamus ad nostram aetatem, quae exemplum nobis praebet, quo excogitari illustrius nullum omnino posse videtur. Cum enim jam fere ab eo tempore, quo barbarae gentes in Romanum invaserant imperium, extinctum esset doctrinarum lumen, hominumque ingenia ignorantiae, superstitionis et barbariei veluti servitute oppressa jacerent, nonne humaniorum literarum studio lux libertasque restituta est? Signum ad eam rem primus extulit Dantes Aligerius, primarius inter Italos Poëta, qui plurimas Platonicae doctrinae suavitates suis adspersit carminibus, hominesque ad

 ele-

elegantem ac popularem Philosophiam adducere studuit. Prodiit ex ejus disciplina elegantissimi vir ingenii Franciscus Petrarcha, qui ut omnis venustatis doctrinas cognitas perspectasque habebat, ita Philosophiam vitae morumque magistram pulcherrimo exornavit orationis genere. Ad hujus imitationem cum se conferrent Joannes Boccacius, Leonardus Brunus, Angelus Politianus, Philelphus, Pontanus, Graecas Latinasque litteras revocarunt, ruptumque illud diu Musarum cum Philosophia vinculum restituerunt. Quod quidem clarissime in Laurentio Valla apparuit, qui maximo studio Philosophiam a sordibus purgavit, et veteris barbariei defensores salsissime exagitavit. Quo factum est ut, capta a Turcis Constantinopoli, Graeci, qui in Italiam confugerent, benignissime exciperentur, aliique ad excolendas litteras acerrimo laudis stimulo excitarentur; quorum in primis Marsilius Ficinus, Jacobus Faber, Marius Nizolius, Ludovicus Vives, et divini ingenii infinitaeque eruditionis viri Petrus Bembus, Jacobus Sadoletus, Picus Mirandolanus, et Erasmus Roterodamensis, felicissime veteris Graeciae Latiique praesidia ad emendandam Philosophiam adhibuerunt. Itaque inventa chalcographia, cum Platonis, Aristotelis, Ciceronis, similiumque libri in lucem ederentur, tanto et studio excepti, et fructu frequentati fuerunt, ut ad veram doctrinam sine eorum assidua lectione pervenire nemo quisquam

quam posse crederetur. Hoc lumine homines, tamquam ex somno excitati, circumspicere, quid et ubi essent cognoscere, ac, veluti eos longi soporis poeniteret, omnibus viribus eniti, ut quantum priora secula ignorantiae tenebris immersa jacuissent, tantum ipsi ad cognitionis lucem emergerent. Tum vero contra antiquae Pontificiae superstitionis tyrannidem, quae hominum ingenia foedissima servitute constricta tenebat, eorumque animos veluti superne a coeli regionibus dira horrendaque facie terrebat: contra hanc igitur oculos attollere, ejus fulminis murmura ridere, fabularumque nugacitatem explodere ausi sunt. Itaque Scholastica barbaries, qua veluti munimento ista superstitio septa erat, eodem casu tremefacta concussaque est. Nam Scholastici, qui jam sibi solis Philosophiae vindicarant nomen, idque somniorum inanitate et verborum sordibus infame reddiderant, dejecti tandem sunt ab injustissima possessione, et factum est, ut Philosophia suum nomen reciperet, neque amplius disputandi fallaciarum, sed bene cogitandi ac vivendi magistra haberetur. Et ab eo inde tempore hoc constans certissimaque experientia comprobavit, primum, quo quaevis gens plus tribuit studiis humanitatis, eo magis in ea verae Philosophiae floruisse rationem: deinde omnes eos viros, qui ad augendam emendandamque Philosophiam aliquid operae adtulerunt, et quos Eclecticos vocamus, quod

 nul-

nulli se Sectae in servitutem addicunt, sed ubique quod verum bonum pulchrumque sit eligunt: hos igitur omnes maximo studio elegantioribus litteris ingenia excoluisse reperiemus. Infinitum est singulos enumerare, primarios nominasse sufficiat. Gratissimum inter Reformatores Musis fuit nomen Melanchthon. Eandemque sibi vindicant laudem Joachimus Camerarius et Conradus Gesnerus. Quid divinum Scaligeri ingenium, et Belgici nominis aeternum decus Hugonem Grotium dicam, quorum uterque de bonis litteris et humanitate immortaliter meritus est? Quid Angliae sidus Baconem Verulamium? Quid Petrum Gassendum, virum omnis elegantiae et antiquitatis peritissimum, acerrimum Democriti et Epicuri defensorem? Vigent adhuc et omnium manibus teruntur scripta Montani, Vayerii, Huëtii. Neque defraudandus est sua laude Joannes Clericus, vir ut in omni doctrinarum genere versatus, ita Philosophiae in primis peritus, et nostrae quondam Scholae singulare ornamentum. Possem et alios memorare, et veneranda nomina, Cartesium, Leibnitium ac Newtonum, qui omnes elegantioribus litteris, veluti jacto fundamento, Philosophiae aedificium superstruxerunt,

Cum igitur videamus, in tribus maximis iis post hominum memoriam ingenii humani commutationibus, apud Graecos, Romanos, et nostra aetate, ad expellendam barbariem restituendamque hu-

ma-

manitatem elegantiores litteras primam machinam movisse, Philosophiae praeivisse, praeluxisse, ad hominum mentes aditum aperuisse, earumque studia a summis viris copulata fuisse; necesse profecto est in eam cogitationem incidamus, naturale esse quoddam vinculum quod eas connectat atque contineat. Hoc quale sit, age consideremus. Ac primo quidem hoc quivis statim videat, Philosophiam, cum suavitatem utilitatemque suam non ita in promptu sitam habeat, ut cuilibet primo obtutu in oculos incurrat, non nisi rerum, quas pollicetur, magnitudine amatores sibi comparare posse. Verum earum rerum fructus cum non ab initio appareat, sed superata demum magnarum tenebrarum difficultate percipi possit, eo fit ut quamplurimi, qui hoc taedium devorare nequeunt, absterriti aufugiant. Viderunt ergo antiquissimi sapientiae magistri, Philosophiae severitatem elegantia quadam mitigandam, ad ejusque studium homines dulcedine alliciendos, allectosque detinendos esse. Hinc primum orta est Poësis Philosophica; hinc postea omnes Philosophi, qui eleganter et copiose disserebant, plurimos nacti sunt sui studiosos, qui vero horridum et incultum sequebantur disputandi genus mox in contemtum devenere explosique sunt. Neque mihi quis forte Stoicos et Epicureos objiciat, quorum scholae magna hominum frequentia floruisse dicuntur, qui venustatis non admodum studiosi fuerunt. Nam

Stoici quidem, cum per suam disciplinam aditum ad sapientiam patere dicerent, quam si quis teneret, idem beatus, dives, pulcher, rex esset; his jactandis promissis efficiebant, ut ad sua castra multi se conferrent. Epicurei eo quod eorum ratio hominum imbecillitati accommodata esse videretur, et blandae voluptatis illecebris, plurimos ad se alliciebant. Sed praeterea, quantumvis hoc neglecti cultus vitium utrisque objici posse non diffitear, hoc tamen de vulgari eorum turba solummodo valet; nam meliores quidem adeo non ab elegantiae studio remoti fuerunt, ut potius eo haud mediocriter exculti ornatique essent. Solum scribendi genus eorum non erat arte factum, aut leniter fluens, aut luminibus frequens, sed simplex, purum castumque, quale vel hodieque in fragmentis Zenonis, Chrysippi, et Epicuri conspicitur. Denique supersunt monumenta, quae utrique Scholae elegantiae laudem efficacissime vindicent, Stoicis Seneca, Epicureis cum alii, tum Lucretius, Lucianus, ac Celsus ille, contra quem scripsit Origenes. Sed non est profecto, quod horridae hispidaeque Philosophiae exempla in veterum nonnullis culpemus. Heu! nostra aetate quam sunt obvia, quam incurrunt in oculos! nostra aetate, quae feracissima fuit eorum hominum, qui se Philosophos dicerent, et, tanquam sapientiae involucro, disserendi barbarie atque obscuritate se involverent. Sed hi quidem cum aliquamdiu hominum studia tenuissent, eorum scilicet, qui quid pulchrum

chrum utileque esset nescirent, mox ab injusta gloria depulsi sunt. Nimirum clarum apertumque est, Philosophiam, cum ipsa doctrinarum sit pulcherrima, non nisi naturali via, id est, pulchritudinis commendatione, in hominum ingenia se insinuare posse.

Sed elegantiores litterae Philosophiam non solum suavem et jucundam, verum etiam utilem et fructuosam generi humano reddunt. Quod ut clarum fiat, Philosophum nobis parumper animo et cogitatione fingamus. Primum igitur cum omnes res, quae Philosophiae subjectae sunt, ad tria universalia revocari possint capita, ad verum, bonum, et pulchrum, noscat haec tria genera. Quamquam ab innumeris jam annis usque ad nostram fere aetatem hic error invaluit, ut doctrina de pulchro potius ad aliam quamvis disciplinam, quam ad Philosophiam, pertinere putetur. At viderat jam Anaxagoras, esse universalem quandam notionem ac vim pulchritudinis, quae per totam rerum naturam adeo diffusa sit, ut in singulas minimasque res influat, eam diversam esse a bono, vero, ac perfecto, propriamque sibi ac definitam habere essentiam. Inde varia elegantiorum litterarum genera oriuntur: inde officii, virtutis, atque honestatis ratio nascitur, quam nisi aut totam, aut majorem partem, ex hoc fonte derivet, nae is virtutem efficiat, quae parum isto nomine digna videatur. Ad hanc Anaxagorae descriptio-

nem

nem totam vitae rationem instituit Pericles, hanc secutus est Plato, hanc Stoici, hanc omnes veteres, qui omnibus ingenii viribus in pulchritudinis veram notionem inquisiverunt; eaque deserta per longum tempus et relicta, tandem novissima hac aetate ab elegantibus quibusdam hominibus in Philosophiae gyrum redacta revocataque est. Primum igitur teneat Philosophus haec tria genera veri, boni, et pulchri, ut, ex omnibus rebus, quaenam ad eorum quodvis pertineat, notum perspectumque habeat. Deinde humani ingenii vires cognoscat, quomodo acui augerique possint, quinam omnis cognitionis sint et fontes et limites, qua via ad certitudinem, sive ad eam ejus metam, ultra quam homo progredi nequit, perveniri possit. Denique in Divinae Naturae ac coelestium rerum consideratione versetur, quae ut omnium maximi momenti, sic naturale quoddam animorum pabulum, et plena honestissimae voluptatis est. Sed in ista contemplatione si subsistat Philosophus, sibi sapiens, aliis non sapiens erit. Unde jam Thaletis temporibus hoc Philosophiae vitio datum fuit, quae in coelo sunt eam cernere, cum vero mentis aciem ad res communes et in medio positas convertat, tum vero caecutire et vertigine corripi. Hoc ille, quem nos fingimus, non faciat. Cum enim duplex sit Philosophiae officium, alterum quod in contemplando, alterum quod in agendo consistit, turpe sibi ducet alterutrum de-

ser-

sertum relinquere; a contemplatione ad actionem progredietur, ex umbra in solem prodibit, operamque dabit, ut sua bona cum aliis communicet. Hic se ad observandos hominum mores actionesque dabit, experientiam, certissimam rerum magistram, et ejus vicariam, vitae lucem, historiam, in auxilium vocabit, conversionum mutationumque momenta nosse, ingeniorumque varios recessus indagare studebit, ut sciat qua ratione quaevis res efficiatur, et hominum animi ad quamcunque rem quomodo flecti, quomodo a vitiis deterreri, ad virtutemque impelli debeant. Tum vero videbit, subtilissimas illas de bono et malo demonstrationes ad commovendum perexiguam habere vim, et, quamvis certam, tamen non nisi levissimam, et quae animum non tangat, efficere persuasionem; contra omne momentum esse in exemplis, quorum vis tum vehementi motu ingenia percellit, tum iis leniter virtutis amorem instillat, et usu exercitioque firmum stabilemque reddit. Sic summus ille Pericles, cum ex Anaxagorae disciplina accuratissimam mentis humanae, veri, pulchri, et boni cognitionem hausisset, ingenii aciem, quam rerum reconditarum et intelligibilium consideratione exercuerat, ad res populares communisque utilitatis traduxit, et a contemplatione ad civium suorum ingenia emendanda excolendaque transiit. Id vero quomodo adgressus est? An forte scholas aperuit, in quibus magistri praecepta sub-

tiliter explicaret? Minime vero! Noverat enim hanc rationem austeriorem esse, quam ut universo populo placere posset: Poësin, Musicam, Comoediam, Tragoediam, Oratoriam, et omnis elegantiae studium induxit, ut Athenienses pulchri honestique sensu inbueret, et penitus inficeret. Atque his suavitatibus tantum abest ut eorum animos enervarit debilesque reddiderit, ut potius ad maximas quasque res capessendas excitati impulsique fuerint. Itaque bello Peloponnesiaco, cum Athenae extra obsidione premerentur, intra gravissima fame ac peste laborarent, tanta prudentia animorum habenas tenuit et moderatus est, ut Athenienses potius famem, pestem, funera, caedes, incendiaque suorum, invicto et incredibili animi robore perferrent, quam vel parum a laudis et constantiae tramite recedere vellent. Nec vero Plato solum de Ideis disputavit; sed eam Philosophiae rationem, quae divinarum rerum amorem, humanarum contemtum adfert, Dialogorum suavitate commendavit, et elegantiarum floribus conspersit. Prodierunt ergo ex ejus Schola non solum Philosophi, in quorum se disciplinam venustissimus quisque lubentissime daret; sed duo etiam nobilissimi juvenes, qui patrias suas a tyrannorum dominatu liberarent, Chion Heracleënsis, et Dion Syracusanus. Et Chion quidem, cum occidisset patriae praedonem Clearchum, ipse quoque occubuit, generosissimique odii conatum sua morte

se-

sedavit. Dion vero, Platonis obtemperans consiliis, maxima fortuna Dionysium expulit Siciliamque liberavit. Neque Aristoteles Categorias aut Topica Alexandro ediscenda dedit; sed de virtute, de animi magnitudine, de republica gubernanda disseruit; et exemplis, ex Poëtis omnique historia desumtis, eam rerum humilium despicientiam, eum magnarum excelsarumque amorem ei ingeneravit, quo totum terrarum orbem domuit, et litterarum humanitatisque lucem in remotissimas barbarorum diffudit gentes. Quare teneamus hoc, H. H. A. A., Philosophiae subtilem rerum intelligibilium cognitionem, veluti fundamentum, sine quo consistere nequeat, esse subjectum; sed ut nomen suum absolvat, ut humano generi ad virtutem, ad sapientiam, ad vitam denique beatam dux esse possit, ad hoc vero experientiae atque historiae luce opus esse, ne in vitae ratione caecutiat, sed ut ipsa, cum quibus agendum est, hominum ingenia noscat, neque nudae veritatis austeritate deterreat, sed suavitate alliciat et retineat; cujus utriusque rei omne profecto momentum in elegantioribus litteris positum est.

At, dicat quis forte, fuerit ut ad suavem popularemque reddendam Philosophiam multum conferant elegantiae studia; quid vero dices de Logica, Metaphysica, aliisque severioribus disciplinis, quibus cum elegantia nil commune esse videtur? Utrum has quoque ludicrarum tuarum artium ad-

ju-

jumenta requirere ais? an hoc potius clarum perspectumque est, eas graviores augustioresque esse quam quae tam levia auxilia desiderent? Huic placide ita respondeamus. Recte mones, o bone, sed non tam recte quam tute tibi videris. Quod si enim, ut apud Scholasticos fuit, et adhucdum apud quosdam est, inexplicabilia somnia his scientiis continentur, fateor, lubensque tibi accedo, elegantiae studia cum iis commercium habere nec velle nec posse; et te harum nugarum opificem futurum eo majorem, quo magis a doctrinae elegantia remotus sis. At si Metaphysicam eam vocare lubeat, quae cognitionis humanae certa contineat principia, Logicamque, quae veri inveniendi dijudicandique rectam monstret rationem, ac si omnino rerum veritatem, non opinionis inanitatem, quaerimus, harum omnium percipiendarum egregias esse moderatrices elegantiores litteras, id vero magna asseveratione contendo. Idque ut tibi planum faciamus, hoc nobis des, ut via nostra procedere liceat, primumque experientiae testimonia proponamus, deinde rei naturam explicemus. Etenim, quod diligenti observatione certum est, qui ab ineunte aetate soli litteraturae studio se dediderunt, ii plerumque Philosophiam rident, neque de his rebus aliquid statui, aut omnino ad absolutam veritatem perveniri posse, arbitrantur. Cum enim in Critica arte quid verum pulchrumque sit non Mathematica ratione de-

demonstretur, sed quodam probabilitatis sensu judicetur, qui non ut percipitur ita semper explicari potest, eo majori inconstantia versari et fluctuare res Philosophicas putant, quo ipsae sunt ceteris abstrusiores. Contra qui se juvenili aetate ad Philosophiam applicuerunt, neque, quodam veluti temeritatis freno, litteratura coërcentur, ii, propter judicii imbecillitatem, cum in quamcunque opinionem incidunt, eam arripiunt mordicusque tenent, tum ad quemcunque et magistrum et sectam sunt tanquam vento delati, ad eum veluti ad scopulum adhaerescunt; tum si forte Logices Metaphysicesque praecepta percepisse sibi visi sunt, de totius Philosophiae majestate ex compendii, quo inclusi sunt, judicant angustiis; tum vero sibi pulchri beatique videntur, jamque sapientiae arcem se tenere totumque veritatum et opinionum regnum suis pedibus subjectum esse putant, et, veluti quidam tyranni, in eo superbe grassari conantur. Nulla res adeo difficilis abstrusaque est, de qua non in alterutram partem audacter pronuntient, et dissentientes sine misericordia damnent. Denique se solos sapere credunt, reliquos, ejusdem insanientis sapientiae expertes, tenues volitare ut umbras. Quid de his dicamus? Nonne utrumque ab alterutra parte a recto tramite aberrare? Quid vero si quis ab utraque parte bene temperatus sit, atque hunc asseverandi rigorem elegantiorum litterarum cautione ac dubitatione relaxaverit ac mitigaverit?

Quod si igitur quaeramus, cur antiqui tam egregios ediderint Philosophiae fructus, recentiores vero, saeculis illis Scholasticis, nil nisi sordes abortusque procreaverint, caussam reperiemus hancce verissimam; nimirum veteres primum elegantiae studia percipiebant, deinde se ad Philosophiam applicabant: recentiores contra et primum et solum se Philosophiae dabant. Nam Graeci quidem et Romani filios, quam primum per aetatem licebat, Grammaticis in disciplinam dabant, apud quos Poëtarum, Oratorum, Historicorumque admonitionibus, sententiis, et exemplis erudirentur: qua elegantia imbuti ad concipiendam Philosophiae magnitudinem idonei reddebantur, in ejusque studio intra justos fines pulchrae utilisque veritatis continebantur, ne in nugarum vanitatem evagarentur. Contra Gothi, Franci, Allemanni, Longobardi, cum illam semel a mentibus abstersissent immanitatem, vel sic tamen litteris aut parum tribuerunt, aut earum studium Theologia circumscripserunt, sacerdotibusque reliquerunt. Nam honestissimi illi Caroli M. conatus irriti fuerunt, et lux illa accensa simul et exstincta fuit. Neque melior fere ratio apud Constantinopolitanos erat; nam et ibi ignorantia regnabat, veteresque scriptores et dicebantur et habebantur profani, eorumque lectio subinde impia, nedum honesta putabatur. Sed tamen cum expeditionibus illis contra Saracenos, quibus a Servatoris Cruce nominis honorem addiderunt, non-

nul-

nulli ex Oriente in Occidentem apportassent studium Philosophiae, idque invalescere coepisset; ad hoc homines inculta rudiaque adferebant ingenia, quae de ejus doctrinae magnitudine vix suspicari, nedum eam aut capere aut agnoscere possent. Hinc inani obscuraeque diligentiae se dabant! Hinc monstra pepererunt, quae nemo non stultissimus sine risu audire possit! Hinc Philosophia, lux veritatis, magistra superstitionis esse coacta est! Hinc germanus ejus flos et foetus veluti siti exustus repressusque exaruit!

Sed ab experientia ad ipsam rem progrediamur, ejusque rationes altius repetamus. Perfecta eruditio ex duplici laude spectatur, altera rerum, quae cognoscuntur, copia atque praestantia, altera cognitionis ipsius subtilitate ac facilitate. Nam et rerum omnium, quae quidem utilitatem atque ornamentum afferant, cognitio adesse debet; et eam in mente non indigestam et confusam jacere, aut incerto motu fluctuare, sed certa sede fixam, diligenter ad scientiae ordinem dispositam et ad veritatis leges exactam esse oportet; ne, cum opus est, res diu quaerendae ac veluti tardo delectu conscribendae sint, sed ad nutum mentis celeriter ac instructae advolent. Haec felicitas quomodo sit comparanda videamus. Atqui sevit Deus in mentes nostras omnium, quas quidem per naturam capere potuimus, doctrinarum semina; ut nulla fere sit ars atque scientia adeo difficilis et recondita,

quin ex humani ingenii segete, si recte colatur, procrescere possit. Haec igitur semina ne consopita pereant, sed suum fructum in lucem proferant, hoc opus, hic labor est. Sed ad ea excitanda quamnam adhibebimus disciplinam? Dicunt utilissimam esse Mathesin; hanc igitur experiamur. En, didicimus Mathesin. Quid ea consecuti sumus? Consuetudinem contraximus ordine cogitationes disponendi, et ratione ac via disserendi, quod profecto maximum est; sed aliam praeterea scientiam tantum abest ut adepti simus, ut potius in plurimarum utilissimarumque rerum ignoratione versemur. Quare Logicam et Metaphysicam adeamus. Ac in iis nisi quis veram sequatur rationem non scientiae veritatem, sed opinionis vanitatem, audaciam arrogantiamque consequatur. Sed fac rectam adhibitam esse rationem; eodem tamen revolvamur, quo in Matheseos studio. Scilicet hae disciplinae quamvis res tradant dignissimas scitu, mentisque habeant utilem agitationem, et lucem ei inferant haud contemnendam, non satis tamen iis inest virium ad excitandum cognitionis florem ac varietatem, neque solae eo perducere possunt ingenium, ut aliquando suae naturae perfecto fruatur bono. Deinde habent fere eam vim, ut homines, qui earum rectum usum non intelligunt, ad se solas alligent suaque severitate constringant; unde fit, ut ad elegantiam frigeant, in vitae ratione peregrinentur, elegantiores litteras leve quid-

quiddam ac ludicrum, gravi certe homine indignum putent; neque suspicari omnino possint, eas filias esse tertiae illius Philosophiae, cui Pulchritudinis regnum subjectum est. Quid igitur faciendum? Confugiamus ad ipsas has elegantiores litteras. Hae vero, quam primum ingeniis applicantur, tum ea fortiter movent, multimodis cogitationum curriculis exercent, ac in omnem cognitionis varietatem diducunt: tum inertia doctrinarum semina excitant, et internum sensum veluti ex morte ad vitam reducunt; unde brevi animi opportunitates evolvuntur atque explicantur, et omnigenae cognitionis elegantiaeque foetus efflorescit. Sed hic cavendum est ne sua fertilitate sibi ipsa obsit natura. Cum enim huic luxuriei indulgent ingenia, pervolitant Musarum hortos, flores undique quaerunt, decerpunt, pascunt; temere insiliunt, desiliunt, agitantur; unice illum, quem vocant, pulchritudinis sensum gustumque adfectant, hunc nutriunt, laudant; Philosophiam vero, reginam Disciplinarum, et ejus ministram Demonstrationem omnis certitudinis effectricem, nugarum somniorumque magistras vocant, rident, contemnunt, abjiciunt. Tum vero laboranti ingenio succurrendum, providendumque ne suas vires in auram effundat; neque forte exspectandum donec hi fluctus sponte deferveant, et dies ipsa judicii constantiam maturitatemque adferat; sed ratione temporis auxilium praecipiendum. Atque

 hu-

hujus rei unica profecto verissimaque medicina a Philosophia petenda est. Ad hanc igitur accedamus, huic nos tradamus. Ac ea primum lascivientem ingenii agitationem sua severitate temperat, intra justos fines coërcet, et legum suarum necessitati adstringit; deinde rerum caussas perspicere, dividendo ad minimas partes pervenire, partesque iterum ad summam componere, formas generaque rerum colligere, mentis aciem ab aspectabilibus avocare, et ad intelligibilia aeternaque exemplaria transferre, docet; denique non amplius in vehementia inconstantiaque perceptionis subsistere nos sinit, quam cum nec ipsi distinguere nec aliis explicare possumus, Sensum appellamus, in eo acquiescimus nobisque placemus; sed propius ad veritatem adducit, ut, quod sensu vago confusoque percipitur, id ratione judicioque cognoscatur et perspiciatur. Ita vera, perfecta, absolutaque doctrina neque existere potest, nisi elegantiorum litterarum studio excitetur, neque perfici suumque statum obtinere, nisi Philosophiae luce illustretur.

Constat etiam rerum notiones cum verbis arctissime esse connexas, neque solum eorum instrumento cum aliis communicari, sed etiam in anima ideas verbis veluti vinculis alligari, ne temere oberrent et inter se confundantur. Cujus sententiae prima semina sparsit Plato, eamque ex hodiernis acutissimus Philosophorum illustravit

Loc-

Lockius. Quod si ita est, quis tandem neget, ejus, qui verborum potestatem recte teneat, notiones non vagas, sed certas, fixas definitasque esse; deinde in disserendo ambiguitatem, errores et logomachias cum felicius multo quam ceteri effugere posse. Atqui hujus rei optima profecto est magistra ea Critices pars, quae Grammatica vocatur, quae bene loquendi et scribendi viam aperit, idque maxime agit, ut cuilibet verbo justa descriptaque notio subjiciatur.

Deinde elegantiae disciplinae, cum eas res tradant, quibus ad assentiendum non Geometrica vi cogimur, sed probabilitate adducimur, adsuefaciunt nos, ut veritatis numeros undique indagemus, et quid in utramque partem dici possit, id omne suis momentis ponderemus. Quae ratio ut in omni doctrinarum genere multum, sic in Philosophia plurimum valet. Cum enim duplex ejus in indaganda veritate sit munus, primum ut res, quae sub sensus cadunt, diligenter consideret, et quid cuique insit attente observet atque examinet; alterum ut cogitationem a rebus sensibilibus ad res intelligibiles transferat, justas certasque effingat notiones, perspiciatque quomodo cum aliis connexae sint; non video quomodo feliciter in eo genere versari quis possit, nisi eam viam sequatur, quam Critica praescribit. Nam primo quidem non temere cuilibet assentietur rei, sed rerum abstrusarum, in quas se immisit, magnitudinem

ac difficultatem reverens omnia primum excutiet, ubique circumspiciet; ut erroris opinionisque effugiat insidias. Cumque in exquirenda aliqua veritate occupatur, non animo per immensum idearum regnum temere vagabitur, quo exitum reperire humana ratio nullum potest; sed ad res sensibiles semper respiciet, experientiamque et observationem certissimas sequetur duces.

Denique ut omnium doctrinarum, sic etiam elegantiorum litterarum fundamenta et principia Philosophia continentur. Ac Rhetorica quidem, ut jam Zeno dixit, dilatata est Dialectica. Eique in dispari genere similis est Poëtica, quae et ipsa animorum movendorum rationes tradit. Historia cum conversionum momenta, et ingeniorum rationes variosque recessus explicet, ipsa quoque in Philosophiae aedificio sibi locum vindicat. De Grammatica idem jam Plato vidit, neque hodie post Leibnitium Lockiumque quisquam est qui dubitet. Sed hae omnes disciplinae cum veri pulchrique sensum et judicium acuant, earumque domina, Critica, has res inveniendi dijudicandique sit magistra, quis non videt, et id unde veniunt, et viam qua progrediuntur, et ea ad quae tendunt quaeque efficiunt, haec omnia, quantacunque sunt, ad ipsam pertinere Philosophiam.

Sed quae hactenus disputavimus, A. A. H. H., eo spectant, ut generatim elegantiae disciplinis ad percipiendum, dijudicandum, inveniendumque quid

quid in Philosophia verum pulchrumque sit, ingenia acui et idonea reddi demonstraremus. Neque haec laus adeo propria est antiquis litteris, ut recentiores in eandem societatem nequaquam admittant. Quin et his tanquam sororibus non parvam ejus, veluti hereditatis, partem concedunt; sibi majorem saltem vindicant, eoque majorem quo plura perfectioraque elegantiae exempla Graecis Latinisque monumentis continentur. Nunc ad eam litteraturae partem venimus, quae ad solam antiquitatem pertinet; quae in veterum Philosophorum scriptis placitisque versatur, cujusque ubertas tam late patet, ut ad veram et accuratam Philosophiae scientiam sine ea nemo quisquam pervenire possit. Ea enim cum antiquorum in Philosophia inventa tradat, commonstretque qua ratione alii veritatem assecuti sint, alii ab ea aberraverint, quibus gradibus ingenium humanum incrementa ceperit, non solum ipsarum rerum copia Philosophiam locupletat, sed plurima utilissimaque exempla praebet, quomodo via ac ratione progrediendum sit: eademque cum doceat, quanta sit in rebus illis obscuritas, quanta humanae mentis imbecillitas, ut maximi ab omni aetate viri de iis inter se dissenserint, animum ad modestiam conformat, adsuefacitque ut caute ac dubitanter pronuntiemus, aliorumque dissensum lenissime feramus. Quae res si, uti clara certaque est, ita a quolibet intellecta acceptaque esset, non erat

profecto, quod de ea amplius diceremus. Nunc vero videor mihi eorum voces audire, qui veteres in Philosophia aut parum valuisse, aut joculares errores commisisse vociferantur. Repetunt inde a Thalete Milesio eorum exempla, qui vel perversam philosophandi rationem secuti, vel ridiculas opiniones tutati sint; nullus est antiquorum illorum sapientiae magistrorum, cujus famae non aliquam labem adspergant; ut nil ab aegroto dormiente adeo absurdum somniari potuerit, quod non veterum Philosophorum aliquis serio vigilans asseruisse videatur. Quid prius conqueramus? Ipsorumne Philosophorum sortem, qui cum totius vitae studium in exquirenda veritate, superstitione et errore exstirpandis posuerunt, nunc tam injustam immeritamque ferant mercedem? An vero istorum contemtorum dementiam atque infelicitatem, qui cum uberrimos fructus ex antiquis capere possent, non satis habent eos negligere, sed ad excusandam suam desidiam turpissimo se inquinant invidiae atque maledicentiae crimine? Age vero in istius erroris causas inquiramus, veteresque Philosophos, quantum in nobis est, in suae auctoritatis possessionem justis vindiciis restituamus. Ac video quidem me, cum jam ad finem mea spectat oratio, eam disputationem suscipere, quae si exhaurienda atque peroranda esset, et dies me et latera deficerent. Sed semel in altum ingresso vela nimirum danda sunt, allaborandumque,

ut

ut brevissimo cursu, quo tendimus, perveniamus; faciuntque mihi ingenia vestra hanc fidem, ut totam quaestionem in satis clara luce positam arbitrer, si ejus vel praecipua capita leviter explicuero. Itaque reperiemus hos antiquorum Philosophorum vituperatores ex uno et altero eoque jejuno historiae Philosophicae compendio de tanta re existimare. Sed, ut omittamus hos a male feriatis compilatos libellos, tantum abest ut ex diligentissimis hodiernis scriptoribus justa absolutaque veteris Philosophiae notitia comparetur, ut ea vix ex ipsis antiquitatis fontibus abunde hauriri posse videatur; eo quod neque centesima pars ex veterum libris ad nostram pervenit aetatem. Nam ut a Pythagora incipiam, qui primus Philosophiae nomen et nomini famam peperit; nonne et ipsius ratio fabularum tenebris obvoluta est, et Pythagoreorum, qui per multa saecula magnam Graeciam auctoritate et disciplina tenuerunt, quid, quaeso, praeter paucissima restat fragmenta? Quid de Empedocle, Xenophane, Heraclito ac Democrito dicam? qui abstrusissima naturae penetralia mira sagacitate investigarunt, investigataque explicarunt? Quid de Jonica schola, Thalete, Anaximene, Anaxagora et Archelao? quos mentis humanae ac mundi naturam sollertissime indagasse constat. Omnia horum scripta communi litterarum periere naufragio! Neque multo meliorem fortunam experti sunt qui ex Socratis schola pro-

die-

diere Philosophi. Et de Socratis quidem dictis factisque unde constat quam ex Xenophonte et Platone? Nam illa elegantissimorum Dialogorum seges, quibus Aeschines, Antisthenes, Cebes, Aristippus, aliique, Socratis vitam disciplinamque illustrarunt, haec tota, quantacunque est, intercidit. Constat quanta felicitate ex eo tempore, variis sectis, Philosophiae effloruerit studium, Academica, Peripatetica, Cynica, Stoica, Epicurea. Atque ex Academia et Lyceo quid, quaeso, habemus praeter Platonis et pauca quaedam Aristotelis scripta? Ubi Theophrastus, Aristoxenus, Dicaearchus, Clearchus? Ubi illa vetus, media, et nova Academia? Omnia Philosophorum usque ad Ciceronis aetatem scripta quidam velut aestus intercepit. Stoicam doctrinam ejus principes Zeno, Chrysippus, Posidonius, Diodorus, Panaetius innumeris exposuerunt voluminibus; nunc ejus cognitio ex Seneca, Epicteto et Marco Antonino est haurienda, qui nec ipsi integri ad nos pervenerunt, nec Stoicae Philosophiae absolutam descriptionem tradiderunt, sed primaria tantum quaedam capita explicarunt. Epicurum ipsum, quis nescit, infinitam librorum vim conscripsisse? Hunc imitantes discipuli adeo omnia scriptis repleverunt, ut de ejus molis magnitudine graviter quereretur Cicero. At jam suo tempore eam tantopere imminutam fuisse testatur Julianus Imperator, ut fere tota evanuisse videre-

tur.

tur. Dies profecto me deficiat, si vel nomina tantum Philosophorum, quos aliquid litteris mandasse constat, recensere vellem. At hi, proh dolor! omnes longi temporis iniquitate consumpti absorptique sunt. Nunc unicus harum rerum, neque is locupletissimus scriptor restat Diogenes Laërtius. Reliqua cognitio cum petenda est ex iis, qui ejus aliquam partem attigerunt, Cicerone, Plutarcho, Sexto Empirico, Galeno, tum eruenda ex brevibus, iisque per universos veterum libros dispersis, commemorationibus atque fragmentis, quae et ipsa summa cura diligentiaque sunt investiganda, conquirenda, colligenda, collectaque acri judicio examinanda et suis quaeque momentis ponderanda. Neque tamen haec difficultas eam vim habere debet, ut nulla solertia vinci posse putetur, hominesque desperatione fracti a comparanda hac cognitione deterreantur, sed ut eo magis ad eam assequendam omnes ingenii ac industriae vires excitent atque expromant. Hoc enim si quis egerit, is profecto videat, quantum utilitatis ex accurata Philosophiae historia ad ipsam ejus scientiam redundet, quam multa, quorum inventores se hodierni jactant, ab antiquis aut inventa, aut melius tractata sint; et ex iis ipsis conjecturam faciat, quanta fuerit Veterum in Philosophia facultas. Quod si enim in tam paucis, quae naufragium effugerunt, reliquiis tanta inest rerum praestantia, dubitari profecto nequit,

si

si. pars multo major ad nos pervenisset, thesaurum nos habituros fuisse infinitum ac paene divinum. Equidem quamvis mihi persuasum sit, me non esse ea doctrina et ingenio, ut ejus me rei idoneum judicem profiteri possim; hoc tamen audacter adfirmo, multa, quae nos ut recens inventa admiramur, antiquis esse vindicanda. Nam v. c. quod, in quadam Schola, de Idearum aeternitate et Mundo optimo docetur, hoc certe Platoni debetur. Idemque abstrusissimas illas notiones Entis, Substantiae, ac Pulchritudinis, adeo luculenter explicavit, ut magnopere dubitem an hodierni simile quid attulerint. Deinde eam partem, quae ad vitae morumque rationem pertinet, non solum elegantius uberiusque tradiderunt, sed ejus etiam principia accurate explicuerunt. Itaque saepe mirari me subit eorum jactantiam, qui hodiernos juris naturalis principia, seu fines bonorum ac malorum, et felicius invenisse et subtilius enucleasse clamant, et ad Ciceronis librum de Officiis, veluti temerariae hujus assertionis invictum testimonium, provocant. Quasi vero aut nunc dubiis minus impediti essemus, aut ipse Cicero in perfecti Philosophi exemplum proponi deberet, aut ejus libri De Finibus non exstarent, aut Plato, Aristoteles, Stoicique omnes periissent, ex quibus vel solis, quam acute de ea re ab antiquis disputatum sit, existimari potest. Celeberrima illa quaestio de Fato ac Libertate eodem apparatu inter Stoicos et ali-

alias sectas agitata est, ut hodie nil novi de ea excogitatum videatur. Neque certe doctrina de Dubitatione, Evidentia et Nota veritatis, nostra aetate uberius tractata est, quam a Pyrrhoniis et Academicis. Verum enim vero cum ex iis, quae restant, veterum scriptis mihi persuadeo, tum ex iis, quae periisse novi, certa conjectura eo inducor, ut antiquis hujus victoriae palmam deferam; et omnes spero eam in rem mecum consensuros; nisi quis et contra historiae fidem, et ipsarum rerum naturam contendere velit, nostros hodiernos tanta felicitate et solertia usos fuisse, ut per ducentos et quod excurrit annos plura invenerint, quam antiqui per bis mille annos maximis ingeniis et summis studiis efficere potuerunt. Sed ea quaestionis magnitudo cum in his temporis angustiis absolvi nequeat, verendumque sit ne nimis jam diu vestra abusus sim patientia; agedum vela orationis contrahamus, eoque nos conferamus, cujus rei caussa tota haec disputatio suscepta est.

Mandastis mihi, Viri summe Venerandi, munus et momento grave et laudibus honorificum, quod aliquam forte de me concepistis opinionem. Ego vero, qui meae mediocritatis ipse mihi sum testis, cum ab altera parte meos decessores, summos illos et omni doctrinae laude florentissimos viros, veluti praesentes oculis cernam; ab altera parte Vos, Viri summe Venerandi, vestrumque de me judicium reputem, non possum quin animo ti-

timorem concipiam, vehementerque commovear. Nihil profecto iis, qui cum laude in aliquo munere versari cupiunt, tam officit, quam exspectatio, cui quidem tantum abest ut perfecte cumulateque respondere possim, ut ei vix ex una alteraque parte satisfacere posse videar. Verum tamen eo magis omnes consilii atque industriae intendam nervos, ut vel sic efficiam, ne Vos mei unquam omnino poeniteat. Praeterea eo Vos studio colam atque venerabor, ut nulli officio vel observantiae vel obsequii defuisse videar: non tam quia muneris caussa id mihi facere necesse est, quam quia Vestrae virtuti et doctrinae hic honos debetur. Ita Deus O. M. Vos, Viri summe Venerandi, vestrasque laudes, fortunas atque familias conservet, augeat, amplificet, ut me et gratum semper, et memorem Vestri habebitis judicii.

In Te vero cum intueor, Vir summe Reverende, Collega exoptatissime, quid tandem mihi animi putes esse? Neque enim communes illae tantum collegii rationes nos conjungunt, muneris, officii, laborumque societas, quae tametsi per se magnae sunt, sunt tamen aliae longe majores. Sive enim in conciliandis amicitiis plus consilium quam fortuna valere debet; quid mihi de Te sperare fas est, qui me Tibi, quantum in Te fuit, tuo ipse elegisti suffragio? sive litterarum tanta est vis, ut remotissimos etiam inter se conjungant, harum in Te maxima est copia, in me summus amor; sive continendae consuetudinis vinculum est maxi-

ximum morum probitas atque suavitas; haec, ut reliqua omnia, in Te profecto tanta sunt, ut mihi in istam societatem non casu fortunae incidisse, aut meo consilio pervenisse, sed ab ipsa Providentia adductus esse videar. Itaque hoc Tibi spondeo atque polliceor, me omni fide et constantia omnes meas curas et cogitationes in hoc collocaturum, primum, cum collega Tibi complectendus sit qualiscunque esset, ut me talem habeas quem libenter etiam complectaris: deinde, cum una omnium maxima gravissimaque res, Scholae hujus utilitas, nostra studia continere debeat, ut quantum eadem decore, et felici ingeniorum proventu crescat, tantum semper ad nostram amicitiam novae gratiae, suavitatis atque firmitatis accedat: denique, in hac opera, me Tuae auctoritati tantum tributurum, quantum ipse tum usu atque experientia vales, tum ingenio atque doctrina praestas.

Tandem ad Vos me converto, humanissimi suavissimique Commilitones, spes Patriae ac Reverendae Societatis. Vos honestissimus laudis atque doctrinae amor in eam accivit Scholam, in qua et ego nunc Doctor constitutus sum, et ad vos oratio nostra maxime spectavit excitandos atque commovendos, ut exculta probe et subacta elegantioribus litteris ingenia ad Philosophiae studium adferatis. Sed praeterea Vos hortor et obtestor, ut omni cura caveatis, ne a recto tramite mala consilia et exempla Vos avertant. Duplex

omnino est via, quae in eruditorum civitate frequentari solet: altera brevis, facilis, plana, qua leves et ignavi homines incedunt, qui se imperitis venditant, neque ipsam doctrinam, sed fictam speciem ac gloriolam variis artificiis adsequi student. Sed brevis ejus est fructus! nec enim aliquid veritatis isti consequuntur, et, si forte in aliquam existimationem pervenerunt, vel ab ipsis hominibus, quorum opinionem eluserunt, vel a posteritate, quae incorruptius judicat, deridentur, exploduntur, et ab injusta laudis possessione dejiciuntur. Altera via difficilis, ardua, laborisque plena est; hanc vero ii tenent, qui non ad vulgi opinionem sua studia comparant, sed ad scientiae veritatem contendunt; hi sapientes non videri sed esse student, eoque magis se proficere sibi persuadent, quo magis cognoscere incipiunt, quantum illud sit quod nesciant. Itaque suae se involvunt virtuti, non aliunde quam ex se ipsis laudis ac felicitatis rationes suspensas habent, proprio conscientiae testimonio contenti in sinu gaudent, hominumque judicia infra se posita existimant. Hanc Vos viam, suavissimi Commilitones, ut facitis, teneatis, ab eaque nec popularis aurae illecebris, nec levium hominum voculis, Vos deduci patiamini! hac progrediamini! hanc persequamini, donec in templa verae absolutae ac gloriosae doctrinae perveniatis. Hoc agite, et me praeclarae hujus operae vobis vel socium vel adjutorem adsumite.

D I X I.

PRAEFATIO

PARTIS PRIMAE

BIBLIOTHECAE CRITICAE.

L. S.

Diu et multum hoc nobiscum cogitavimus, quid caussae esset, quod antiquarum litterarum studia apud plerosque nostra aetate refrigescerent et fere in contemtum abirent. Nam si memoriam superiorum seculorum repetimus, his praecipue studiis majores nostros a barbarie liberatos, humanitatique restitutos, reperimus: et si ad nostras ipsi mentes attendimus, facile intelligimus, unam hanc esse disciplinam, cum ad cognitionis suavitatem, tum ad ingenii fructum, uberrimam. Sed hujus calamitatis cum alias cognovimus esse caussas, tum eam haud minimam, quae effecit, ut hanc scriptionem susciperemus. Nam ut ars hominum studiis floreat, opus est, non solum

viris egregiis, qui eam factitent et profiteantur: sed ipsa quoque ars veluti in lucem prodire debet et vocem efferre suam, qua, et artificum opera ad publicam notitiam celebrentur, et aliorum aures personent, ingeniaque ad ejusdem laudis studium excitentur. Videmus quotidie literulas illas, quibus inanis ac brevis voluptas proposita est, ita se in vulgus jactare, ut earum scriptiunculis atque diariis aliarum doctrinarum studia absorbeantur! Quin igitur illae litterae, quae certum permansurumque ingenii fructum ferunt, tandem ex umbra erumpant, sua bona in luce ponant atque explicent, hominesque a cognoscendi levitate ad accuratae doctrinae studium revocent? Atque ad istud opus nos litteris his omnem nostram curam, diligentiam, industriam, dicare et consecrare profitemur. Qua quidem in re gratiam nos inituros speramus, non solum apud studiosos harum litterarum, sed apud universam etiam civitatem eruditam, cujus sanitati consulimus, cavendo, quantum in nobis est, ne ejus quasi flos, antiqua venustas, penitus exarescat. Ratio operis haec est, ut, ad exemplum hujus libelli, alii subinde edantur, in quibus referatur de novis libris ex litteris Romanis, Graecis, et Orientalibus, ut vocantur, et in eodem genere ineditae disputationes saepius adjiciantur. Atque hanc nos provinciam ex hominum eruditorum sententia administraturos esse, hac maxime de caus-

caussa confidimus, quod viri praestantes ingenio doctrinaque operam nobis suam polliciti sunt. Spatium, in quo versemur, tantum erit, quantum Critices vis atque potestas patet: quae quidem, auctore Hemsterhusio, omnes humanitatis disciplinas complectitur, et in alias frequenter egreditur. Atque hoc spatium non ita antiquarum litterarum cancellis circumscripsimus, quin per recentiora quoque studia vagemur, scriptisque ac libris omnibus locum demus, qui quidem aliquam cum doctrinae elegantia conjunctionem habere videantur. In hac copia a varietate non erit quod huic operi aliunde lenocinium petamus. Praestabimus eam suavitatem, quam ipsae litterae sponte ferunt, magis austeram et solidam, quam dulcem atque decoctam. Ceterum censura nostra maxime occupabitur in iis libris, quibus vel auctoris, vel editoris et interpretis, vel argumenti, praestantia, momentum aliquod addit; de iisque accurate in utramque partem exponemus, ita, ut in celebrandis virtutibus, et reprehendendis vitiis, unice veritatem sequamur. Quam quidem libertatem nemo erit, qui, superbiae magis, quam litterarum caussa, sumsisse nos putet. Nam levium hominum errores nec cautos lectores inficiunt, et ipsi sua levitate evanescunt: magnorum virorum errores auctoritate plurimum nocent, et celerius animos capiunt, et in iis altiores radices agunt. Et nos iis, qui, si qua lapsi

fuerimus, nos admonuerint, gratiam habebimus. Neque enim alium uberiorem, ex toto hoc literarum studio, fructum capere nos posse judicamus, quam ut erroribus quotidie et praejudicatis opinionibus liberemur. Ao. MDCCLXXVII.

D E

DE OBITU BURMANNI.

EX BIBL. CRIT. T. III. P. 139, sq.

Quum jam finem imposuissemus huic scriptioni, tristis sane atque luctuosus nos perculit nuntius de obitu Petri Burmanni Secundi. De quo casu ut ne taceamus, cum noster nos cogit dolor, cujus est in ipsa ejus commemoratione aliquod solatium ac levamen: tum provincia nostra postulare videtur, cujus pars est, de rebus tam adversis quam prosperis ex litterata civitate referre. Et vero eo gravius nos affecit hic nuntius, quo magis praeter spem atque exspectationem nobis accidit. Nam vix annus erat ex quo se munere Burmannus professorio abdicaverat, atque, honestissimo stipendio auctus ab Ampl. Athenaei Curatoribus, se ex urbanarum rerum occupationumque molestiis in villam suam Santhorstianam et litteratum otium contulerat. Ibi demum veram sibi vitam nactus videbatur, atque adeo revirescebat, degebat in literis, multaque doctrinae stu-

diique sui opera dudum affecta perficere instituebat. Verum omnia ejus consilia, omnemque amicorum spem praevertit repentina apoplexis, qua extinctus est a. d. 24 Junii, cum natus esset annos sexaginta et quatuor, menses octo. Cujus obitus cum multis nominibus flebilis sit atque acerbus, tum haud minime litterarum caussa. Erat hucusque in Propertio occupatus; cujus editionem quotidie urgebat, et jam ad dimidium produxerant chalcographorum operae; hoc absoluto aliud cogitabat, aliudque deinceps prospiciebat. Habebat enim cum ipse maximam doctrinae copiam, tum vero litteratam supellectilem ex libris virorum doctorum ineditis tantam, quantam privatorum quidem hominum haud scio an nemo umquam habuerit. Ac de Propertio quidem credimus esse salvam rem, neque dubitamus quin ejus editio, viri alicujus docti opera, brevi absolvi queat. Reliqua ineditarum scriptionum schedarumque supellex ne in imperitas manus incidat, atque hac calamitate etiam augeatur damnum quod litterae morte Burmanni fecerunt, id vero ne fiat vehementer optamus. Ao. MDCCLXXVIII.

O R A T I O

D E

PHILOSOPHIA, AUCTORE CICERONE, LAUDATARUM ARTIUM OMNIUM PROCREATRICE ET QUASI PARENTE.

HABITA A. D. XXV. OCTOBRIS. ANN. MDCCLXXIX. CUM IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI PHILOSOPHIAE PROFESSIONEM AUSPICARETUR.

Si quis umquam eorum, qui hunc in locum dicendi caussa conscenderunt, animo fuit anxio et sollicito, is profecto ego sum: eumque me esse, diffiteri haud quaquam possum. Quod utrum ex consuetudine oratorum, qui timoris simulatione favorem sibi et audientiam facere solent, an ex re veroque dicam, Vestrum unusquisque intelligere facile potest, cum ex vocis meae sono, tum ex rei, quae agitur, momento ac difficultate. Nam cum ab omnibus iis, qui in homi-

minum frequentia dicere adgrediuntur, exspectatur, ut aliquid adferant, quod dignum sit audientium opinione ac spe: tum praesertim ab iis, qui se disciplinarum magistros profitentur, jure quodam postulatur, ut de sua quisque disciplina diserte copioseque dicat. Atque haec una cogitatio cum me tantopere commoveat, quid mihi animi esse putetis, cum ad eam aliae, eaeque haud minores, accedant sollicitudines? Equidem ingenue Vobis consilii mei rationem aperiam. Quum primus mihi nuntius allatus esset, de munere hoc ab Amplissimis Curatoribus et Consulibus in me delato, vehementer, ut par erat, animo laetatus sum. Postea, ut ille motus laetitiae paulatim recedit, ita paulatim animum meum tacito quodam timore sollicitari sensi. Ipse me tum reprehendere, et mecum, quasi cum alio, colloqui coepi. Quid, inquam, egisti? Quo processisti? Nimirum occupabis eum locum, quem, ante multos quidem annos, proxime tamen, Tiberius Hemsterhusius tenuit. Eique tu viro succedes, quem summa ingenii doctrinaeque virtus immortalitati consecravit? Quid porro? post talem tantumque virum tu quoque Philosophiam explicabis, illam omnium artium disciplinarumque principem et reginam; cujus tanta est magnitudo, ut quamquam discendo docendoque multum in ea studii temporisque consumseris, ejus eam intelligentiam assecutus sis, quae ad timorem con-

ci-

cipiendum satis valeat, ad fiduciam parum? Ex his tot tantisque curarum fluctibus, Auditores Humanissimi, quod nunquam speraveram, emersi me tamen. Et quae res animum allevarent atque erigerent meum, duae in primis fuerunt: altera, constantia diligentiaque in persequendis laboribus: altera, recte factorum conscientia. Nam cum ab ineunte aetate incredibili scientiae incensus essem amore, idemque intelligerem non ita liberalem se mihi praestitisse naturam, ut, quod quidam possunt, aut posse se putant, solo ingenio scientiam assequi possem; statui, quo minus ingenio valerem, eo magis labore, cura, vigiliis, assiduitate, niti atque contendere. Itaque scientiae quidem aliquid assecutus sum: quod, quantum alii existiment, nescio, mihi certe exiguum videtur. Quod vero maximum est, ex laborum conscientia fructum solatii cepi eum, ut certa me sustentaret spes, fore ut, si ex eo studio nil remitterem, magis magisque in dies votorum meorum particeps fierem. Haec igitur spes conscientiaque cum efficiat, ut tantum mihi onus imponi patiar, et ut mens mea tota unice sit occupata in ejus muneris gravitate commendanda; date, quaeso, mihi hanc veniam, Patriae Patres, et reliqui Auditores Humanissimi, ut morem receptum, quo ii, qui docendi munus auspicantur, de aliquo ex sua disciplina capite docte et subtiliter disputant, hunc igitur morem

re-

relinquam, et hac quidem hora Philosophiae vim populariter aperiam ex hoc uno dicto *Ciceronis*, quo eam vocat *Laudatarum artium omnium quandam procreatricem et quasi parentem.* Cedat igitur consuetudo pietati: cedat subtilitas officio. Alio tempore doctrinam, si quae in nobis est, expromamus. Nunc pietatem sequamur. Nunc una mentem officii cogitatio tenet. Nunc una ejus professionis magnitudo et sanctitas pectus meum complectitur totum. Haec tam late patet, ut non hujus horae angustiis, non unius diei brevitate, non totius anni cursu, vix universae vitae diuturnitate, explicari possit.

Totum hoc, Auditores Humanissimi, quod sapientiam ac doctrinam vocamus, ut omnes reliquae res, duabus continetur quasi partibus; altera, materia; altera, forma. Nam, ut hoc utar, si magna copia cedri, marmoris, eboris, auri, uno confusa jaceat acervo, nullus ejus sit usus, nullus honor. Quum vero artificis ratio accesserit, quae modo distributioneque fabricetur aedificium, commodum ad habitationem et jucundum adspectu, tum vero artis opus ac perfectio intelligitur. Ita quoque ad comparandam doctrinam, primum, veluti materia, congerenda est rerum cognoscendarum copia et varietas; deinde, quod de hujus mundi machina egregie dixit poeta,

„*Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
„*Mens agitat molem, et magno se corpore miscet*"

sic

sic ad hanc rerum cognoscendarum congeriem mens atque ratio accedat necesse est, quae ei formam quasi motumque adjungat. Haec mens, quasi spiritus, postquam se magno corpori miscuit, illud continuo movet, ad vitam excitat, foecundat, et, ad quamcunque partem ejus se applicuerit, ex ea praeclarum scientiae fructum gignit. Sed haec ipsa mens, tam efficax, tamque potens, quaenam est? quo nomine appellatur? Philosophia est, Auditores Humanissimi! Philosophia! Non ista, cujus vim ac rationem vulgo compendii alicujus angustiis metiuntur. Verum ea, quae rerum divinarum humanarumque omnium caussas complectitur: quae, cum una sibi eademque constanter maneat, tamen ex materiae, in qua versatur, varietate varia nomina accepit. Nam, cum ad divinae naturae contemplationem se convertit, Theologia vocatur: in animi rationibus explicandis, Psychologia, in corporum viribus ac mensuris exigendis, Physica et Mathesis, in disserendi ratione, Dialectica nominatur: eadem, in justi, aequi, officiorum, legumque vi ac natura explicanda, Ethica et Jurisprudentia dicitur: cum animantium structuram et fabricam, eorumque et conservandorum et curandorum rationem quaerit, Medicinae nomine significatur: cum rerum gestarum seriem, hominum, gentium, populorum, fata, vicissitudines, et conversiones, cum locorum regionumque situm

ac

ac naturam explicat, Historia et Geographia appellatur: eadem denique Oratoria et Poësis est, cum hominum mentes vel pulcri venustique specie ad virtutem allicit et commovet, vel turpitudinis et pravitatis deformitate a vitiis avertit atque deterret.

Sed ignoscite, quaeso, Auditores Humanissimi, verborum meorum tenuitati. Non possum Philosophiae majestatem quantam animo sentio, tantam oratione significare. Non cadit hoc vel in meam infantiam, vel in hujus horae angustias. Quare subveniatis meae imbecillitati, et Vobis ipsi Philosophiae imaginem informetis majorem, excelsiorem, augustioremque, quam aut mea, aut cujusquam oratione fingi adumbrarique possit.

Verum haec Philosophiae vis duplicem omnino fructum fert hominum mentibus: quorum alter est in rerum scientia, ingenio, et intelligentiae virtute; alter in rerum bonarum honestarumque studio, animi magnitudine, et voluntatis virtute. Et de priori quidem si verbum addam, vestris, Auditores Humanissimi, ingeniis injuriam facere videar. Est enim haec, et fuit ab omni aevo, una et consentiens intelligentium vox, sine Philosophia neminem quemquam in ulla disciplina et arte aut proficere aut sapere posse. Posterius illud nunc a Vobis intelligi volo: Philosophiam esse procreatricem virtutis, honestatis, et verae pulcritudinis, et artem quamque ita maxime esse

lau-

laudandam, ut quaeque maxime Philosophiae normam ac praecepta sequatur.

Atqui Philosophia, cum caussas omnium rerum complectatur, et, tamquam universae cognitionis ratio et mens, alta veluti coelestique arce habitet, nil procreat nisi praeclarum, nisi egregium, nisi divinum. Igitur nimirum confecta res est: neque de hàc ipsa parte nostrae orationis, verbum amplius faciendum: Philosophiae laus a singulis et universis agnoscitur, et uno ore celebratur? Imo contra se res habet. Non desunt, qui eam odio et reprehensione exagitent, ejusque studium religioni et bonis moribus damnum adferre clament. Qui quidem reprehensores si, ut sunt imperiti et inepti, ita pro imperitis et ineptis haberentur, non erat profecto quod eorum reprehensiones moraremur. Nunc vero sunt clamosi, temerarii, impudentes, suisque clamoribus vulgus hominum auferunt. Adeo misera est humani ingenii conditio, ut laudem et vituperium non ex re atque vero, sed ex opinione et rumoribus, aestimemus! Adeo cogitandi laborem fugimus, ut quod in promptu et ante oculos est non videamus! Philosophiam quis vituperare audet, illam sapientiae ac virtutis magistram, illam vitiorum errorumque expultricem? Quam qui vituperet, nescio quid ille in rerum natura laudandum esse putet. Neque vero haec aliunde calamitas existit, quam ex ipsa hominum socordia. Etenim Philosophia,

qkum

quum rerum caussas exquirat, non potest placere iis, qui opinionem magis quam veritatem sequuntur, qui ipsi sibi placent, ignorantiamque suam arrogantiae quasi velo obtegunt, quique suos sibi errores eripi aegre ferunt, ne parum sapuisse videantur. Hoc veritatis studium Socrati exitium attulit: hoc ei contraxit odia sophistarum, aliorumque, quibus inutile erat reliquos cives nimium sapere: qui, cum rationibus efficere nil possent, eum in plebis invidiam vocarunt, et, quod apud eam plurimum valet, innovatae religionis crimine eum arcessiverunt. Est hoc hodieque Philosophiae fatum, ut suos habeat inimicos, suos sophistas, ut ei parata sint imperitae plebis odia et criminationes.

Videamus aliam hujus calamitatis caussam. Ecce! in vicina Gallia Philosophorum nomine et ipsi se jactant, et ab aliis insigniuntur, illi, qui religionem et virtutem tollunt, quique certissima sanctissimaque bonarum disciplinarum fundamenta labefactare conantur. Nos, ut sumus proclives ad aliorum, praesertim Gallorum, vitia imitanda, paulatim in eundem errorem inducti sumus; neque animadvertimus, cum loquendi temeritate gravissimum falsae ratiocinationis vitium conjunctum esse. Itaque videmus, quosdam vel ad nomen Philosophiae exhorrescere, neque levius quoddam malum eam esse arbitrari, quam disputatricem periculosam et audacem, quae rerum di-

vi-

vinarum humanarumque doctrinam convellat. Quid vero, o boni! Medio aevo, in illis ignorantiae superstitionisque tenebris, si Theologi dicebantur non ii, qui mentes hominum salutifera doctrina imbuerent, sed qui in eorum corpora ferro ignique saevirent; ideo totam Theologiam abjiciendam putabimus? Aut si, qui Jurisconsultos se ferunt, jus atque leges non explicant, sed calumniando pervertunt, ideone Jurisprudentiam omnem explodemus? Medicam porro artem, quia, qua sollertia salutiferum remedium, eadem mortiferum venenum miscere potest, tamquam pestem et perniciem ex hominum genere tollemus? Igitur erga reliquas disciplinas hac utimur aequitate, ut ne ipsis hominum errorem tribuamus: erga Philosophiam non utemur? Imo vero magis etiam erga eam hac utamur aequitate, quo minus ipsa in hominum perniciem converti potest. Quid enim, quaeso, tandem illud est quod Philosophia nobis pollicetur? Nimirum, ut naturae cognitionem nobis aperiat: ut nos ex vanarum opinionum servitute in libertatem vindicet: ut nos a rerum humanarum illecebris ac ludibriis ad divinarum rerum studium convertat: ut nos contra varios vitae casus muniat, ad animi magnitudinem evehat, omnemque felicitatem in virtute ponere doceat: denique ut nos, quantum per humanam imbecillitatem fieri potest, ipsum naturae auctorem Deum imitari assuefaciat, eique nos similes

 red-

reddat. Ab hac via officii sui Philosophia discedere numquam potest. Neque ulla umquam vis efficiat, ut is, qui rerum divinarum humanarumque caussas earumque mirificam consensionem continuationemque perspexerit, eadem cognitione in aliorum hominum incommodum perniciemque abutatur. Neque germanus est Philosophiae alumnus, qui, cum ejus studium prae se fert, aliud quidquam praeter veritatem virtutemque spectat: adulterinus ille est, histrio alienae personae, et pulcherrimi nominis raptor. Rerum quidem corporearum naturam constare sibi videmus: pondera suo nutu deorsum, non sursum, ferri: dies noctesque perpetuo sibi deinceps ordine succedere. Res vero intelligibiles et morales, quibus Philosophia continetur, quae propius cum divina conjunctae sunt natura, non legibus aeternis et immutabilibus regi putemus? Non igitur ex Philosophia existere quidquam potest nisi bonum et honestum: citius, profecto, conversis hujus mundi elementis, et terra mari misceatur, et mare coelo!

Age vero, jam illud ostendam alterum, nullam esse laudabilem neque in laudatarum numero ponendam artem, nisi quae a Philosophia proficiscatur. Hoc ejusmodi erit, non ut per omnes artes divager, sed exempli caussa eas proponam, quae in communi hominum usu versantur; quo magis de reliquis existimare ipsi possitis. Quod

dum

dum facio, peto a Vobis, Auditores Humanissimi, ut, qua me adhuc audivistis benivolentia, eadem me porro audire ne recusetis.

Et primum quidem prodeat ea, quae suum cuique definit, et communis societatis vincula continet, Jurisprudentia. Facite quem leges omnes atque exceptiones in numerato habere, sed eundem in formulis haerere, syllabas aucupari, atque jus omne in verbis et litigandi ratione ponere; nonne necesse sit, eum legis sententiam, modo ignorantia, modo voluntate, pervertere, humi repere, et ne suspicari quidem, quae sit vera juris natura et auctoritas? Facite vero eundem adduci in Philosophiae sacraria; continuo, veluti sublimis propiorque factus divinae naturae, ex qua jus omne atque officium oritur, hanc primum contemplatur: deinde ab ea, tamquam ex alto, mentem convertit ad humanam naturam, neque eam foro amplius litibusque metitur, sed universam complectitur, ejusque vim ac dignitatem perspicere incipit. Tum vero lux oritur: diffugiunt errores, opiniones, fraudes, calumniae: erigitur animus, leges officiaque ab aeterno divinoque ducit exemplo, et ad humanitatem communemque omnium felicitatem accommodat. Ex hac disciplina legislatores extiterunt, Lycurgi, Solones, Numae, Pythagorae, quorum leges et steterunt diutissime, et certissimam salutem civibus praestiterunt: ex hac juris interpretes, Platones, Ari-

stoteles, Cicerones, Servii, Grotii denique et Montesquii: quorum, quamdiu non ab ipsa humanitate defecerit humanum genus, tamdiu nomina laudesque florebunt.

Videamus porro de Eloquentia: cujus hoc est officium, ut homines cum doceat, quid verum falsumque sit, tum ad res utiles honestasque convertat, et a turpibus noxiisque avertat. Haec, si vim et vehementiam velit ostendere in levi minutoque argumento, non Eloquentia, sed puerilis et nugatoria loquacitas sit. Aut si, neglecta virtutis honestatisque commendatione, solam voluptatem oblectationemque spectet, non sit germana Philosophiae filia, sed spuria ejus imitatrix, et libidinum satelles. In tota Eloquentia plurimum valet simplex veritas et naturae ratio, minimum ars et simulatio. Non potest ex humili cogitatione sublime dictum existere: non potest angusta abjectaque mens veram et magnificam sententiam parere. Ex pectore profluat, necesse est, Eloquentiae flumen: pectus ante omnia naturae cognitione replendum: pectus, per hanc ipsam cognitionem, virtutis honestatisque amore inflammandum, et verae pulcritudinis sensu imbuendum est. Quid igitur caussae fuisse dicamus, quod ab omni aevo tres soli perfectam Eloquentiae laudem consecuti sint, ex Graecis Pericles et Demosthenes, ex Romanis Cicero? Nimirum hi et soli et toti prodierant ex disciplina Philoso-

phiae,

phiae, quae sola veram dicendi vim procreat et alit. Nam fuerunt eorum aetatibus multi, et innumerabiles quidem, alii oratores, qui, quamquam studio et arte valerent, tamen in illius laudis societatem venire non possent. Magna fuit ars, magnum ingenium, in Aeschine ac Sulpicio: habebat a natura uterque vocem sonoram et splendidam, actionem quoque oratoriam, gestum et motum totius corporis, qualis in nemine umquam fuerat oratorum. Sed illa Philosophiae iis deerat vis, quae rerum divinarum humanarumque cognitione animum ad veram altitudinem extollit.

Cum Eloquentia magnam, vel potíus maximam, conjunctionem habet Historia: cujus scribendae cum aliae sunt leges, tum una omnium maxima, veritatis lex. Multum enim interest humanitatis, reges, et qui rerum publicarum gubernacula tenent, scire, sua facta non in obscuro latere, sed vere ad posteritatis memoriam proditum iri. Quare qui, verbi caussa, tyranni res memoriae mandare adgressus, si quid ab eo haud male factum sit, illud ornet: scelera vero ejus et flagitia vel silentio praetereat, vel aliquo honestatis colore excuset, isne potius verus Historiae scriptor, quam sordidus fabulae auctor, habeatur? Ex isto genere fuit Philistus: qui, quum corpore jam, ut reliqui Syracusani, servus esset Dionysii, animum quoque suum eidem in servitutem addixit. Nam et in multis rebus tyranno operam

praestitit, et historiam ejus conscripsit, qua omnem ab eo crudelitatis superbiaeque labem abstergeret, contra laudem ei humanitatis clementiaeque adderet. Et tamen Thucididem imitabatur Philistus? Nimirum verbis et oratione, quandoquidem sensibus et consilio similis ei fieri non poterat. Quid igitur inter utrumque interfuit? Hoc, profecto, ut Thucydides esset rerum gestarum enarrator verus, gravis, prudens, magnificus, libertatis studiosus: Philistus veritatis obscurator, fabularum opifex, vafer, argutus, haud inelegans quidem ille, sed idem animi vilis, fortunae captator, tyrannorum adulator. Igitur, quum natura et ingenio Thucydidis magnitudinem assequi non posset, arte et praestigiis nitebatur, ac Thucydideis verbis dictionibusque se quasi vestiebat. Quae quidem verissima est caussa cur eum Cicero pusillum Thucydidem vocaverit. Atque hoc exemplo, Vos, Juvenes Commilitonesque suavissimi, discatis quid sit Antiquos imitari; neque Vobis pulcri beatique videamini, quum orationem Vestram dictionibus coloribusque, verbi caussa, Ciceronianis ornaveritis. Nam si Philistus Thucididem, Graecus Graecum, aequalis fere aequalem, scribendi virtute aequare non potuit; quomodo nos, tot millium annorum intervallo, alia gente, alia lingua nati, heroicas illas Antiquorum in dicendo scribendoque laudes consequamur? In montis summitatem veloci gradu enititur vigen-

ti

ti robustoque corpore vir: hunc si fracti enervatique corporis homo imitari et assequi studeat, in ipso conatu deficiat, et risum praebeat spectantibus. Ita parva humilisque mens eam orationis sublimitatem, ad quam heroicum adsurgit ingenium, ne intelligat quidem, nedum consequatur. Nos, quamdiu Eloquentiam in verbis positam putabimus, quamdiu cum verbis Veterum non eandem atque illi vim adjunxerimus, quamdiu nos ipsi non ipsis Veterum disciplinis ad hanc orationis sensuumque magnitudinem conformaverimus; tamdiu vana erit opera nostra, inanis diligentia. Aperiundus est Philosophiae fons, ex quo unice Veteres dicendi vim hauserunt: ex eodem et nos mentes nostras cum verae pulcritudinis scientia repleamus, tum ad rerum excelsarum rationem studiumque acuamus.

Sed arctius etiam, judice Aristotele, cum Philosophia vinculum est Poëseos quam ipsius Historiae. Haec quippe in factis et rebus singularibus versatur: illa in universalibus, easque revocat ad corporeas imagines, et sensibus quasi subjicit. Quo magis elaborandum est Poëtae, ut dignum se Philosophiae praestet alumnum, cum ratione et ingenio, tum animo, fine atque consilio. Pictoris egregii laudem haud equidem tribuam Chaerephani, qui lasciviae libidinumque imaginibus delectare me velit: Panaeum potius celebremus, qui Marathoniam nobis pugnam os-

 ten-

tendat, oculos vultusque incensos Miltiadis pugnantis, et Callimachi, Cynagirique, pro patria occumbentium. Nulla ex omnibus rebus tantam habet ad animum vim, quantam Poësis. Tu igitur, quicunque hac tam egregia arte vales, ea, quaeso, utere ad virtutis Philosophiaeque rationem. Noli eam expromere in argumento aut levi, aut noxio. Noli voluptates commendare. Noli exornare libidines, quae animi robur liquefaciunt atque enervant. Nimium habent per se illecebrarum voluptates. Nimium ad eas sua natura proclivis est hominum animus. Si quis ad aegrotum accedens salivam ei moveat commemorandis laudandisque cibis iis, quorum usum ei medicus interdixerit, nonne ut homicidam pestemque eum abigamus? Atque haec, profecto, caussa fuit, cur Philosophi Poëtas a bene constituta civitate excluderent. Quare tu, si dignum quid vis efficere Poëtae nomine, depinge mihi virtutis pulcritudinem, vitiique turpitudinem: applica te ad meliores animi partes, easque ale et auge, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam. Incita unumquemque ad munus suum diligenter obeundum, patriam juvandam, et aliis bene faciundum. Fac ut divites opes suas cum aliis communicent: ut eas erogent in usus hominum, quorum virtuti et industriae nulla subsidia concessit fortuna: ut afflictos recreent et erigant. Fac ut pauperes et calamitosi miseriam forti animo ferant,

et

et omnem felicitatem in virtute ponant. Fac ut quisque in secunda fortuna modeste, in adversa fortiter, se gerat. Sensus denique civium animis subjice magnificos, quibus ad praeclare facta et divinitatis imitationem extollantur; ut spiritum etiam sanguinemque pro patria effundere non dubitent. Haec est illa Philosophiae alumna Poësis. In hac magnificentiam et spiritum ostendit Pindarus, grandiloquentiam ac sonum Aeschylus, gravitatem et sublimitatem Sophocles, affectum elegantiamque Euripides; omnes denique omnium virtutes complexus est Homerus.

Atque Vos jam intelligere arbitror, Auditores Humanissimi, illud quod ostendendum mihi sumseram, vere appellatam esse a Cicerone Philosophiam, laudatarum artium omnium procreatricem atque parentem. Quamquam neque de omnibus artibus dixi: neque de paucis, quae commemoratae sunt, omnia exposui: quod quidem infinitum sit, non modo percensere oratione, sed percurrere cogitatione.

Quo magis timere incipio, Patriae Patres, quomodo muneri, quod in me contulistis, ferundo par sim. Octavus hic annus est cum in Remonstrantium Schola Philosophiae disciplinam suscepi: acciderat que ea mihi provincia cum honorifica, propter ejus Scholae famam, tum jucunda, propter ipsam docendi voluptatem, qua humanissimus quisque maxime ducitur. Nunc Vos, Pa-

triae Patres, quum post Hemsterhusii, summi viri, decessum, longo intervallo eandem disciplinam in Vestrum Athenaeum revocaveritis, eique me praefeceritis, variis undique sollicitor curis; sive Vestram spectem auctoritatem, sive disciplinae gravitatem, sive meam tenuitatem. Magnam et semper habuit, et hodieque habet, Senatus Amstelodamensis virtutis sapientiaeque famam: neque eam Foederati Belgii finibus inclusam, aut Europae terminis circumscriptam, sed per totum terrarum orbem longe lateque diffusam. Quare, Patriae Patres, si quamcunque aliam mihi demandassetis provinciam, debebat ea mihi gravis sanctaque esse Vestri judicii auctoritate. Nunc mihi disciplinam tradidistis Philosophiae, quae est veritatis virtutisque magistra, in cujus sanctitate et magnitudine commentanda hanc ipsam horam consumsimus. Equidem cum non possim officii mei religionem, ut animo percipio, ita oratione Vobis explicare, mentem meam his paucis verbis complectar: Ita mihi, ad hoc munus obeundum vires largiatur Deus Optimus Maximus, ut eum enixe oro, velit Vos, Patriae Patres, in hujus civitatis et communis Patriae salutem diutissime servare incolumes!

Vobis vero, Clarissimi Viri, quos nunc primum Collegas saluto, quibus verbis animi mei sensus significem? Dudum est quod Vestra me doctrina Vestraque virtus ad Vos colendos con-

ver-

vertit, et Vos me vicissim, vel favore et benivolentia, vel amicitia et familiaritate, complexi estis. Ad quem numerum Te quoque nuperrime accessisse, Walravi, Vir Clarissime, gaudeo vehementerque laetor, cum propter praestantem doctrinam tuam, tum propter insignem animi tui moderationem. Enimvero, Conjunctissimi Viri, ad has tantas necessitudines hic dies novum adfert vinculum, novum officium, sanctum illud neque umquam violandum: quod quidem ego colam amore, obsequio, observantiaque Vestrum: Vos, precor, idem erga me faciatis, monendo, favendo, communicando; ut et animorum nostrorum conjunctione Scholae hujus emolumentum augeatur, et Scholae emolumento animorum conjunctio contineatur. Et quandoquidem hoc magis re ac factis quam verbis et oratione ostendendum est, hoc unum dicam, me in omni erga Vos officio, sive collegii, sive amicitiae, omnem semper operam daturum, ut Philosophiae praeceptis satisfaciam.

Neque vero fas mihi duco ex hoc loco antea discedere, quam Vobiscum peculiariter egero, Juvenes et Commilitones carissimi. Carissimos jure vos appello. Nam cum omnes amo, in quibus doctrinae amorem inesse video, tum magis etiam eos, qui ab ineunte aetate ad hanc se laudem dant, quorumque studia meae quoque fidei curaeque commendata sunt. Ecquid igitur mea

ora-

oratio apud Vos valuit ad studium Philosophiae, parentis et procreatricis laudatarum artium? Valuit, profecto! si quidem tales estis, quales Vos esse, et Patriae et Vestrum ipsorum maxime interest. Vestrum caussa Majores Vestri hanc Scholam constituerunt: Vestrum caussa Patriae Patres hos viros, claros in omni disciplinarum genere doctores, in eam evocarunt: Vestrum caussa Philosophiae disciplinam in ea instaurarunt. Quare cum omnia Vobis praesto sint ad doctrinam adjumenta, facite, per Deum immortalem! ne Vos ipsi Vobis defuisse videamini. Magna Vobis Majores Vestri reliquerunt gloriae pignora, quae prodere neque tueri posse, turpissimum Vobis ducite. Cogitate quotidie Vos esse Batavos, id est, ex ea gente, quae singulari semper prae ceteris gentibus laude floruit fidei, gravitatis, constantiae: quae gens, ut servitutis jugum excussit, ita simul cum libertate studium doctrinarum litterarumque induxit, earumque domicilium quasi in sinu suo collocavit. Vestri tum Majores quantum bellica virtute tantum ingeniis et doctrinis florebant, et vicini prae iis populi fere barbari videbantur. Nunc iidem populi hanc nobis doctrinarum laudem, ne gravius quid dicam, dubiam reddunt: nosque eorum non tam virtutes quam vitia et levitatem consectamur. Quare agite, o Juvenes, convertite Vos ad Majorum exem-

exempla! neque Vos popularis vanitas auferat: neque Vos summa omnia consecutos putetis, quum, post decursa disciplinarum stadia, titulum et inane nomen honoris domum reportaveritis. Numquam, profecto, Majores Vestri hanc Rempublicam ad tantum fastigium evexissent, si speciem et opinionem potius quam veritatem et virtutem secuti fuissent. Hoc, Vos Juvenes, quotidie, cogitate, cum omnes Batavi, tum in primis Amstelodamenses, quo magis haec civitas praecipuum Belgii Foederati columen est ac praesidium. Cujus quidem rei caussa Deum Optimum Maximum conceptis imploro verbis: „ Tu igi-„ tur, Deus, Optime, Maxime, quandoquidem „ vestigia gubernationis tuae adoro, quod ex li-„ bera me patria in liberam patriam traduxisti, „ quodque disciplinam mihi tradidisti Philoso-„ phiae, quae et alumna est libertatis, et altrix „ virtutis, faxis, hoc munus ex Tua geram vo-„ luntate! Quod si a primo studiorum meorum „ ingressu felicitatem semper in doctrina et vir-„ tute posui: quod si eodem animo hoc munus a „ Patriae Patribus suscepi: quod si denique per „ hanc ipsam orationem et menti meae sanctitas „ et verbis veritas constitit; precor, duis prospe-„ rum meis consiliis exitum! Faxis, per Philo-„ phiae praecepta ex mentibus Juvenum procre-„ scat doctrina, quae firmis nixa radicibus fru-

„ ctus

„ ctus ferat praeclaros ingenii omniumque virtu-
„ tum! Faxis, ex hac disciplina prodeant viri,
„ qui patriam intelligentia, consilio, industria,
„ animo, manu etiam, si opus sit, juvent ac
„ defendant! Annue his precibus numen Tuum,
„ Deus stator et conservator hujus Reipubli-
„ cae"!

D I X I.

PRAE-

PRAEFATIO

PARTIS QUINTAE

BIBLIOTHECAE CRITICAE.

BONARUM LITERARUM AMANTIBUS,

AUCTORES BIBLIOTHECAE CRITICAE

S. D.

Quum primum hujus Bibliothecae scriptionem susciperemus, in legentium studiis reponebamus, utrum eam edita quarta parte vel finiremus vel persequeremur. Nam, ut in Graecorum proverbio est, *Multos esse thyrsigeros, paucos Bacchos;* ita videbamus, in his literis multos esse, qui earum nomen consectarentur et veluti thyrsum jactarent, paucos iis ita deditos, ut nobis ad scribendum alacritatem additurí viderentur. Nunc opinione res melius cecidit. Invenit libellus homines, a quibus benivole exciperetur, in primis

in

in Belgio nostro: non illos quidem magno numero, sed tamen ejusmodi qui numerum studiis compensarent, vehementerque cuperent, ut operam porro nostram in hac scriptione collocaremus. Quorum desideria ut negligamus, committere non possumus. Et, si omnis opera in primis ad civium utilitatem referenda est, quid eum laborem defugiamus, qui, cum ad communem omnium doctrinae fructum spectet, a civibus etiam expetatur? Neque vero ita hoc accipi volumus, ac si constituissemus civibus nostris prae ceteris favere, eorum laudes celebrare, supra exteros extollere, reticere errores aut excusare. Quamquam hoc non infrequens est vitium eorum, qui censuras novorum librorum scribunt. Rempublicam literariam ita in classes describunt, non ut ingenii et doctrinae, sed nationum ac regionum, censum sequantur. Hinc est, quod haud raro videamus, hunc in modum ab iis pronunciari: *ita solent v. c. Britanni, ita Galli: nos melius.* Qui puerilis est error, neque aliunde profectus, quam ex rerum humanarum et communis vitae ignoratione. Sunt enim apud omnes nationes, qui melius et qui pejus artem tractent: sunt vel principes, vel secundarii, vel tertiarii, vel inferiores. Igitur classium ratio habenda est, non populorum: neque videndum, cujas quisque sit, sed quid dicat. Fuit hic quondam Spartanorum mos, ut, si in conventu sociorum a legato igno-

ignobilis civitatis optima dicta esset sententia, eam continuo quidem negligerent, postea vero a Spartano iterum proponi juberent, et ita probarent; ut prudentiae opinione auctoritatem patriae conciliarent. Valeat haec rivalitas in aliis rebus: a litteris et doctrinarum studiis absit. Una est et communis bonorum Scriptorum civitas: cujus quidem jus non a vulgi opinione tribuitur, sed paritur doctrina diligenti, ejusque prudenti disertaque explicatione. Quibus virtutibus ut quisque maxime excellit, ita quemque nobiscum maxime conjunctum et civem nostrum arbitramur.

Sed habet provincia, quam suscepimus, non unam difficultatem, et paratam multorum vel invidiam vel reprehensionem. Quae a nobis antea diluendae sunt, quam ad rem veniamus. Est enim genus hominum, non quidem abhorrentium ab Antiquarum litterarum studio, sed qui res, non verba, consectari se profiteantur, et totum illud, quod Critica vocatur, ad inane syllabarum aucupium rejiciant. Huic ea displicuit operae nostrae pars, quae in verbis interpretandis et lectione constituenda versatur. Est vero huic contrarium aliud genus eorum, qui verborum crisin solam quaerant, et eam partem supervacaneam censeant, quae rerum judicio cernitur. Et meminimus, de librorum argumentis et censurarum exordiis tam varie ab utroque hominum genere existimatum esse, ut ab his vana haec et inutilis loquacitas

haberetur, illi jucundos in primis et utiles hos locos judicarent. Enimvero affirmare possumus, hanc ipsam partem longe plurimo nobis constitisse labore. Nam in verborum emendatione et interpretatione plurimum valet linguae scientia et usus, ac felicitas quaedam vel ingenii vel temporis. In libri argumento describendo et Auctoris consilio explicando, longiore opus est tempore, diligente meditatione, et comparatione rerum in utramque partem, ac sententiae sollicita tamquam per vestigia indagatione. Quid igitur fecimus? Nimirum, mediam tenuimus viam. Non quidem nos eo consilio, ut studeremus utrisque, et apud neutros malam gratiam iniremus: longe enim ab ista calliditate absumus: sed, quod ipsa res et veritas ita postularet. Nam, cum Critices ea sit ratio, ut a verborum intelligentia ad rerum scientiam pergat, qui solas res consectantur, veluti aedificium sine fundamentis quaerunt: qui unice in verbis haerent, hi vero ita fundamenta curant, ut aedificium iis nullum superstruant. Quare viam, quam haud temere ingressi sumus, eandem haud temere persequamur:

Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν·

Sequitur, ut eos placemus, si qui forte putent se iniquius a nobis habitos esse. Quos nec nominare, nec peculiariter quemque compellare, attinet. Universe dixisse satis est. Nos, quum ad hanc

hanc Bibliothecam scribendam animum adjiceremus, legem nobis diximus, ut de laudibus et vitiis librorum exponeremus libere, vere, et accurate. Quam legem ut sancte servaremus, omni quidem opera efficere studuimus: an effecerimus, non est nostrum statuere, neque eorum, qui de nobis queruntur. Integros et prudentes appellamus judices. Horum sententia, si quid inique aut falso scripsimus,

—— ταῦτα δ' ὄπισθεν ἀρεσσόμεθ', εἴτι κακὸν νῦν
Εἴρηται· τάδε πάντα θεοὶ μεταμώλια θεῖεν·

Quoad vero nec illi contra nos judicaverint, et ipsi nobis testes simus, omnia, quae diximus, ex veritatis studio profecta esse, non est quod perperam nos fecisse fateamur. Sed ejusmodi est plerorumque ingenium, ut sua maxime mirentur, neque vel bene factorum laudem satis amplam tributam sibi facile arbitrentur, vel aequissimam secus factorum reprehensionem leniter ferant. Hinc est, quod vir quidam doctus moleste tulit, vitia quaedam libri ab eo editi commemorata esse: quamquam, et ipsius viri, et libri, laudes lubenter et honorifice praedicavimus. Sed, et hic, et reliqui, desinent nobis irasci, quum intellexerint, nil a nobis temere aut malevole, omnia veritatis et litterarum caussa, dicta esse. Quod profecto intelligent, si censuras nostras accurate relegerint, neque ipsi se nimium amaverint. Et quandoqui-

dem ita fieri solet, ut in reprehendendis vitiis, praesertim si gravia sint et frequentia, et cum vanitate scribentis conjuncta, acrius vehementiusque sententia significetur; dabimus operam, ut, quod adhuc efficere studuimus, omnis a nostra reprehensione absit acerbitas. Ceterum, ut hujus consilii animique nostri documentum exhibeamus, primum, hoc profitemur, non esse uberiorem fructum, quem ex hac scriptione capiamus, nisi ut aliorum admonitione nostros ipsi errores corrigamus: deinde, in ipso ingressu hujus Voluminis ita Veritati litabimus, ut, si qui prioris Voluminis loci correctione opus habeant, eam nunc ipsi expromamus (*).

Ceterum, quod nullas hactenus peculiares, easque ineditas, adjecimus Disputationes, factum est librorum, quorum censurae agendae erant, multitudine. Quare, si quando vel plures hujus scriptionis socios, vel majus otium, nacti erimus; plures quotannis prodibunt Bibliothecae hujus partes, et, confectis censuris, aliquid loci relinquetur peculiaribus Disputationibus. Nunc quidem duas adjecimus ejusmodi particulas. Harum altera habet Animadversionem Valckenarii ad res Ptolemaeorum, prodita in libro, qui in paucorum est manibus, eorum quidem, qui nostras lit-

(*) Sequuntur emendationes quaedam in Partes IV. priores, quibus absolutis sic pergit Vir Clar.

litteras tractant. Altera continet auctoris, nomine tantum nobis cogniti, conjecturas aliquot ad Callimachum; quae cum doctrinae haud vulgaris indicium haberent, noluimus iis locum in hoc libello negare.

Denique varietatis et novitatis caussa, retinuimus *Breviores Relationes*: hac tamen lege, ut integrum nobis servaremus, de quibusdam libris alia deinceps Bibliothecae parte latius exponere, Ita valete, Bonarum Litterarum Amantes, nobisque favete. Ao. MDCCLXXX.

DEDICATIO

EX LIBRO

PRAECEPTORUM PHILOSOPHIAE LOGICAE.

VIRIS

AMPLISSIMIS AC MAGNIFICIS,

CIVITATIS AMSTELAEDA-
MENSIS CONSULIBUS,

ET

ILLUSTRIS ATHENAEI
CURATORIBUS,

D. D.

DANIEL WYTTENBACH.

Solent fere, qui scripta sua principibus in re publica viris dicant, rationes consilii sui e longinquo repetere, et ambitiosa oratione exornare. Quod mihi quidem eo minus faciundum est, quod rationes meae ex re ipsa natae sunt, neque verborum ornatum desiderant. Eram in ipsa hujus libelli scriptione occupatus, quum instauratam in vestro Athenaeo Philosophiae professionem mihi mandabatis. Et erat ejus beneficii eo major vis, quo plus erat et in Vobis dantibus auctoritatis, et

in me accipiente studii. Itaque nil propius videbatur, quam ut ipsum, quod tunc in manibus habebam, opus, vobis continuo in specimen grati animi destinarem. Neque vero necessario magis quam jucundo fungor officio. Vestra, V. V. A. A., virtus effecit, ut, quod honeste negligere non possem, lubenter agerem. Ad privatum beneficium accedit aliud haud paulo majus, quod ad communem patriae utilitatem refertur. Ita enim se res habet, ut quo quisque sit vir et civis melior, eo majori studio et amore vestram publicae salutis curam et pietatem prosequatur. Quod si hic est unius cujusque civis animus: quo tandem modo affecti esse debent ii, qui doctrinas etiam colunt, qui eas adeo profitentur, qui eam denique profitentur, quae mater et procreatrix est omnis boni atque honesti, Philosophiam. Equidem hoc unum dicam: vehementer me laetari, hanc mihi oblatam esse occasionem, qua hunc animi mei sensum ex tacita conscientia ad publicam notitiam promere possem. Hoc velim, Viri Amplissimi et Magnifici, de me Vobis persuadeatis: et Tu, TEMMINCKI, cujus in summa senectute virtutem et sapientiam veluti lumen intuemur et suspicimus: et Vos, ejusdem laudis socii, Consules et Curatores reliqui. Atque, ut non vulgari consuetudine, sed incorrupto bonorum judicio, Patriae Patres salutamini; ita Vobis D. O. M. digna hoc nomine et hac virtute tribuat praemia. Ao. MDCCLXXXI.

P R A E-

PRAEFATIO

EX LIBRO

PRAECEPTORUM PHILOSOPHIAE LOGICAE.

L. S.

Quum non fere alio librorum genere magis abundet atque adeo laboret erudita civitas, quam eo quo Logicae praecepta traduntur; suspicor multos fore, qui mirentur, quid sit, quod istam multitudinem hujus libelli editione augere non dubitaverim. Quibus ego si respondeam, esse hanc dudum pervulgatam consuetudinem, ut, qui aliquam disciplinam profiteantur et in scholis explicent, ejus quoque compendium ipsi conscribant; vere quidem dicam, neque tamen rationem secutus videar in conscribenda hac disciplina, quae nomine ipsa suo rationem profitetur. Quod si vero affirmem, unica me necessitatis lege ad hanc scriptionem redactum esse; justam quidem adferam rationem, sed eandem apud multos parum verisimilem. Igitur, ut omnem a me vanitatis temeritatisve suspicionem amoveam, facere non pos-

sum, quin, quod mihi scribendi consilium fuerit, diligenter exponam.

Posteaquam ad me delatum est munus, cujus haud minima pars in Logicae institutione versatur, nil mihi prius fuit, quam ut libellum circumspicerem Latinum, ad Veterum rationem compositum, quique haberet conjunctam et rerum et orationis bonitatem. Neque putabam fore, ut is in tanta compendiorum multitudine diu quaerendus esset. At res praeter opinionem cecidit. Erant quidem libelli, neque adeo pauci, rerum bonitate minime contemnendi, sed quorum oratio a Veterum ratione plane abhorreret. Quibus equidem uti nec potui, nec volui. Qui vero ab orationis rerumque bonitate commendarentur, tres omnino erant: duo a Jacobo Facciolato scripti, *Rudimenta Logicae*, et *Institutiones Logicae Peripateticae:* tertius ab J. A. Ernesto, in *Initiis Doctrinae Solidioris.* Si, praeter hos, alii auctores hanc orationis laudem suis ipsi compendiis tribuant, eorumque mentionem nullam a me factam inique ferant, hos rogo, ne judicium meum a superbia potius quam ignoratione profectum existiment. Ceterum Facciolati atque Ernesti libros quamquam omnibus elegantis doctrinae studiosis vehementer commendo, tamen ad mearum quidem scholarum usum adhibere non potui. Hic, ut ipse profitetur, scriptionem inferiori cuidam juvenum aetati accommodavit: ille Peripateticam doctrinam unice spectavit: uterque haud una in

par-

parte cum formae tum materiae longius discessit a meo consilio, quod subinde aliam rationem et locorum ab iis omissorum tractationem postularet. Itaque ipse me dedi ad conscribendum compendium: ea quidem cogitatione, non ut putarem, me operam in re levi et contemnenda ponere: sed, ut in animum inducerem, id me suscepisse negotii, ut Philosophiae, quae disciplinis reliquis omnibus ubertate ac dignitate praestaret, quasi instrumentum conficerem.

Erunt procul dubio, qui hanc religionem rideant, unam Logicae magistram esse naturam contendant, omnia artis praecepta compendiaque ad scholasticas sordes abjiciant. Qui quidem in naturae laude me assentientem habent: si modo ipsi intelligunt, quid naturae nomine sibi velint, quamque vim ei tribuendam existiment. Si vero nec ars aliunde quam a natura proficiscitur, in ejusque adeo perfectione consistit; non est profecto, quod istos naturae laudatores moremur, qui artem ambitiose contemnunt, ut ingenio nimirum ipsi valere videantur.

Sunt vero etiam qui doctrinae elegantiam profiteantur, eamque in grata quadam et naturali, ut ajunt, methodi negligentia ponant: quique sibi et aliis eleganter philosophari videantur, quum, repudiata definiendi argumentandique diligentia, verborum flores ac sententiarum acumina consectantur, et orationis cursu feruntur nullis Dialecticae legibus adstricto. A quibus ego ita dissentio,

tio, ut nolim eorum judicio elegans haberi. Enimvero, quis turpior esse potest error, quam suam negligentiam ad communem rerum naturam referre, quae longissime abest a temeritate, et potius certam viam rationemque sequitur? Atqui hanc viam Dialectica, veluti speculatrix ac venatrix naturae, certis vestigiis indagat, describit, descriptam ad communem utilitatem proponit; ut mens tamquam in tabula iter suum ipsa cognoscat, neque in vero quaerendo temere vagetur, aut caeco impetu feratur. At, inquiunt, Dialectica de Syllogismorum figuris et modis multa praecipit, quae abhorreant ab elegantia doctrinae, et plena sint nugarum, utilitatis inania. Audio: neque nego, multa esse compendia de quibus illa reprehensio valeat. Sed idem ego illud contendo, qui ex inanibus vera utiliaque non seligant, minime capere veram vim elegantiae. Nam et ipsi profecto Syllogismi positi sunt in re et natura, quippe quos mens ipsa tacite sequitur: et elegantia suo nomine profitetur, se judicium delectumque rebus adhibere, ex iisque utilissimas quasque seligere, et certa ratione ad usum convertere. Quod si denique auctoritas aliquid valet, possumus excitare Platonem, Aristotelem, Ciceronem, aliosque Veterum bene multos, quibus nemo facile summam et Philosophiae et elegantiae laudem denegaverit. Hi ergo, si Dialecticae maximam vim tribuerunt, si in definiendo diligentiam, in dividendo acumen, in argumentando subtilitatem secuti sunt;

quid

quid est, quin ad eorum potius nos auctoritatem conferamus, quam imperitorum istorum elegantiae laudatorum voculis reprehensionibusque commoveamur?

Alii sunt, quorum judicium nescio an magis verendum sit, minime illi Dialecticae, sed tamen compendiorum, contemtores: qui nuperrime ejusmodi viam ingressi sunt, qua illius disciplinae praecepta per interpretationem Platonicorum dialogorum constituantur. Hi forte mirabuntur, quid sit, quod ad compendii angustias descendere, quam Socraticam venustatem sequi, maluerim: praesertim quum ipse profitear, me consilium meum ad Veterum studium retulisse. Sane, dicunt aliquid: neque tamen tantum, ut me hujus scriptionis poeniteat. Ego interpretationem Platonicorum dialogorum verissimum Dialecticae exercitium esse judico, sed ita, si cognitio ipsius artis praecesserit, qua legentium ingenia imbuta veluti admoneantur, quid quoque loco, quibusque de caussis, recte secusve disputatum sit. Socratica methodo, ceterae quidem disciplinae melius discuntur, Dialectica vero melius exercetur; quippe quae non tam rebus quam ratione continetur. Praecepta verius breviusque traduntur methodo Analytica, quae paucis generalibus formulis magnam complectitur et quasi parit copiam legum peculiarium. Interpretatio dialogorum Syntheticam sequitur methodum, quae majorem quidem facilitatem et jucunditatem habet tironum in-

ge-

geniis, ceterum longiori ambitu progreditur, a peculiaribus ad generalia nitens, neque fere plenam legum summam assequitur. Igitur, quum certa doctrina veluti fundamentis nitatur utraque methodo, cumque Praecepta scientiam, Interpretatio usum adferant; perperam faciunt, qui alterum colunt, alterum repudiant, nec utrumque assumunt. Neque vero capiunt Platonis consilium, qui putant, eum praecepta compendiave artis Dialecticae contemsisse. Ille quidem, ut nullius disciplinae, ita nec Dialecticae, compendium reliquit. Verum tamen quum Dialecticae summam auctoritatem tribueret, eamque in recto utriusque methodi usu poneret, putemusne, eum, in illa ipsa disciplina tradenda, Analyticam et compendiariam methodum neglexisse? Atqui, et celebrat eam, ut artem artium, et subinde in Dialogis ita versatur, ut ii, cum quibus disserit, Dialecticae cognitione imbuti esse debuerint. Et qui postea fuerunt, quique omnes se vel Socraticos vel Platonicos dici haberique voluerunt, veteres Academici, Peripatetici, Stoici, non solum reliquas Philosophiae partes, sed Dialecticam quoque, ad artis formulam redegerunt. Et Cicero, unus omnium Platonis studiosissimus, Dialecticae scientiam ex disciplina Stoicorum assumsit, accurata et diligente quidem, sed tamen formularia et compendiaria. His igitur et aliis multis rationibus, quas longum est referre, quum compendiorum auctoritas vindicetur, putavi, me rem haud-

haudquaquam a Veterum instituto abhorrentem aggressurum, si compendium Dialecticae ipse conscriberem.

Et materiam quidem in quatuor descripsi partes. Prima est de Vero ipso, ejusque natura et generibus: tum de Vero Logico, seu Enunciatione: denique de hujus partibus, seu Ideis. Secunda est de facultatibus, quibus maxime continetur Dialecticae officium, Cognitione et Oratione. His igitur duabus partibus assumtis ex Metaphysica doctrina, et substratis veluti fundamentis, tertiam superstruxi partem, quae est de Methodo, et proprium ipsius Dialecticae munus continet. Hujus initium duxi ab explicatione variorum generum Methodi, et disputatione de Nota Veri: atque, ut in tota scriptione, ita in primis horum capitum tractatione, Veterum fontes secutus sum: quorum cognitionem et necessariam ad hunc locum, et accommodatam ad meum consilium, judicabam. Tum reliquam ejus partis materiam explicui, quae continetur Verborum usu, Dividendo, Definiendo, Argumentando in utroque Evidentiae genere: Mathematico, cujus instrumentum est Syllogismus: Probabili, cui tres formae subjectae sunt, Sensus, Testimonium, Conjectura. Quarta pars totum illum apparatum materiae componit atque convertit ad finem Dialecticae, qui positus est in Doctrinae praestantia: et sunt hujus partis duo capita, alterum de Ingenio acuendo, alterum de Fontibus Doctrinae, Expe-

perientia, Lectione, Meditatione: quibus capitibus tertium, veluti admonitionis loco, subjeci, de Fontibus Errorum. Atque tali ego descriptione putavi omnia universe contineri praecepta, quibus Dialectici Institutio absolveretur.

Sequitur, ut de forma et ratione libelli dicam. Primum igitur materiam ita disposui, ut antecedentia intelligentiam sequentium aperirent: et ita rem quamque primo loco posui, ut quaeque vel sua natura vel mentis cogitatione prior erat. Itaque, ne de aliis dicam, Enuntiationes praemisi Ideis, et Definitiones non in Ideis sed in Enunciationibus posui.

Deinde, in explicanda re quaque Platonis praeceptum secutus sum, ut utriusque Methodi usum exprimerem, ad eumque omnes Dialecticas leges revocarem. Et videor mihi hac ratione multis locis haud parum lucis attulisse.

Porro, vetera cum novis ita conjunxi, ut ex utrisque optima quaeque assumerem, et discentes cum ad recentiorum Logicorum praecepta rationemque cognoscendam, tum ad antiquorum Dialecticorum intelligentiam vocarem. Saepius enim animadverteram, haud paucos Veterum libros, et nonnullos etiam Philosophicos et Rhetoricos Ciceronis, neglectos jacere; ad quos quippe intelligendos non sufficit recentioris Philosophiae aut linguae Latinae scientia vulgaris, sed peculiari opus est instrumento, ex veteris Philosophiae accuratiori scientia depromto. Itaque, et Veterum

prae-

praecepta suo quaeque loco memoravi; et locos nonnumquam in primis Ciceronis exhibui; ut tironibus exempla suppeditarem quibus ad Antiquorum studium converterentur, et elegantioris Philosophiae sensu imbuerentur.

Denique in oratione spectavi Latinitatem et perspicuitatem, quae ipsae quodammodo sua natura inter se conjunctae sunt. Nam qui bonam sequuntur Latinitatem, facile se invicem intelligunt omnes; quippe una est ejus vox, unus omnibus, qui in Antiquis non sunt hospites, cognitus sonus. Contra, prava Latinitas, ut ne Latinitas quidem est, ita tot habet formas, quot sunt hominum semilatinorum capita. Ut enim eorum quisque alia gente ac lingua natus est, ita, patrii sermonis consuetudine deceptus, suam sibi fabricatur Latinitatem, suas voces ac dictiones, quas alii homines non magis intelligant, quam voces dictionesque prorsus novas et inauditas. Fac, te haerere in loco quodam libri bene Latine scripti: caussa est in tua ignorantia, et praesto sunt subsidia intelligentiae. Fac vero etiam, te haerere in loco libri male Latine scripti: Scriptoris haec est culpa, neque praesto sunt intelligentiae subsidia. Quid enim? Vertendus est locus in linguam Scriptoris patriam: tum in linguam sectae, cui addictus est: denique in propriam ejus linguam, quam sua ipse consuetudine contraxit: ut ejus sententiam non facile assequaris, nisi ab

ipso, veluti hierophante, ejusdem barbariei mysteriis initiatus fueris.

Sed perspicuitatis, quamquam magna pars ex Latinitate ipsa proficiscitur, tamen peculiarem etiam curam habui, cum in constructione, tum in verbis singulis. Itaque sedulo cavi, ne longiori aut difficiliori enunciationum compositione tironum intelligentiae impedimentum objiceretur. Qua quidem in re non meum duntaxat sensum secutus sum, sed aliorum quoque judicium adhibui. Verbis vero eam subjeci potestatem, quae cum ex ipsorum origine manaret, tum Veterum consuetudine confirmaretur. Atque hac ratione, longum est recensere, quantum barbariae ac sordium ex hoc libello circumscripserim, quantumque perspicuitatis ei adjunxerim. Magna enim est expurgandi materia, et incredibile est dictu quam sint graves errores in pervulgato recentiorum usu: veluti, quum, contra communem sensum et verborum naturam, Syntheticam vocant Methodum, quae dividit, Analyticam contra, quae componit: quumque simili temeritate in aliis nominibus turbatur.

Neque vero hoc eo valuit, ut repudiandis scholasticis verbis obscuritatem contraherem. Omnino pleraque illorum vulgari ac diuturno usu eam auctoritatem nacta sunt, ut non nisi cum obscuritatis periculo negligi queant. Horum partim commemoravi ad interpretationem Latinorum nominum: partim retinui ad significandas res, si quidem

dem illa vel ex Latinae linguae ratione, vel ex Graecae consuetudine, duci possent. Et dum ita perspicuitati studui, non vereor ne Latinitatis leges migrasse videar.

Atque haec sunt, quae hujus libelli scriptione secutus sum: assecutusne sim, alii judicent. Equidem tum operae pretium fecisse mihi videbor, quum intellexero, me hac scriptione juvenibus excolendi ingenii studiosis ad veram accuratamque doctrinam profuisse. Ao. MDCCLXXXI.

DE OBITU ERNESTI.

EX BIBL. CRIT. P. VI. p. 139, sq. (*).

Hac nos Ernesti mentione admonemur, ne antea finem imponamus huic parti, quam de illius obitu dixissemus: non quidem, ut referamus de eo, tanquam de re nova; quippe diu est, quod percrebuit tristis nuncius: sed, ut dolorem nostrum prodamus, ad ejusque societatem bonarum litterarum amantes vocemus; neque, reticendo sensu nostro, aliis videamur carere sensu, quo praeditos esse decet cultores earum litterarum, quarum praecipuus antistes fuit Ernestus, quae molliunt mores nec sinunt esse feros. Ergo vana fuerunt vota nostra, quae pro vita ejus fecimus in censura operis Ciceroniani. Jam enim eo tempore instabat fatalis hora, qua primo corpus labefactaretur, mox illud ingenii litterarumque lumen exstingueretur. Nos, quo minus in laudes Viri digre-

(*) Postquam §. praec. verbulo de Ernesto locutus esset, sic persequitur.

grediamur, prohibemur et loco et facultate. Et speramus non defuturum idoneum laudatorem ejus viri, qui per Elogia tot alios immortalitati commendavit, quorum nemo fuit, qui uberiorem quam ipse materiam Elogii praeberet. Verum tamen quod Romanus Poëta de se ipse gloriatus est, se opus exegisse, quod

nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

quid impedit, quo minus augurio nos quodam ad Ernestum referamus? Venit quidem illa dies, quae nil nisi corporis hujus jus habet, et incerti finivit spatium aevi. Ille vero parte sui meliori superstes, et indelebile nomen assecutus, legitur quacumque humanior patebit orbis, non quidem a populo, qui litteras ad ludicram oblectationem referat, sed ab iis qui antiquam venustatem retineant, quique fructum ejus metiantur doctrina, cum eleganti, tum accurata. Ao. MDCCLXXXI.

DE OBITU SCHRADERI.

EX BIBL. CRIT. P. VIII. p. 142, sqq.

Magnam Academia Franequerana et vero Elegantiores Litterae jacturam fecerunt obitu Joannis Schraderi, Viri Clarissimi. Nam per triginta quinque annos professionem Eloquentiae, Poëtices, et Historiarum, ita ornaverat, ut accuratae doctrinae studia proferret, cum exemplo, tum institutionis diligentiâ, tum prodendis ingenii monumentis: cujus triplicis dotis conjunctio minime frequens esse solet in Doctoribus. Et institutionis quidem fructus exstant in compluribus, qui ex ejus disciplinâ prodierunt, viris Antiquarum elegantiarum cognitione probe excultis; e quorum numero etiam sunt, qui Litteras in Gymnasiis et Scholis cum laude doceant. Criticae vero Eruditionis maxime illius, quae in constituendâ Veterum Latinorum Poëtarum oratione cernitur, opera edidit duo praestantissima, alterum *Observationum*, alterum *Emendationum*. Graecae quoque doctrinae specimen prodidit juvenis, ut in eâ aeta-

aetate, laudandum Musaeo animadversionibus illustrando. Porro, ut erat interioris Latinitatis scientissimus, ita Carminis eâ valebat facultate quâ pauci recentiorum, cum terso dictionis genere, tum modorum observatione. Jam sibi expoliendum sumserat utrumque carmen Geographicum Avieni: et eo fere deducta erat res, ut initium operae facerent Chalcographi; quum nuncius nobis adfertur de Viri morte: quae non quidem e morbi impetu, sed virium languore, profecta, eum nostris Litteris eripuit die sexto vigesimo Novembris, nondum expleto aetatis anno secundo et sexagesimo. Sed laudibus Schraderi publice celebrandis, non defuturos speramus disertos viros. Nos committere noluimus, quin libello jam ad finem perducto hanc mentionem adjiceremus, et tristem nuncium cum eruditâ civitate communicaremus. Ao. MDCCLXXXIII.

ORATIO

DE

VI ET EFFICACIA HISTORIAE AD STUDIUM VIRTUTIS.

HABITA A. D. XVIII. APRILIS. ANN. MDCCLXXXV. CUM IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI, PHILOSOPHIAE SE PROFESSIONE ABDICANS LITTERARUM GRAECARUM ET LATINARUM, HISTORIAE CUM UNIVERSAE TUM PATRIAE, ELOQUENTIAE, POESEOS, ANTIQUITATUM, PROFESSIONEM AUSPICARETUR.

Quum ante sex hos annos Philosophiae professionem in hoc ipso loco auspicabar, minime quidem eram ab Historiae Veterumque Litterarum studio alienus, neque tamen ullo modo cogitabam fore, ut ipsarum etiam professionem in eodem loco auspicaturus essem. Acquiescebam in Philosophiâ, ut in laudatarum artium omnium parente

ac procreatrice: in eâque tradendâ ita versabar, ut ipse docens quotidie discerem, neque progressuum, aut me meorum, aut suorum discentes, poeniteret. Litterarum professionem tenebat Tollius, Vir Clarissimus, eamque tanto cum laudis fructu ornabat, ut haud facile vel ipse eam relicturus, vel ea ipsum dimissura, videretur. Igitur nulla ratio apparebat, quominus illum Athenaei nostri statum perpetuum aut diuturnum fore speraremus. At vero, quum nuper vicissitudo rerum humanarum hanc nostram spem fefellisset, intellexi, mihi quoque, mutatis rebus, consilia mutanda esse: quumque Tollius Hagam discederet ad Serenissimi Gubernatoris, principis in hac republicâ viri, filios erudiendos, ego Amstelodami mansurus praeclarum mihi ducebam, si possem apud nostram juventutem, id est, apud principis in hac republicâ civitatis filios, tanti doctoris discessu vacantem provinciam explere, factam jacturam compensare, susceptum dolorem lenire. Respondit eventus consiliis meis, delata est mihi Tollii provincia, a Philosophiâ ad Litteras traductus sum. Qua in commutatione sentio fore nonnullos, qui, mei meorumque studiorum ignari, levitatis me et inconstantiae accusent, quibusque purgare me debeam in principio hujus orationis, nec in eorum animis relinquere scrupulum, qui, ut ipsis ad audiendum, ita mihi ad dicendum obsit: quamquam non minus a meâ naturâ et ingenio quam ab hujus loci auctoritate

 ab-

abhorret, ut ipse de me multa dicam. Ego cum loco non sententiam mutavi, nec Philosophiae cum professione studium amoremque deposui: immo, ut antea eam et colui et aliis tradidi, ita in posterum eam et colam et aliis commendabo. Sed fuit haec semper studiorum meorum ratio, quae in primis ad Historiam et Antiquas Litteras referretur; ut in Philosophiâ diverterem, in Litteris habitarem: ut in Philosophiâ haberem instrumentum, in Litteris finem: ut in Philosophiâ mihi essent auxilia, in Litteris robur et firmamentum. Quis igitur aut non intelligat, Litterarum cognitionem semper mihi eo loco modoque fuisse, ut magis per eam, quam per Philosophiae cognitionem, et mihi et aliis satisfacere possem? aut quis, qui illud intelligit, jure me reprehendat, quod Philosophiae Litterarum professionem anteposui? Accedit alia caussa, eaque gravissima et cum rebus meis arcte conjuncta. Ego, cum per duo deinceps in hac urbe gesta docendi munera, tum per magnam ejusdem cum natali meâ patriâ similitudinem, morum, legum, institutorum: his igitur caussis paulatim factum est, ut ad hanc urbem, veluti ad alteram patriam, cum animo sensuque adhaeresccrem, tum judicio et voluntate me applicarem. Quare, si haec praecipue urbs mihi diligenda et colenda est, quidni eam et diligam et colam eo studiorum genere, quod ipse prae aliis praecipue studiis semper et colui et dilexi. Non est quod hoc loco quidquam dissimu-

lem:

lem: non est quare animi sensum non aperte profitear. Dico, iterumque dico, me, delatâ mihi Litterarum professione, illud consecutum esse, quod semper et spectavi et optavi. Et, cum de ipsâ professione laetor, tum vero quod ea mihi obtigit et hac meâ aetate, aut florente aut certe nondum inclinatâ, et hac in urbe, antea tantis necessitudinibus obstrictus, novo hoc munere, tamquam novo vinculo, obligatus sum.

Hoc ego reputans facere nequeo quin continuo eo me convertam, quo me hujus diei solemnitas vocat, Vobisque, Consules et Curatores Amplissimi, gratias agam de voluntate erga me vestrâ, qui primo quidem mihi campum aperuistis in quo excurrerem et constrictam adhuc facultatem explicarem: deinde vero, ne ex hoc in alium discederem campum, in quem his ipsis diebus vocabar, mihi persuasistis eâ liberalitate iisque rationibus, quae semper apud me tantum valebunt, quantum eas valere par est apud animum, qui et humanitatis et honestatis vim sentiat. Vobis item gratias ago de judicio vestro, quod Philosophiae mihi successorem constituistis, virum in hac doctrinâ primarium et omni laudis genere cumulatum. Magna est haec vestrae prudentiae laus, quod plurimis maximisque de communi patriae salute curis districti, tamen Athenaeo nostro ita prospexeritis, ut si huic uni rei vacaretis. Duit Deus Optimus Maximus talem omnibus vestris consiliis successum! faxit, socii vestri, reliqui hujus reipubli-

cae

cae gubernatores, vestram prudentiam sequantur! faxit, omnes patriae partes tam bene confirmatae sint, quam bene nunc Athenaeum nostrum illius viri accessione confirmatum laetamur! Ego, sive quid in me Philosophiam docente desiderastis, hoc Litteris docendis compensabo; sive nil in me desideravit vestra humanitas et indulgentia, ut hoc mihi conservetis judicium operam dabo, exemplo decessorum meorum, cum reliquorum, tum proximorum, Petri Burmanni Secundi, cujus obitum nondum eluximus, et Hermanni Tollii, e cujus discessu praesentem adhuc molestiam percipimus: horum igitur exemplo, disciplinâ meâ ita instituendâ, ut, quoad ejus fieri potest, viri ex eâ prodeant Vestrum simillimi, nisi honoribus, at prudentiâ in rebus administrandis, et fortitudine in patriâ defendendâ.

Jam Vobiscum, Clarissimi Collegae, quum antea me sociarent mutua collegii et amicitiae officia, eaque tanta quanta maxima et sunt et habentur, tamen, nescio quo modo, novus quidam animum meum sensus pertentans, propius me Vobis adjungit et conciliat. Huic ego sensui obsequar studio, observantiâ, pietate: Vos ei, quaeso, respondeatis favore, benivolentiâ, indulgentiâ. Et a Te quidem, Tolli, Vir Clarissime, depositam provinciam ita et suscipio et suscepi, ut tuis insistens vestigiis discipulos nostros ad eam Litterarum cognitionem ducam, per quam fiant iidem et rerum periti, et boni cives, et patriae defensores.

tes. Cumque Tu jam ei sis praefectus institutioni, quae plurimum in utramque partem valeat ad patriae statum; precor Deum Immortalem, ut per eam, quae in Te est, suavitatem animi, doctrinae, ingenii, fructus e tua institutione redundent in communem patriae salutem uberrimi. Tibi vero, Swindene, Vir Clarissime, trado jam Philosophiae professionem, quam ego adhuc, quamtum per virium mearum tenuitatem licuit, Socraticâ ratione tutatus sum, id est, saepius ad ignorantiae confessionem descendens, nec tam illud agens ut aliquid statuerem, quam hoc ut mihi caverem ne nimium statuerem. Hanc Tu nimirum rationem, Clarissime Swindene, multis partibus locupletabis et amplificabis praeclarâ tuâ illâ rerum physicarum mathematicarumque scientiâ. Quare et tibi professionem, et Te professioni gratulor doctorem: gratulor Te doctorem, et Athenaeo fructuosum, et urbi honorificum, et mihi jucundissimum.

Reliqua mihi oratio pertinebit cum ad omnes omnium ordinum Humanissimos Auditores, tum ex iis praecipue ad Vos, Ornatissimi Juvenes et Commilitones, qui Litteris Humanioribus studetis, earumque me doctorem et publice nacti estis, et privato vobis judicio elegistis. Reliqua igitur mihi oratio eo pertinebit, ut intelligatis Litterarum Humaniorum finem non in verbis, sed in rebus, esse positum: et vero in rebus maximis gravissimisque, quarum cognitio plurimum valeat ad bene bea-

beateque vivendum. Et quandoquidem de omnibus Litterarum Humaniorum partibus dicere majus est quam pro hujus horae angustiis, unam earum partem spectabo Historiam, atque ostendam, *Historiarum cognitionem magnopere efficacem esse ad studium virtutis et omnis honestatis.* Quod dum agam, rogo Vos, Auditores omnium Humanissimi, ut attentas mihi benivolasque praebeatis mentes, non quidem alicujus meae facultatis exspectatione, sed ipsius argumenti ejusque praestantiae et gravitatis commendatione.

Si quidem propositam quaestionem ad probabilem exitum perducere volumus, ejus initium capiamus a definitione cum Historiae, tum Virtutis, ut intelligatur, quae sit earum conjunctio, quae ratio, quae illius ad hanc vis et efficacia. Igitur, ut universe complectamur, Historia est narratio rerum gestarum cum temporum, locorum, hominumque significatione. Virtus autem, quamquam in eâ peculiariter definiendâ magnus est hominum dissensus, tamen in hac universâ descriptione plerique omnes consentiunt, ut sit perfectio, sive praestantia, naturae, posita in utrâque animi facultate, intelligentiâ et voluntate, seu, ut vulgo dicunt, contemplativâ et activâ: cujus praestantiae haec sit vis, ut, primo, intelligamus quid verum sit, quid falsum, quid bonum, quid malum: deinde, ut in omnibus actionibus ac totâ vitâ bonum sequamur, malum fugiamus, neminem laedamus, suum cuique tribuamus, omni-

omnibus quoad ejus fieri potest, hominibus consulamus, efficiendo ut plurimis fruantur bonis, minimis laborent malis: denique, ut hanc vîtae legem, tamquam rectam viam, constanter sequamur, ab eâque nullis voluptatum illecebris, nullis dolorum terroribus abduci nos patiamur. Sed quum Virtus non sit aliquid solitarium, quod per se solum esse et constare possit, sed debeat, ut vis in aliquâ materiâ, sic ipsa in animo et naturâ intelligente inesse; age attendamus ad humanam naturam, ne forte Virtutis tantam fingamus magnitudinem, quanta in humanae naturae angustias cadere nequaquam possit.

Jam primum omnium constat, in hominis naturâ eam esse animi corporisque rationem et conjunctionem, ut omnis cognitionis initium sit in sensibus corporis, per quos veluti nuncios animo adferantur notitiae rerum externarum, id est, rerum corporearum, singularium, in facto positarum, certo tempori locoque adstrictarum. Videtis, Auditores Humanissimi, in ipso initio et materiâ cognitionis, similitudinem Historiae cum naturâ. Videte porro progressum.

Infans primum sensibus movetur, vel specie aliquâ clariore oculos ad se convertente, vel sono acutiore aures percutiente, vel tactu aliove sensu quamcumque corporis partem sollicitante, sive ad voluptatem, sive ad dolorem. Deinceps, compluribus animum subeuntibus rebus, similitudine colliguntur obscurae quaedam universales notiones,

nes, sive anticipationes: simul etiam harum comparatione profert se paulatim primus decori sensus, tum imitandi studium, in quo verissime Aristoteles partem humanae naturae posuit. Et sunt hujus imitationis duo quasi capita: alterum, ut infantes rerum simulacris et imaginibus mirifice gaudeant et magis etiam quam ipsis rebus, ipsique fingere semper aliquid studeant: alterum, ut eorum, quos quotidie vident et probant, hominum assumant et induant habitum, gestum, incessum, obtutum, vocem, vel inscii ad eorum imitationem inducti, vel datâ operâ similes iis fieri cupientes. Mox, ubi continuum sermonem intelligere coeperunt, novimus, profecto, ut narratiunculis rerum gestarum delectentur: ut a narrantium ore pendeant: ut interea famis et sitis cogitationem deponant: ut narrationem inchoatam relinqui et quasi abrumpi aegre ferant: ut ad rei atrocitatem horrentes, et magis etiam ad rei exitum, quem conjecturâ praecipiunt, trementes, cum tamen quovis modo audire velint: ut lacrymulas fundant commiseratione innocentium et afflictorum, eorumque defensoribus ac liberatoribus taciti apud se et gratias agant, et similes fieri cupiant: ut simulatque cognoverunt, nunquam factum esse quod narrabatur, continuo, et rei tristis dolor, et laetae gaudium, ex mente evanescat: ut tamen verum sibi narrari postulent, et falsum pro vero narrantibus velut elusi ac decepti irascantur. O praeclara vitae magistra natura!

ra! O multis manifestisque indiciis conspicua! quae si diligenter observaremus ac sequeremur, hac certissimâ duce ad Virtutem perveniremus. Nunc, ut ex infantiâ in pueritiam, e pueritiâ in adolescentiam, ingressi sumus, ita ex aliis in alias manus, saepenumero ex malis in pejores, conjicimur, ubi naturae judicia opinionum commentis obruantur atque abstergantur. Sic enim se res habet, ut in mentibus nostris variae facultates tamquam chordae inditae sint, singulae naturâ sincerae, nondum tamen universae ad concentum conciliatae; sed quae, conciliatae rectâ institutione, tamquam concentum pariant Virtutem. Atqui hae chordae si ab imperitis manibus pulsentur et corrumpantur, singulae jam absonae quomodo universae fiant consonae? Si inepti, qui suos ipsi animos haud noscunt, juvenum animos formare aggrediuntur: si ineptis, quibus ipsis, quod perdant, ingenium nullum est, juvenum ingenia perdenda traduntur, ecquis tandem istius institutionis fructus exspectetur? Ita Virtus, quae existere nequit, nisi naturae bono succurratur, quomodo tandem existat, si naturae bonum etiam exstinguatur?

Praebet igitur nobis natura, sui quasi ansam, Historiam, quâ nos ad Virtutem ducat, cum intelligentiae, seu contemplativam, tum voluntatis, seu activam. Et ad contemplativam quidem Virtutem Historia nos ducit duabus rationibus. Altera in ipsarum rerum cognitione cernitur, e quâ

civilis prudentia et rerum in omni vitae genere utilium perspicientia existit. Altera per cognitionem rerum gestarum ad res intelligibiles, sive abstractas, ut vocant, ducit: ad percipiendas doctrinas animos praeparat, earum origine, progressione, studiisque erga eas hominum, enarrandis: itaque amaras, ut in proverbio est, doctrinarum radices dulces reddit. Quam rationem, quamvis manifesto loco a naturâ positam, incredibiliter homines, haud indocti etiam, aut ignorant aut negligunt. De quo neglectu magnus est campus dicendi, major etiam quam pro nostro instituto. Quare videamus de activâ, id est voluntatis et morum, Virtute, propius illâ cum hujus orationis argumento conjunctâ.

Activae Virtutis fundamentum est contemplativa Virtus. Nec enim laudabile est factum, nisi e certo judicio existat: nec fortitudo, temperantia, justitia, aliunde efflorescunt quam ex rerum cognitione: quae nisi agenti subsit, ne actio quidem apparet, sed motus temerarius, tamquam corporis sensu carentis, aut belluae impetus. Neque tamen sola per se cognitio satis valet ad actionem. Nonne enim saepe, ac nimium saepe, fieri videmus, ut homines ea, quae bona faciendaque sibi judicaverint, tamen non faciant, quadam animi et voluntatis imbecillitate, sive metu retenti, sive cupiditate in contrarium delati: vident meliora probantque, deteriora sequuntur. Hujus calamitatis cum aliae sunt caussae, tum haec praeci-

cipua. Virtutis praemia scelerisque poenae e longinquo et obscure apparent: Virtutis incommoda scelerisque praemia prope et manifesto apparent. Atqui, ut oculis corpora propiora majorem, remotiora minorem, sui praebent speciem, ita animis res cogitatae, absentes quidem leviorem habent sensum, praesentes acriorem inferunt motum et impulsum. Hic igitur robore quodam nervisque opus est, ne plus apud animum valeant praesentes vitii illecebrae quam absens officii honestatisque fructus: judicium, ut ad actionem fiat progressus, confirmandum est Exemplis, quippe quibus remoti ac futuri actionum exitus repraesentantur ac propius adducuntur ad animum, ut iis tamquam praesentibus moveatur, atque adeo rationi obtemperet. Virtus enim ipsa non cadit sub sensus corporis, quae, si oculis cerneretur, admirabiles sui, ut dixit Plato, excitaret amores. Atqui istam naturae inopiam supplet Exemplum. Sed Poësis ficto utitur Exemplo, Historia vero. Et quando ficti Exempli magna est vis; quanta tandem veri Exempli vis existimari debet?

Omnino moralis disciplina sine Historiae usu nulla esse potest. Quaeritis auctores hujus sententiae? Innumeros excitare possim. In re tam manifesta satis nobis unus est Jacobus Facciolatus, vir non minus Philosophiae scientiâ quam Romanae Eloquentiae facultate admirabilis. „Nempe, inquit, aut ipsa morum doctrina

 ni-

nihil est aliud, nisi Historia: aut ita cum Historiâ conjuncta, ut, si caret Exemplis, scholastica sit, jejuna, supervacanea. Tibi intus cane rigida et adducta illa Virtutum genera, quorum usu et possessione felicitatem definis. Nihil nobis hujusmodi persuadere poteris, nisi rerum eventu et hominum factis ostendas quid possit pati humana conditio, minime nota illis qui pallio inclusi intra parietes philosophantur. Quid fieri debeat, oscitantes audimus. At quum id factum esse intelligimus, nec sine fructu, et a praestantibus viris factum, tum vero studio movemur conandi similia, tum aemulatione exardescimus."

Socrates dicere solebat, perfectum sibi opus esse, si quis satis esset concitatus ad studium cognoscendae percipiendaeque Virtutis; quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent se esse quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam. Vere omnino ille. Nam, ut in corporibus duo haec cernuntur, primum motus, alterum iter et regula, seu directio, ita in animis duae sunt caussae efficientes Virtutis, quarum prior est in voluntatis impetu ac studio, posterior in viâ et progressu. Utraque caussa, sed magis etiam prior illa potiorque, proficiscitur ab intelligentia rerum, in primis Exemplorum, quibus animus et excitatur et ducitur ad Virtutem. Exempla porro maxime valent vera et historica: quorum efficacia a vero ipsa profecta verum parit cognitionis actionisque fructum.

Erat

Erat quidem optandum, ut sola nos per se ratio ad Virtutem duceret, nec Exemplis opus esset; quae movent quidem animum ac percellunt, sed, ut ait Seneca, stupentem ad speciosa non liberum relinquunt. Verum est haec naturae nostrae conditio, ut corporibus adstricti corporeis ducamur moveamurque imaginibus. Nec probanda est ratio eorum Philosophorum, qui morum praecepta ita tradunt hominibus, ut nudis et corpore solutis animis. Inest quidem animis nostris igneus vigor, ut ait Poëta, sed tantum quantum non noxia corpora tardant, hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. Igitur molliores illae partes naturae, tristitiae, gaudii, spei, timoris, scienter tractandae: per corpus ad animum patefaciundus est aditus: inferiores facultates cum superioribus conciliandae, affectus ad rationem accommodandi ad ejusque auxilium convertendi sunt. Hoc est munus Humaniorum Litterarum, in primis Historiae; hic ejus finis, hic fructus.

Jam, ut omnis Virtutum cognitio debet in actionem abire, nec sine actione Virtus vere dici haberique potest, ita ipsa tamen actio debet recte cognosci, sive, ut ajunt, Practicae Virtutis Theoria tenenda est. Quae quidem cognitio ab ipsarum usu rerum et Exemplis peti debet. Nam quum duae sint viae ad rerum intelligentiam; altera in Praeceptis, altera in Experientia; haec a posteriori, illa a priori, vulgo dicta; ad excitandam confirmandamque Virtutem, quae ipsa debet

 es-

esse posita in usu et actione, plurimum valet Experientia; quippe quae ipsa quoque unice in usu et actione versatur. Atqui Experientiae vicaria est Historia; quae cognitionem nobis repraesentat rerum, quamvis tempore locoque disjunctarum. Porro ad Virtutis progressum efficacissima est aliorum hominum, virtutumque et vitiorum, quae in illis sunt, observatio. Ad hanc si quis afferat non nisi generalem notionem e praeceptis, tamquam definitionem e compendio, necesse est, eum in judicio de aliis hominibus labi saepius et errare, quum ea, quae non nisi formâ aut gradu differunt, ipso genere diversa esse putaverit. Quem quidem errorem diligenter cavent, cum qui alias artes, tum qui Medicinam factitant; ad universam generis cognitionem adjungentes animadversionem caussarum quibus idem morbus diversas induit species, pro diversitate loci, tempestatis, sexus, aetatis, consuetudinis, vitae ante actae, aliarum rerum. Ergo, quod Medici faciunt in corporum judicio, hoc Virtutis studiosus in animorum judicio non faciet? Ille vero faciet: ac, prudentiae obsecutus, quae reliquarum Virtutum est fons, sibi cavebit ne se, aut alium quemvis unum, normam ac mensuram aliorum omnium hominum, et quasi totius generis instar, constituat. Virtus enim eadem, ut vere dixit Plutarchus, in variis hominibus varia est, secundum varietatem naturarum, ingeniorum, animorum, locorum, temporum: magnificentia est

alia

alia Semiramidis, alia Sesostris: prudentia est alia Nestoris, alia Ulissis: fortitudo alia est Achillis, Ajacis alia: patriae amor alius in Themistocle, alius in Pericle. Nec hujus varietatis justa cognitio aliunde hauriri potest quam ex vitae actionumque cognitione, id est, ab Experientiâ et Historiâ.

Igitur, si se ipsum cognoscere magnum quid est ac paene divinum, ut jure hoc praeceptum a Veteribus Apollini Delphico tributum sit; dubitari profecto non potest, quin Historiae magna ac paene divina sit praestantia. Est enim ea mentis nostrae natura, ut se ipse quisque ita maxime cognoscere discat, si maxime alios observet homines, ab iisque ad se respiciat, seque cum iis comparet. Sed quum res non modo praesentes, sed absentes quoque cognosci debeant, sintque absentes vel tempore vel loco; hae per peregrinationes, illae per Historias cognoscuntur. Peregrinationis locum supplere potest diligens studium Geographiae, quae ipsa Historiae pars est: Historia, si vacet, alio studio suppleri non potest. Videtis ergo ejus necessitatem. Neque vero hoc ita dico, ac si quisque ita melior sapientiorque sit, ut plura Historicorum scripta pervolutaverit. Neque enim peregrinator ita melior sapientiorque domum redit, ut plurimas regiones peragravit: sed is nimirum, qui, ut Homerus ait de Ulisse, non modo multas urbes vidit, sed multorum hominum ingenia perspexit. Sunt qui omnia peregrina laudent, patria et domestica con-

 tem-

temnant, alii contra. Sunt item qui omnia vetera et praeterita laudent, recentiora et praesentia contemnant, alii item contra. In hoc uno, ceterum dispares, convenimus fere omnes, ut ipse primo quisque se nimium amet, et, secundo loco, sui quemque simillimum. Qui amor, a bono naturae initio profectus, negligentiâ in frequens et pervulgatum abit vitium. Pueri hominem videntes inusitato vestitu indutum, sive audientes inauditâ linguâ loquentem, cachinnos edunt. Juvenes, aut viri etiam, aetate procedimus, ingenio saepe pueri manemus: plerumque ad nova et peregrina primum oblata vix risum tenemus; eadem, ubi exemplo et consuetudine auctoritatem adepta sunt, amplectimur et unice pulchra judicamus. Audivimus fuisse doctos, qui praeter se neminem doctum putarent. Fuerunt alii aequiores quidem, qui praeter se paucos esse doctos largirentur, sed eos fere iisdem atque ipsi studiis eâdemque ratione deditos. Sed quid doctos dicam? Nulla est ars, nullum studium, nulla laus, ubi non iste error dominetur. Ne ipsae quidem integrae sunt ab eo Virtutes. Quae tandem est gravior et sanctior, eaque nomine, utinam etiam re! frequentior, Virtus, amore Patriae? Atqui, credo, et sunt et fuerunt homines, boni quidem illi et Patriae amantes, qui quemvis alium et ipsum Patriae amantem, sed aliter amantem, et aliis in rebus dissentientem, Patriae tamen hostem et proditorem appellarent. Ceterum, si error iste, ut vi-

di-

dimus, inde a pueritiâ nobis adhaerescit et puerilis est, idemque depellitur diligenti Historiae studio, nonne Cicero divinitus plane dixisse videatur, Historiam ignorare idem esse ac semper esse puerum? Haec enim nos ex vanarum opinionum servitute in judicii libertatem vindicat: haec, per intelligentiam rerum humanarum, nos ipsos nobis aperit et cognoscendos praebet: haec efficit, ut animadvertamus et bona et mala, tam nostra quam aliena, tam domestica quam peregrina, tam vetera quam recentiora; ut aequo ea examine ponderemus, bona sequamur, mala fugiamus.

Videamus materiam Historiae: haec est ipse homo: nec universe, quod est Philosophiae: sed peculiariter certi homines, quorum cogitatio, ut rerum singularium, animum nostrum magis tangit et afficit. Est vero etiam homo homini materia cognitionis jucundissima, propter ipsam generis cognationem et similitudinem. Ita enim se res habet, ut conjunctissimum quodque maxime nos alliciat, teneat, sollicitet. Ergo in aliis disciplinis diverso sensu ac studio ducimur, alius aliud genus amat, alius ad aliud genus aptus est: non omnia possumus omnes, non omnia volumus omnes. Historiam cognoscere et possunt et volunt omnes, qui quidem non ipsam humanitatem exuerint.

Per hanc ipsam naturae communionem fit ut hominum rebus vel prosperis vel adversis, factis

vel bonis vel malis, in utramque partem commoveamur. Hinc stimulamur et incendimur ad recta imitanda, prava fugienda. Hinc naturarum bonitas apparet externis etiam signis: vel, quum horrent ad facti atrocitatem, cujus non capaces se esse sentiunt: vel, quum incalescunt ad egregii cognitionem facti, cujus ipsi se capaces esse sentiunt, et amore illius abrepti personam agentis induunt, lacrymasque inviti fundunt. O generosi indices animi lacrymae! o pars naturae nostrae benefica et conciliatrix Virtutis! sed eadem cito nimis exarescens ac fructu suo defraudata per turbas et ludibria vitae quotidianae.

Sed e duplici fonte motuum animi, Voluptate ac Dolore, innumerabilis manat multitudo et varietas affectuum, quorum quisque est quasi aditus, per quem Exempla perveniant ad animum, eumque moveant: nec ullus est affectus, cui, vel excitando, vel sedando, non idoneum Exemplum ab Historiâ peti queat: de quibus peculiariter dicere infinitum est, strictim locum attigisse satis sit. Frequentissimus omnium, qui ab Exemplo et Historiâ oriuntur, sensuum affectuumque est aemulationis et gloriae, qui acerrimos animis adhibet stimulos ad omne praeclarum factum suscipiendum, ut et vivi laudentur, et mortui ad posteritatis memoriam celebrentur. Dicat forte quis, gloriae studium non esse verum Virtutis principium. Audio: nec nego, illo gloriae studio multos ad multa vitia deductos esse. Enim vero, ut

hoc

hoc utar, si medicina recto usu salutem, perverso mortem, adferat, tu eam prorsus abjicies, nec operam dabis ut ejus bonum percipias, malum caveas? Tu illum laudis stimulum negliges? Tu illam virtutis ansam non apprehendes, quâ naturae tuae socios homines ab ignaviâ ad industriam, a socordiâ ad verum decus traducas. Quis Graeciam a Xerxe liberavit? Themistoclis Virtus. Quis Themistocli Virtutem indidit? Miltiadis aemulatio ac tropaea, quae dormire illum non sinebant. Ergo nisi Themistocles aemulatus esset Miltiadem, Graecia barbaro paruisset, nec audita fuissent nobilitata victoriis nomina Artemisii et Salaminis; periisset item, nec umquam exstitisset, posterorum Virtus his victoriarum Exemplis et laudibus excitata.

Est vero ad Virtutem in primis fructuosa aemulatio, quae oritur e vitis rebusque magnorum virorum per diligentem Historiae lectionem cognitis ac perspectis. Habet enim vita eleganter honesteque acta eum Virtutis splendorem, qui ultro se in animos nostros insinuet, eosque ad sui studium imitationemque alliciat. Hinc, ut acutissime monet Plutarchus, efficitur, ut a cognitione ad actionem progrediamur, illosque viros semper ante oculos habeamus, et in quavis aut actione suscipienda, aut conditione subeundâ, nos ipsi veluti interrogemus, quid hoc loco fecisset Socrates? quid Plato? quid Epaminondas? Quae nos exercitatio non solum ad ardua magnaque facta

cta promtiores, sed etiam ad calamitates tolerandas fortiores, reddet. Quod si enim amantes nonnunquam in amatis corporum naevos libenter ferunt, iisque delectantur; profecto, Virtutis amator, si quid est in Virtutis Exemplo molesti, hoc non extimescet, sed ipso amoris ardore et imitationis impetu provehetur ad labores etiam doloresque amplectendos. Itaque nec exilium Aristidis, nec vincula Anaxagorae, nec paupertatem Socratis, nec condemnationem Phocionis, reformidabit: immo has quoque calamitates, ne dissimilis fiat illis viris, non modo non recusabit, sed, si opus sit, forti animo suscipiet.

Animadvertamus etiam, quam sit simul et lenis et efficax Historiae admonitio. In nostris ipsi vitiis caecutimus, in alienis acute cernimus: qui aperte nos ac directo reprehendunt, in iis offendimur saepius: in aliis magis et integri attendimus, si quid delinquitur, tacitique ad nos ipsi respicimus et nostri vitii similitudinem agnoscimus. Corporum ea est lex, ut quo vehementius percutiantur, eo vehementius resistant. Nimbi cum impetu in terram ingruentes haerent in superficie ac defluunt. Pluvia sensim ac leniter cadens recipitur terrae graemio, et ad plantarum radices permanat. Eadem lex valet in animorum naturâ. Sunt animi generosi et Virtutum seminibus praediti, qui vim repellant, lenitati pateant: quorum si retegas peccata et ostendas, non meliores eos, sed pejores reddas: qui sua ipsi peccata corrige-

re,

re, non ab aliis corrigi, volunt: qui soli suorum sibi peccatorum conscii esse cupiunt, testem alium quemvis repudiant: qui, deprehensi in dedecore, ipsâ pudoris vi ad impudentiam convertuntur, factum omnibus rationibus defendunt, et, ut judicio egisse videantur, hoc maxime argumento efficere se putant, si factum idem iterent ac repetant. Ita generosi etiam perverturtur animi: malum, quod antea minime probaverant, probare paulatim discunt, seque ipsi in errorem et peccandi consuetudinem conjiciunt. Qui, si opportune ad Historiam adducti fuissent, sponte in alieno exemplo vitii sui turpitudinem agnovissent, et in Virtutis viam rediissent.

Si quis in cavernâ habitans, numquam ex eâ prodeat, sed alios ad prodeundum hortantes, et exterioris lucis liberiorisque aurae jucunditatem laudantes, repudiet ac repellat, nonne istum, ut lenissime dicamus, stultum appellemus? Jam noster animus habitans in corpore tamquam in cavernâ, adstrictus suo tempori et loco, quum possit haec naturae claustra perfringere, seque proferre in alia loca ac tempora, si nolit hoc facere ac viae ducem ultro se offerentem repudiet, quo tandem eum nomine appellemus? Atqui offert se animo nostro dux hújus viae Historia, repraesentans illi praeterita tempora disjunctaque loca, ubi veluti ex alto prospiciat seculorum regionumque conversiones, ac repleatur cognitione cum jucun-

cundissimâ, tum ad omnem Virtutem fructuosissimâ.

Egregia est haec et celebrata Lucretii de laude Philosophiae sententia, eademque admirabiliter in rectam Historiae rationem, quae ipsa est socia Philosophiae, conveniens:

Suave mari magno, turbantibus aequora ventis,
E terrâ magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas:
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.
Suave item belli certamina magna tueri,
Per campos instructa, tuâ sine parte pericli.
Sed nil dulcius est bene quam munita tenere
Edita doctrinâ sapientum templa serena:
Despicere unde queas alios passimque videre
Errare, atque viam palantes quaerere vitae,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti praestante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O! miseras hominum mentes! o! pectora caeca!
Qualibus in tenebris vitae, quantisque periclis
Degitur hoc aevi, quodcumque est!

Duplex a Poetâ significatur fructus cognitionis; alter morum, opinionum, animorum: alter, universe, rerum externarum et conversionum. Uterque infinitis partibus utilior ad Virtutem efficaciorque ostenditur in Historiâ, quam in jactatâ illâ Epicuri ratione. Primum igitur cognoscemus mirificam in humano genere varietatem opinio-

nionum de rebus divinis et humanis, proclivitatem ad superstitionem, desidiam ad quaerendum verum, vim auctoritatis, multitudinem errorum. Cognoscemus item excellentium hominum ingenio studioque prolatas veri partes multas. Reperiemus, nec bonos omni vitio, nec malos omni Virtute, carere: neminem sponte esse malum: initia vitiorum saepius in casu et externo statu hominis posita, quibus non animadversis praeceps fiat lapsus ad omnem pravitatem: ad initium quoque ac progressum Virtutis multum valere felicitatem. Haec qui diligenti Historiae tractatione cognoverit, aliorum et dissensum lenius feret, et injurias placabilius. Videns hominem erroribus vitiisque deditum, a quibus ipse sit immunis, non se efferet, sed ad animum ipse suum respiciet, an forte simili aliove laboret malo. Cogitabit, non cum perfectis vivi hominibus, sed, ut ait Cicero, cum quibus praeclare agitur, si modo simulacra sint Virtutis. Humani ingenii imbecillitatem ex vero aestimabit. Non se nimium amabit, ut aliena et vetera prae suis et hodiernis contemnat. Non veteres sapientiae doctores caecos gentiles nominabit, nec eos levi erroris vitiique suspicione ductus condemnabit, et pueriliter de iis quasi triumphabit; ut aliis miserandus videatur, tamquam mente captus: aliis deridendus, tamquam gallus gallinaceus sine adversario exultans, et in barbarae doctrinae, veluti, sterquilinio, gradu incedens superbo ac victoriam canens.

Mag-

Magna sunt haec ad pietatem et omnem Virtutem subsidia: majora etiam ea, quae a contemplatione rerum externarum et conversionum proficiscuntur. Socratis fertur dictum: si omnes homines in commune suas conferant calamitates, ut novâ distributione summae hujus aequalem quisque accipiat partem, fore ut suam quisque veterem partem lubens retineat eâque contentus abeat. Sed hic nimirum acervus, haec summa, humanae miseriae aut nullo modo, aut per Historiam, intelligi aestimarique potest. Ecquis igitur in monumentis relatum legens de magnis plerorumque miseriis, aut non levetur et erigatur, si sit ipse in eodem vel simili malo, aut non Deo gratias intimo animi affectu agat, si sit ipse incolumis? Ecquis legens innumerabiles hominum myriades quotannis morbo ac bello, subinde terrae motu, aquarum inundatione, aliisque casibus, absumtas, non mortem ipse suam levius ferat, ejusque terrorem leniat? Quid singulos homines dicam? Totae urbes et magnitudine et numero ingenti exstinctae sunt, ut singularia hominum corpora. Quod qui animadvertat, nonne se ipse, quasi Servii ad Ciceronem admonitione, reprehendat: visne tu te cohibere et hominem natum te meminisse, caducum et fragile negotium? nonne vides tota urbium corpora diruta deletaque jacere? Fuit illa sub Assyriis Babylon! fuerunt Persarum Ecbatana! fuit Phoeniciorum Tyrus et Sidon! fuit Memphis Aegyptiorum! fuerunt Graecorum Athe-

nae,

nae, Corinthus, Thebae! fuerunt eorumdem Graecorum innumerabiles et florentissimae urbes, per omnem Graeciam, Asiam, Africam, Siciliam, Italiam! fuit illa Romani aemula imperii Carthago! ipsa, terrarum domina, Roma vix umbram sui habet. Dies me citius deficiat quam nomina urbium, quarum ne vestigium quidem superest. Sed quid urbes dicam? Magni populi ac totae nationes perierunt haud secus ac singularia hominum corpora. Assyrii subacti sunt a Medis et Babyloniis: hi a Persis: Persae a Graecis: Graeci a Romanis: Romani a Barbaris: Barbari deinceps ab aliis Barbaris, e quorum colluvione et manarunt majores hodiernorum Europae populorum, et ita sibi decus quaerit nobilitas, ut maxime quidem ad ipsam illam colluvionem, sin minus id fieri possit, ut profecto nequit, at proxime tamen ad eam prima sui generis indicia referre conetur. Atqui omnes istae rerum conversiones exiguo fuerunt et temporis et loci spatio, e quo ipso non habeamus omnium rerum omnia monumenta. Quid igitur, si reputemus aetates regionesque eas, e quibus nulla ad nos venit notitia? Ergo Homerus, qui, ad hanc parvitatem ac fragilitatem respiciens, homines comparavit cum foliis in sylvâ deinceps pereuntibus et succrescentibus, Homerus igitur minime rem praeter verum auxit, sed rationem proportionemque diserte significavit. Nam, ut nationes instar sunt sylvarum, ita urbes arborum, homines foliorum. Tu vero, quisquis es homo,

quum sis instar unius folii, in istâ tuâ te dilatabis angustiâ? tu gloriolâ intumesces? tu superbiâ te efferes supra alios sortis tuae socios homines, veluti folium supra alia folia? Non facies, mihi crede, si ex Historiae cognitione humanae conditionis tenuitatem ac fragilitatem aestimes. Intelliges, profecto, Numen quoddam esse infinitum, quod, ut ait Euripides, occulto incedens gradu, justa ratione res gubernat humanas. Ad hoc tu Numen respicies, huic te dabis, in hoc tu acquiesces, hujus tu magnitudine tuam parvitatem obrues.

Igitur ad hujus cogitationem Numinis nostra omnis magnitudo evanescit. Reputet, Auditores Humanissimi, nostrûm quisque, quam parva ipse sit pars hujus Reipublicae: quam item haec Europae: quam porro Europa totius Terrae: quam deinde haec Terra hujus Mundi, qui continetur Sole et errantibus circa eum stellis huic Terrae similibus, in quibus, ut Philosophi persuadent, item habitatur, vivitur, agitur. Tum reputetis, quam parva sit hic Mundus pars totius Universitatis, cujus quot stellae fixae infinitâ multitudine noctu lucent, tot sunt Soles, sui quisque Mundi dux stipatus comitatu errantium stellarum ab oculis nostris numquam perceptarum. Denique cogitationem convertite ad Deum, a cujus nutu tota haec Universitas et profecta et suspensa est. Jam videtis ad quam parvitatem redacti simus. Sed, credo, parvitas diu-

tur-

turnitate compensatur. Immo, parvitati respondet brevitas. Sed, fortasse, utraque compensatur suavitate vitae, et naturae munere explendo; veluti ajunt de illis ad Hypanim fluvium bestiolis, quae, quo die nascuntur, eodem moriuntur, et omnes vitae suae partes et aetates paucis horis absolvunt: quarum si nemo miseram esse sortem dicat, hominis certe sortem praeclaram habendam esse, quippe in multo majore et vitae spatio et naturae praestantiâ. Equidem, ut non statuo de sorte horum et aliorum animalium, quorum vitae actionem et sensum non satis intelligo, ita Experientiae et Historiae assentior, non esse quare homo tantopere de naturae suae praestantiâ glorietur: cui naturae quotusquisque est qui satisfaciat? At, inquit, Virtute paratur felicitas, aut certe vitae suavitas. At, ut eadem Experientia et Historia docet, hoc Virtutis ad felicitatem iter multis saepe calamitatibus turbatur: saepe bonis male, malis bene, est: in animis versantur error et imbecillitas, in corporibus infirmitas et valetudo, in fortunâ iniquitas et adversitas: deinde, ubi ex erroribus et praejudicatis opinionibus emergere nos coepimus, sero est, instat senectus et mors. Hoc mihi loco rursus in mentem venit Homeri, qui divinitus plane informavit summum imperium et numen Jovis, cujus in manu ab aureâ catenâ suspensum sit totum universum. Si quis igitur in rebus fluctuantibus aliquid firmitatis ad consistendum quaerat, hoc non potius ab interjectis

catenae annulis quam ab ipso Jove quaerat. Nec nos naturae nostrae proferendae et angustiae dilatandae auxilium aliunde petamus quam a Deo, qui solus vere magnus, solus omnis magnitudinis fons et auctor est. Ergo accipiamus porro a Philosophiâ et Historiâ, quam vim ad nostram parvitatem habeat magnitudo Dei. Nimirum, ut vere docent, res humanae similes sunt scenae, in quam homo inducitur a Deo ad vitam, veluti personam, agendam, quae utrum sit regis an servi, diuturna an brevis, nil refert, sed an bene et ad argumentum fabulae accommodate agatur. Jam vero, nos huic terrae adfixi sumus: Deus in toto universo ubique est praesens. Nos in hac ipsâ terrâ superficiei adhaerescimus: Deus omnium in toto mundo animorum corporumque intima quaeque pertractat. Nos hujus ipsius superficiei exiguam partem cognoscimus: Deus omnes res, et singulas et universas, perspectas habet. Nos pauca nostris ipsi sensibus, pleraque aliorum fide ac testimonio, intelligimus: Deus praesens ipse omnia et manifesta cernit. Nos parvi temporis spatiique res gestas in Historiis custodimus: Deus per omnium seculorum decursum et praeterita tenet, et praesentia videt, et futura prospicit. Nos levi vestigio eventus rerum colligimus: Deus omnium ipse rerum et caussa est et creator. Hic fruitur continuo spectaculo innumerabilium conversionum in hac scenâ quovis momento succedentium: vere beatus, quod in ipso nec cognitioni ma-

materia, nec materiae cognitio, umquam deest. Per hanc animus noster contemplationem quasi procul e tenebris lucem conspicit, ad quam cursum dirigat; in fluctibus locum nactus, ubi consistat, erigitur: extendit se in illam regionum seculorumque aeternitatem: se ipse major altiorque fit: intelligit se hujus vitae provinciam ac personam agere spectatore ac judice certaminis Deo, qui, omnes in hac scenâ actores aequali complectens animadversione, non alium alio magis minusve curet atque observet. Igitur nec se ipse prae aliis aut effert, aut demittit: nec se vel jactat quasi praeter caeteros a Deo dilectum, vel queritur quasi neglectum. Atque hac inductione et anticipatione praecipit futuram immortalitatem: sentit se non in hujus vitae angustias inclusum, cursum et iter animorum ultra corporis fata patere in sequentis aevi aeternitatem, in quâ certaminis praemia reposita sint. Vere mihi videor hoc esse dicturus, Auditores Humanissimi, ad veram pietatem in primis valere Historiam. Haec ipsam corroborat Philosophiam, ejusque praeceptis vim vitamque adjungit. Pietatis fundamentum positum est in scientiâ et firmâ persuasione animi de Divinâ providentiâ et gubernatione. At vero, ut haec scientia in animis nostris non quasi dormiat, sed vigilet, ut ad actionem sensumque abeat, ut valeat contra vitae acerbitates et mortis terrorem: hic igitur fructus ita maximus exsistit, ut maxime

per Historiarum cognitionem perspectas ac pertractatas habemus res humanas.

Sed, ut in iis quae hucusque dixi, Auditores omnium ordinum Humanissimi, spero me Vos habere assentientes, ita suspicor vestra ingenia requirere etiam rationem ac viam, quâ tractandum sit Historiarum studium, ut inde laudatus ille Virtutis fructus percipiatur: quâ viâ et ratione designatâ hûic loco demum satisfecisse videar. Neque etiam ego ita disputavi, ac si quisque Virtutem assequatur, vitioque liberetur, cum se in lectionem Historiae conjecerit, et locum ex eâ veluti magicum carmen recitaverit. Omnino est certa quaedam ratio Historiae tradendae, certa item percipiendae: est lex, ut docentis et narrantis, ita discentis et audientis. De quâ lege et ratione quum constituissem hac ipsâ quoque dicere oratione, animadverti tantam esse argumenti magnitudinem, ut ejus tractatio in alium locum tempusve reponenda sit.

Igitur, ut finem dicendi faciam, colligamus ex dictis, Ornatissimi Suavissimique Juvenes et Commilitones, quid nobis agendum sit, ut per Historiam ad bene beateque vivendum proficiamus. Nimirum in hujus tanti possessionem boni non temere ac subito involatur, sed gradibus ac diligentiâ pervenitur. Fundamentum totius rei est in ipsâ Historiae intelligentiâ: intelligentiae fundamentum est in illâ rerum summâ ac brevi discriptione, Historiae Universalis nomine celebratâ: e

cu-

cujus fonte manat omnis liberalis institutio, omnis ingenuo digna cognitio, omnis doctrinae flos et ornamentum: cujus disciplina sapientissimo consilio sancita et confirmata est, cum in aliis, sive Academiis, sive Gymnasiis, tum in nostro Athenaeo. Hac ergo mature animos imbuamus ac praeparemus ad omnem reliquam percipiendam Historiam: cum patriam ac domesticam, tum peregrinam et externam: cum populorum et conversionum, tum ingeniorum ac disciplinarum. Ita paulatim praejudicatae opiniones locum cedent veris judiciis, ac perspicientiae rerum humanarum, id est, prudentiae. E prudentiâ efflorescet pietas: e pietate magnitudo animi, modestia, temperantia, justitia: ex his verus patriae amor: ex amore patriae fortitudo in agendo, constantia in patiendo, contemtus mortis, omnes denique Virtutes et publicis et privatis rebus salutares. Duit Vobis hoc animi propositum et consilium Deus Optimus Maximus!

D I X I.

PRAEFATIO

PARTIS NONAE

BIBLIOTHECAE CRITICAE.

PETRO FONTEINIO,

ERUDITISSIMO, EIDEMQUE AMICISSIMO VIRO,

S. P. D.

DANIEL WYTTENBACH.

Redit post quartum annum Bibliotheca Critica, et ita redit, ut quae antea sola et quasi orba emittebatur, jam ab auctore ipsa suo in publicum deducatur, in tuâque, Eruditissime Fonteini, tutelâ reponatur. Qua quidem in re, ut mihi videor, et nunc cum ratione facio, nec antea sine ratione feci. Nam cum ad omnem scriptionem judicium adferendum est integrum, tum maxime ad eam quae in aliorum scriptis censendis versatur, ab eoque praecipuo munere Critica appellatur. Itaque

que superioribus quidem annis me auctorem profiteri nolui; non solum, ut ipse sententiam liberius dicerem; sed in primis, ut nominis mei cognitio, et sive bona illa sive adversa existimatio, ne apud alios obesset libello, sed tam illis legentibus quam mihi scribenti judicium, quoad ejus fieri posset, integrum constaret. Ceterum, temporibus mutatis, mutanda est ratio. Nam, ut fit, nomen auctoris paullatim emanavit; ut jam non sit quare reticeatur, nec eo edito libellus detrimenti quid capere, sed in hac qualicumque legentium frequentiá tueri se posse, videatur.

Quod vero Te, Praestantissime Fonteini, libello patronum assumsi, rationes mihi fuerunt, quarum vel numerum vel momentum nemo quisquam reprehendat. Primum, pietas erga Te mea, tuaque erga me benivolentia: quae a communi Literarum studio profectae, consuetudinem inter nos conciliarunt eam, quae multos de his Literis privatim tulit sermones mihi et jucundissimos et fructuosissimos, ut eorum publicum prodere documentum ipsa me pietas jubeat. Accedit singularis quaedam tua erga hunc libellum voluntas, cujus ut ante instituendi, ita nunc instaurandi, suasor et hortator mihi fuisti praecipuus. Jam si nullae essent inter nos tantae necessitudines, satis tamen apud me valere debebat summa illa doctrinae tuae copia: quam quidem Tu, quo minus ad scribendum, eo magis ad judicandum convertis. Quamquam sunt tuae, ut in longo usu accu-

ratissimaque Veterum lectione, et Animadversiones plurimae plane egregiae, et est Theophrasteus Characterum libellus auctus a Te ac mirifice expolitus: qui studii tui fructus ne intercidant Tu providebis, si quid apud Te vel Litterarum commodum vel nostrae preces valent. Sed prouti ille philosophiae parens Socrates ingenio quamvis acerrimo nil ipse pariebat, sed aliorum parturientibus ingeniis obstetricis officium adhibens eorum foetus dijudicabat, jucundâque illâ ironiae festivitate reprehensionem temperans plurimos errore et opinionis vanitate liberabat, et in rectam veri bonique viam revocabat: ita Tu, Praestantissime Fonteini, et studium tenacissimum et ingenium cultissimum in legendo et judicando, non in scribendo, collocas, et illam judicii severitatem humanitate temperans plurimis nostrorum hominum et profuisti et prodes: quorum nemo est, paulo quidem prudentior ac modestior, quin scriptum editurus, sive illud ad Antiquas sive ad Patrias Litteras, sive ad solutam sive ad ligatam referatur orationem: nemo igitur est, quin tuum expetat judicium, et cum accedat ad Te ut ad judicem, a quo tam sit probari honorificum, quam reprehendi salutare, tum discedat a Te, ut se tuâ admonitione doctiorem melioremque discedere sentiat. Quare tua, Praestantissime Fonteini, jam octogenarii senectus est illa quidem omnibus admirationi, et jure beata praedicatur, ut corpore animoque vigens, morum facilitate constans, do-

ctri-

ctrinarum studiis exhilarata, summorum hominum familiaritate florens: quae quamquam magna sunt et mirabilia, haud scio an majus etiam sit illud tuum bonum, cujus fructus in publicum effluit. Mihi certe in Te intuenti, nescio quomodo, semper occurrit illud L. Crassi dictum, qui senis beatitatem in dando consilio posuit, ut suo jure dicere senex idem possit, quod apud Ennium dicat Pythius Apollo: *se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant,*

Suarum rerum incerti: quos ego meâ ope ex
Incertis certos compotesque consili
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Plura hanc in rem dicere, quamquam et multa et verissima dicere possim, cum tua gravitas, tum meus me prohibet pudor. Illud unum intelligi volui, me non sine ratione facere, ut libellum Criticum ei viro inscribam, cujus et summa doctrina et diuturna vita in judicio de his Litteris, id est in Critico studio, consumta est. Nunc intermissae instaurataeque scriptionis caussam accipe.

Igitur Bibliothecae Criticae scribendae primum socius, ut nosti, mihi erat Schultensius noster: qui partes tuebatur Orientalium Literarum, Censurasque in eo genere conscripsit eas, quae in tribus prioribus primi voluminis partibus exstant. Sed Schultensio in Lugdunobatavam delato Aca-

de-

demiam, Litterae nimirum Orientales in hac Bibliotheca conticuerunt, et solae jam relictae sunt Graecae Latinaeque; quarum tanta erat materia, ut faber ei deesse videretur. Hoc mihi loco non praetereundi sunt viri, qui in partem operis accesserunt. Primus est Ruhnkenius meus idemque Tuus, qui, ut Homerice dicam, in literata civitate nobis est,

Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκηπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν ἐμβασιλεύῃ.

Hic igitur duas contulit Censuras, alteram *Commentarii de Palaestra Neapolitana* ab *Ignarra* scripti, alteram libelli *Orphici de Lapidibus a Tyrwhittio* editi. Nec alii defuerunt viri docti. Nam Laurentii Santenii est *Tibulliana* Censura: Jani Ruardi, *Verrianorum Fastorum:* Henrici Wagneri, *Horatiana*, et item alia. Omnino de fabrorum paucitate non erat querendum, si Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν. Nunc tantus vacabat locus, cui ego explendo vix sufficerem. Quid igitur, inquis, tantusne is labor est, per totum annum scribere unum libellum, quales et multos quotannis, et multo majores illos, multi Ephemeridum Scriptores edunt? Scio et novi, Praestantissime Fonteini, nec invideo, miror magis illam scribendi facilitatem. Mihi quidem in hac ingenii tarditate ad scribendum tempore et cogitatione opus est: οὐκ ἔσμεν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων. Adde huc vitam occupatam docen-

cendi munere: quod, si ad profectus discentium administrandum est, plus temporis requirit quam vulgo putatur, et, cum quotidiano instituendi opere, saepe necessitatem librorum conscribendorum adfert. Nam, ut antea in tradendâ Philosophiâ libellos confeci de Logicâ, Metaphysicâ, et Historiâ Philosophiae, quorum ille editus est: ita nuper, ad Litteras docendas traductus, in similem necessitatem inductus sum, meditorque cum maxime duos libellos de *Historiâ*, alterum de *Universali*, alterum de *Literariâ*. Nam quid de Plutarcho dicam, qui vetus est nomen quod vix diutius deberi posse videatur, cujusque edendi specimen hac ipsa Bibliothecae parte prodendum duxi. Haec eo pertinent, non ut operam meam qualemcumque illam ambitiose jactem, sed ut Tibi, Praestantissime Fonteini, cui omnia mea probari cupio, temporis mei intermissaeque scriptionis rationes probem.

Alia difficultas exstitit ex ipsâ hujus Bibliothecae formâ et designatione. Hanc enim ita institueram, ut nec unice Criticas Animadversiones contineret, veluti *Miscellaneae* illae *Observationes Belgicae:* nec ut solam novitatem haberet, veluti complures nostra aetate Ephemerides, in quibus de libris quibusque recentissimis refertur. Quorum generum illud, solidum et austerum, non satis valet ad excitanda tenendaque hominum studia; hoc jucundum quidem, sed leve, haud fere alium fert fructum, nisi eum, qui cum ipsa novi-

ta-

tate perit. Igitur inter utrumque genus medium quoddam tenere studui; ut ab illo doctrinae diligentiam, ab hoc novitatis gratiam, assumerem. Quantum consecutus sim, alii judicent: ego certe Thucydideum illud mihi proposui, liceat enim parva magnis conferre, ut non tam ἀγώνισμα εἰς τὸ παρὸν, quam κτῆμα εἰς ἀεὶ conficerem.

Ceterum, novitate, quâ legentibus voluptatem quaerebam, mihi ipse molestias inveni. Quid aliis accidere soleat, nescio. Ego novissimos quosque in hoc genere libros legere, et ad certum quasi et praestitutum Censurae tempus legere, coactus, incredibile est quantum saepe taedii devoraverim. Ita enim se res habet, ut vel optimum librum quovis tempore legere, nec libeat, nec placeat: nedum minus bonos, quorum est major multitudo, quos ne attingeremus quidem, nisi censoria provincia necessitatem imponeret. Huc illud etiam injucundum accedebat, quod Critica, ad certum librum adstricta, nec campum reperiebat ubi liberius excurreret, nec locos satis frequentes ubi alias Animadversiones expromeret. Quare, ut huic incommodo occurratur, ab ista novitatis lege aliquantum remittemus, ac subinde, Te quidem, Praestantissime Fonteini, approbante, interponemus cum Criticas Diatribas in Veteres Auctores, tum ineditas eorumdem particulas, Observationes, Emendationes, aliasque hujus generis scriptiones: veluti nunc adjecimus Specimen Plutarcheum et Animadversiones Julianeas.

Jam

Jam quid de invidiâ censorii muneris dicam? Quae sane Censori, peculiari quodam fato, ab omnibus venit Scriptoribus, tum ab iis quos censet, tum quos praeterit. Et hos quidem ego rogatos velim, ne scripta sua per contemtum aut neglectum a me praeterita putent, sed sinant apud me valere rationes eas, quas modo dixi: cogitentque, nec omnia ad meam notitiam pervenire, nec me omnia legere posse, quae ad notitiam meam veniant, nec denique lecta omnia me dijudicare posse. Illorum, qui censentur, difficilius etiam est negotium. Ut enim Scriptor quisque scriptum suum, ut partum pater, diligit ac pulchrum putat, ita laudes, ut debitas verasque, nullâ magnopere benivolentiâ, reprehensionem, ut falsam immeritamque, odio accipit. Unde fit, ut, quum nulla sit laudis gratia, quae reprehensionis invidiam compenset, Censori rationibus subductis summa semper maneat invidiae. Contra quam si et ipse Censor animo sit firmo ac munito, et Censuram suam probet aliis iisque doctissimis viris; ego tamen, nescio quomodo, nil me profecisse putem, nisi judicium meum huic ipsi homini, de quo judicaverim, probem. Ita Socrates in convincendo adversario, magis unius adversarii, quam multorum testium, assensum sibi quaerebat. Quod cum praestare Censor non possit, illud certe praestare et potest et debet, ut suum ipse sibi judicium probet. Atque hoc ipsum audienti facile videtur, experienti difficillimum reperi-

ritur. Me quidem duo semper scrupuli sollicitant: quorum alter ad Scriptorem, de quo judicatur, alter ad Censurae difficultatem, refertur. Uterque cujusmodi sit, Praestantissime Fonteini, operae pretium est cognoscere.

Et primum de Censurae difficultate, quidque hoc sit censere, quamque vim habeat, videamus. Nimirum, nomen ductum est ab more Romano, quo Censor cives, suis quemque facultatibus, suis bene secusve factis, in certam classem redigebat. Ergo librum censere est, cum laudibus vitiisque suis aestimare, et suo loco, tamquam classe, ponere. Hoc jam ipsa professione, nescio quam habet arrogantiam: te unum e multis surgere non modo ad dicendum, sed ad censendum. Cedo vero etiam rem, quam censeas? Scilicet haec ejusmodi est, quae ne cadat quidem sub eam Censuram, quam volumus, quamque ipsa nominis vis ac ratio postulat. Neque enim ingeniorum, prouti corporum, certam mensurae significationem nobis dedit Natura: nec doctrinam licet aestimare aut libra ut gravitatem ponderis, aut thermometro ut gradum caloris. Nunc multa opus est libri descriptione, ejusdem cum similibus libris comparatione, frequenti speciminum commemoratione, modo probatione, modo laudatione, modo reprehensione, omni explicandi via et ratione, omni mentis in omnes partes agitatione et conversione; ut vel aliquatenus libri pretium laudisque gradum intelligat legens, ac saepe ne in-

tel-

telligat quidem, nisi ipse harum rerum peritiam usumque ad Censurae lectionem adtulerit.

Alter scrupulus, Praestantissime Fonteini, referebatur ad ipsum Scriptorem, de quo judicatur. Nam in omni Scriptore duae sunt quasi personae, altera Scriptoris, altera hominis: quae personae nisi probe discernantur ac distinguantur, male in alterutram partem, leniorem severioremve, judicabitur. Ergo perperam faciunt, qui Scriptorem quaerunt, ubi non nisi hominem quaerere debebant; et contra. Hoc obscurius forte dictum exemplo explanetur. Meminimus, Praestantissime Fonteini, nos saepius audire ex hominibus peregre venientibus, cum dicerent se apud virum doctum fuisse; sed eum nil locutum, quod celebratâ ipsius doctrinâ dignum esset. Nimis quidem illi cupide et imperite: Scriptorem quaerebant, ubi homo quaerendus erat: quasi vero e doctorum virorum ore perenne doctrinae flumen manare debeat. Immo, quo plus doctrinae expromunt scribentes, eo minus expromunt otiantes: licetque iis ad eam se remittere quietem laxationemque, ut infra communium etiam hominum captum sapere videantur: quale illud est Scipionis ac Laelii, qui rusticantes mirabiliter repuerascebant.

Neque vero minus peccant qui hominem quaerunt ubi Scriptor quaerendus erat. Quod est vitium Censorum, qui in judicio de libro non unice librum ipsum, sed ejusdem Scriptoris famam,

alias scriptiones, reliquam vitam, spectant, ejusque invidiâ aut benevolentiâ ducuntur. Quo in genere si in mitiorem partem peccatur, nec peculiari erga hominem benevolentiâ, sed cogitatione communis sortis et imbecillitatis humanae; hic est unicus locus, ubi Censori erranti velim ignosci: si modo ignosci possit ei, qui semel tam grave munus susceperit. Mihi quidem, quotiescumque Scriptorem reprehendo, in mentem venire solet, eum, quamquam malum Scriptorem, fortasse non malum hominem esse: eaque cogitatio reprehensioni veluti manum injicit, ejusque iter retardat. Ex qua dubitatione ita me ipse ad judicii integritatem revoco, ut cogitem quid ego mihi muneris sumserim in censendo, quid sibi Scriptor in scribendo. Atqui Censoris est vere accurateque judicare: Scriptoris autem est ita scribere, ut, et praeclare secum agi putet, si vere accurateque judicatur: et in animum inducat suum, se non sibi aut paucis iisque imperitis scribere, sed omnibus prudentibus et qui nunc sunt et qui postea erunt, in eorumque se quasi consessu et judicio caussam dicere. Qui secus facit, ut egregio Longini dicto utar, ἀσχημονεῖ πρὸς τὸν αἰῶνα, indecore agit coram omni et praesente et futura aetate: cumque ipse nullâ hominum reverentiâ utatur, inique postulat, ut erga ipsum reverenter, et mollius quam verius, agatur. Qui in publicum prodeunt, vestitum sumunt decorum, certe tempori locoque convenientem,

tem, nec quid ineptiarum offensionisque habentem: et qui publice loquuntur, operam dant, ut nil aut ineptum aut aliorum cognitione indignum afferant. Ergo qua hi verecundiâ utuntur erga paucos praesentes, hac scribens non utatur erga omnes et praesentis et futurae aetatis homines? Immo vero utetur, et eo magis quidem, quo minus quam aliis scribenti ignosci potest. Etenim quando scribimus, tum in uno argumento cogitationem omnem collocamus, tum maxime vigemus et vigilamus: estque, certe debet esse, status scribentis is, in quo maxime valet homo, ubi se ipse vincit, ubi, quod Graeci dicunt, ἑαυτοῦ κράτιστός ἐστι. Atqui, si, ut hoc utar, judicium de mentis sanitate nobis subeundum esset, certe illud eo tempore potissimum subire velimus, quo potissimum vigemus ac valemus. Jam qui illo tempore, quo maxime vigere ac valere debebat, ineptus fuerit, nae is aliis sapere temporibus perperam putetur.

Caeterum, si Censor, quam legem in Scriptores, eandem in se ipse statuit: si haec etiam ei nova accedit difficultas ad alias, cum quas dixi multas, tum quas non dixi innumerabiles: si has ego difficultates re et usu expertus, a censorio munere destiti; poteritne ulla tanta exstare caussa, qua denuo ad idem munus suscipiendum adducar? Una, Praestantissime Fonteini, etiam exstat caussa, tua voluntas, quam negligere me

non sinit mea erga Te pietas. Hujus Tu pietatis monumentum accipe hanc scriptionem: Tibique ita persuade, me, cum omnem vitae suavitatem Literis debeam, tum in ea praecipuo loco ponere tuam amicitiam tuamque lucem; quibus mihi ut porro diutissime frui liceat, non mei tantum, sed ipsarum Literarum caussa, vehementer opto. Vale. Scripsi Amstelodami d. xxIx Nov. Ao. MDCCLXXXVII.

PRAE-

PRAEFATIO

EX PRIMA EDITIONE

SELECTORUM PRINCIPUM HISTORICORUM.

Si quis forte miratur hunc a me libellum edi, magis ad studiosae juventutis institutionem, quam ad virorum doctorum cognitionem, comparatum: is, cognitâ caussâ, et consilium a me captum probabit, et non dudum antea effectum mirabitur.

Viginti et duo sunt anni cum Graecas Literas docere coepi. Eique ego institutioni tantum tribui quantum plurimum possem, ut cui proposita esset cognitio principis ingenio populi, a quo humanitas omnis ac doctrinae cultus et exstitit et ad nos manavit, qua cognitione neglectâ, nec Latinae Literae, nec ulla liberalis disciplinae pars, recte percipi potest.

Sed quum quatuor fere sint partes, quibus, ut aliae, ita Graecae Literae constant, quae partes vulgo dicuntur et habentur Historia, Antiquitates, Enumeratio ac recensio Auctorum, Linguae

grammatica scientia: tribus illis prioribus vel extraordinarias, vel cum aliis nostris scholis conjunctas, damus scholas: quartae nobis partis perpetua est et ordinaria institutio, ut quae ad reliquarum trium intelligentiam, et ipsius linguae ingeniorumque cognitionem, interpretandis Auctorum scriptis aditum aperit. Hujus nobis annuum pensum ita descriptum est, ut ab aliquo optimae prosae Scriptore initium ducamus, tum ei adjungamus Homerum, denique in Tragoediâ, vel Comoediâ, vel Bucolico, vel alio carmine, finem faciamus. Et quandoquidem instituto majorum, Graecarum Literarum Professoribus provincia addita est interpretandi Novi Testamenti; huic provinciae ita satisfacimus, ut in uno alteroque capite exemplum proponamus interpretationis grammaticae, qua Scriptoris et sententia explicetur, et oratio quid a Graecâ differat oratione notetur.

Et vero in universum nobis valet, quod de exemplo diximus. Nam et reliqua Auctorum, cum Graecorum tum Romanorum, interpretatio ita peragitur, non ut eorum omnia opera enarremus, omnesque e commentariis copias effundamus, sed ut in praecipuis eorum scriptis legendis discentes exerceantur ad eam facultatem, quâ reliqua deinde Auctorum opera suo ipsi studio intelligant.

Caeterum Auctorum libri typis expressi quum antea satis nobis frequentes ad scholarum usum suppeterent, factum est paulatim discentium nu-

me-

mero et varietate, ut eos desideraremus in prosae genere, praesertim eo, quod communi omnium captui maxime accommodatum est, Historico. Eaque nobis penuria caussa fuit hujus edendi libelli.

Qua in re vereor ne sint quibus mirum videatur, tantum a me tribui prosae orationis Scriptoribus, quibus plerique Graecarum Literarum magistri aut nullum aut exiguum dant locum. Meum vero semper fuit judicium, utriusque orationis, et ligatae et solutae, scripta non minus in scholis, quam in virili aetate et reliqua literatâ vitâ, tractanda esse. Qui solos legunt prosae Scriptores, horum ipsorum locos plurimos, ùt e Poëtis ductos, non intelligent: ad multarum etiam prosae venustatum elegantiarumque sensum frigebunt. Contra, qui unice in Poëtis versantur, ita paulatim ad carminum modum adhaerescunt, ut nil nisi cantare velint: ut ad Atticam urbanitatem dictionisque lepores, in Platonis Dialogis, atque in Aristophanis adeo Comoediis, torpeant: magis etiam hebetes sint in Philosophis et Oratoribus, ad ingeniose dicta aut acute conclusa percipienda. Quamquam saepe animadverti, majore labore neglectam prosae, quam carminum, lectionem repeti: hominemque, ut ita dicam, mere prosaicum facilius ad Poëtarum, quam mere poëticum ad prosae Scriptorum, intelligentiam pervenire. Sed profecto utrumque eodem studio genus amplectendum est. Qui unice carmina sectantur, similes

sunt iis, qui fontis amoenitate capti ad eum desident, ejusdemque aquis agros irrigatos fructusque proditos negligunt. Qui non nisi solutae student orationi, hi fructuum ubertate contenti non ad fontem respiciunt, cujus cognitione et usu agrum exhilarent, fructuumque proventum amplificent.

Sed, ut neutrum negligendum est genus, ita quaeri solet ab utro initium fieri debeat. Sunt qui Homerum velint: sunt qui solutae orationis facilis ac perspicuae Scriptorem malint. Utrique partim recte, partim secus: recte, si discendi initium a prosae Scriptore, legendi ab Homero fieri volunt: secus, si discere ac legere confundunt. Sane in legendis Auctoribus et antiquitatis cognitione per illorum lectionem colligendâ, non est dubium quin aetatis ordo sequendus, ab antiquissimo quoque ad proximum deinceps progrediendum, igitur a principe omnium Homero ordiendum sit, a quo, veluti fonte, reliqui omnes et Poëtae et Scriptores manarunt. Sed haec est viri, certe veterani, lectio, ad quam linguae quaedam cognitio, per tirocinium parata, adferenda sit. Nam quod isto nituntur argumento, antiquiorem esse poësin prosa, et Veteres item puerilem institutionem ab Homero et Poëtis orsos: hoc profecto ejusmodi est, ut ipsi, quid dicant, non attendere videantur. Antiquiorem esse poësin prosâ, verum est in scriptione, non in communis vitae sermone; nisi forte quis existimet Agamemnonem, Achillem, et reliquos heroes, ut ab Homero inducuntur, ita

ver-

versibus inter se collocutos esse. Et quod veteres Grammatici institutionem ab Homero sunt orsi, valuit hoc apud veteres, id est Graecos Romanosque, pueros, qui solutae orationis cognitionem jam usu quotidiano praecepissent.

At, dicat quis, quid est quod Philosophos, Oratores, Rhetores, aliosque, exceptis Historicis, Scriptores negligis. Mihi vero, inquam, libello nunc opus fuit historico; neque illos equidem Scriptores negligo. Constitueram primo quadripartitum facere hunc libellum, primâ ex Historicis sumendâ parte, alterâ ex Oratoribus, tertiâ è Philosophis et Rhetoribus, quartâ è Tragicis et Comicis. Et in hac primâ parte operam mihi suam, descriptione locorum ex editis libris in usum chalcographi, praestiterunt laudandi Litterarum studio discipuli. Qui etsi me laboris parte levarent, tamen in locis illis relegendis, emendandis, locupletandis, tum augendis annotatione a librario desiderata ad vendibiliorem libellum reddendum, deinde digerendis, constituendis, ordinandis, denique chalcographicis speciminibus corrigendis, tantum mihi temporis auferebatur, ut satis illud judicarem, quod huic primae tribuissem parti, caeteras aliis edendas relinquerem, si qui forte aliquando hoc agere vellent ex disciplinae nostrae alumnis: de quibus ut nondum mihi constat, ita si quando erunt idonei huic negotio, iis me operâ meâ, certe consilio, non defuturum polliceor.

Ergo tantum abest, ut aliorum lectionem Scriptorum a scholis repudiatam velim, ut eam potius provectioribus doctioribusque reservem et commendem discipulis. Quis enim dubitet in illis Scriptorum generibus magnam esse materiam et opportunitatem ad formandum juvenile ingenium? Quid Oratoribus ad civilis cognitionem rationis fructuosius, ad excitandam dicendi vim efficacius? aut quid Lysia subtilius, Isocrate concinnius, Demosthene in omni genere perfectius? In Philosophis porro, duo sunt instar omnium, Xenophon et Plato: quorum copiâ et suavitate Socraticâ nil uberius ad optimarum rerum scientiam, nil ad disserendi facultatem accommodatius excogitari posse videtur. Quibus tertium addere liceat Lucianum, plane ad Atticam venustatem et Socraticam ironiam compositum; cui quis anteponendus est utilitate admonitionis ad animadvertenda humani ingenii vitia eademque vitanda? Porro, ne Rhetores omittamus, ad judicium pulcri, censuram ac notationem Auctorum, rationem verae eloquentiae, luculenti sane sunt Scriptores, Aristoteles, Hermogenes, Theon, Demetrius: incomparabilis, Dionysius Halicarnassensis: divinus plane, Longinus.

Horum equidem plerorumque Scriptorum quae sit vis ad juvenum sensus, cognovi scholis habendis. Alii vehementer delectabantur Oratoribus, ad alia genera frigebant: alii mirifice capiebantur Socraticis sermonibus, languebant ad alia scripta:

idem

idem fiebat in caeteris cum Scriptorum tum Poëtarum generibus. Neque enim omnes discipuli aut omnino, aut eadem aetate, ad omnia sunt apti: estque eorum duplex varietas, altera sensuum, altera progressuum. Neque eodem gradu sunt novitii, quo veterani: et est naturarum diversitas, ut alius alio moveatur ac teneatur genere. Sed hoc in caeteris valet generibus, non item in Historiâ: Historia omnium et progressibus et sensibus convenit, ab omnibus intelligitur, omnibus placet, tenet omnes.

Et vero, ut Historia nullius non capax est materiae, ita hic ipse libellus exempla habet reliquorum scriptionis generum. Habet Orationum gravitatem, vehementiam, probabilitatem: habet Dialogorum venustatem et verisimilitudinem: habet argumentandi ac disserendi rationem: habet locorum cum ex aliis disciplinis, tum ex divinarum humanarumque rerum scientiâ, explicationem. Nam quid proprias Historiae dotes dicam, narrationis perspicuitatem et suavitatem, omnisque vitae et exemplorum speciem atque evidentiam?

Esto, inquit: Historicum desiderasti libellum: quid vero caussae tibi fuisse dicas, ut non nisi hos quinque dignos judicares è quibus delectum faceres? Ego reliquos non ut indignos, sed ut consilio meo non satis accommodatos, praeterii. Poteram sane inde ab Herodoto ad Procopium, aut ultimum usque Byzantinorum, exempla colligere; ut labentis deinceps per saeculorum decursum eloquen-

quentiae gradus cognoscerentur. Utilissima, profecto, cognitio; sed viris illa magis apta quam adolescentibus: quorum recentes et integri sensus neque exerceri continuo possunt ad illam notandae varietatis facultatem, et optimis imbuendi nutriendique sunt exemplis, a pravis longissime arcendi, ne quâ forte labe afficiantur. Sed, inquit, aliquid tamen ex reliquiis Theopompi, Timaei, et illâ aetate, aut certe ex opere Dionysii Halicarnassensis, assumendum erat. Atqui in his aut loci non illustres exstant; aut certe color habitusque non item inest antiquus, nativus, integer, quam quidem in Herodoto, Thucydide, Xenophonte. Ex his igitur, ut et classicis et palmariis Auctoribus, plurima delegi. Polybii rationem habui, ut certe jam nobis in classicis censendi, nisi oratione, at ratione et auctoritate. De Plutarcho denique nemo quisquam dubitat quin is sit, ad cujus lectionem adolescentes et accedere mature debeant propter singularem doctrinae fructum, et adjuvandi sint propter rerum orationisque difficultatem. Sed de singulis deinceps dicendum.

Primo nobis loco est HERODOTUS, jure cognominatus pater Historiae; quippe quam primus et universam complexus est, et dicendi facultate ornavit: in quem plane convenit illa apud Homerum Nestoris laus, Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Narrator dulcis, lenis, candidus, ut fere senem videre videamur post longinquas peregrinationes domi reducem, in solio sedentem, li-

ben-

benter referentem cum quae viderat, tum quae audiverat, ne iis quidem exceptis, quae incredibilia ipse judicaret. Orationis facultatem suo ipse potius ingenio usuique, quam magistri disciplinae, debuisse videtur. Erat tum solutae orationis scriptio nondum magnopere frequens, in Ioniâ prius a Philosophis paulatim, deinde ab Historicis culta, Hecataeo, Hellanico, Charone Lampsaceno, Xantho Lydio: quorum lumina suo lumine obscuravit Herodotus, haud secus atque Homerus priorum Poëtarum mediocritatem suâ ipse divinitate obruerat. Et est sane reliquis etiam in rebus ὁμηρικώτατος Herodotus: cum, descriptione ac distributione operis ad similitudinem Epici carminis: tum, Ionicae Dialecti cognatione in verbis, dictionibus, formis: tum maxime, simplici illo antiquitatis candore et colore aequabiliter per omnes et materiae et orationis partes fuso. Itaque dubium est, Homerine plus ad Herodotum, an Herodoti plus ad Homerum, intelligendum valeat lectio: illud non dubium, quin utraque lectio maximo cum fructu ab adolescentibus jungatur.

Secundus est THUCYDIDES, et ipse palmarius, sed diversâ ratione. Nam et argumentum habet brevius, res Graecorum, maxime Belli Peloponnesii: nec omnia narrat, quae vidit et audivit: sed ea fere, quae memoratu digna, et, exploratis testibus subductisque rationibus, vera judicavit: raro digrediens a proposito, nec umquam nisi ipso postulante proposito: eidem brevitati stu-

studens in oratione, cum verbis, quae singula fere totidem habent sententias, tum compositione, quâ sententiae magis comprimuntur quam explicantur, subinde magis obscurantur quam illustrantur. Sed in hac coarctatione ac brevitate mirabile est dictu quam sit sensibus magnificus et sublimis: quam gravis sententiis: quam certus virtutum vitiorumque aestimator: quam solers et verus explicator caussarum, eventuum, prudentiae cum civilis tum bellicae: quam item sagax consiliorum et intimorum humani animi recessuum indagator: quam denique efficax rerum gestarum narrator, in quas medias legentis animus abreptus et armorum strepitum audire et caedes certaminaque praesens cernere videtur, et variis deinceps commotionibus agitatur et versatur. Profectus a diversis atque Herodotus disciplinae initiis, non modo dicendi magistrum habuit Antiphontem, sed cogitandi etiam Anaxagoram. De hoc, ut Marcellini exstat auctoritas, ita verisimilis ducitur conjectura ab exemplo Periclis: qui ab Anaxagora item repletus rerum divinarum humanarumque cognitione, eamdem ad dicendi usum exercitationemque transtulit. Mihi quidem Thucydides ita se ad Periclis imitationem composuisse videtur, ut, quum scriptum viri nullum exstet, ejus eloquentiae formam effigiemque per totum Historiae opus expressam posteritati servaret. Caeterum adolescentes, ut non nisi Xenophonteâ aut Herodoteâ facilitate et perspicuitate praeparati ad Thucydidem

ac-

accedent, ita hujus lectione exercitati ad nullum non sive Scriptorem sive Poëtam insigni cum intelligentiae spe et fructu progredientur.

Tertius est, ejusdem palmae socius, XENOPHON. Hic orationem ex illâ Thucydidis adstrictâ gravitate ad Herodoteam formam, certe ad facilitatem, suavitatem, perspicuitatem, remisit ac relaxavit. Simili usus adolescentiae institutione, et eloquentiae et philosophiae magistros habuit clarissimos: eloquentiae Prodicum, philosophiae Socratem: cujus elegantem, popularem, ad omnes vitae partes saluberrimam rationem, cum peculiaribus consignavit scriptis, de quibus hic non est quod dicamus, tum vero in majoribus expressit historicis operibus. Haec tria sunt numero. *Cyropaedia*, de institutione Cyri Majoris: quem non ad Historiae fidem, sed in boni regis exemplum, Socraticis informavit praeceptis. *Anabasis*, verissimo Historiae nomine appellanda; quippe quae continet Cyri Minoris Expeditionem, cui ipse Xenophon primum socius interfuit, deinde dux praefuit, et Socraticam disciplinam ad usum actionemque convertens, socios a praesente interitu liberavit, iisque per media hostium tela, per locorum regionumque claustra, per infinitas itinerum difficultates, reditum in patriam expedivit. Hoc opere nil uberius est exemplis cum agendi tum dicendi, ad omnes vitae et militaris et civilis locos, conditiones, tempora, accommodatis. Cumque Xenophon propriis illis et suis dotibus, praecepto-

rum

rum veritate et naturali orationis facilitate, caeteris in scriptis alios Scriptores superaverit, in Anabasi se ipse superasse videtur. Igitur hinc plurima in nostrum libellum retulimus. Tertio loco sunt *Hellenica*, id est, Rerum Graecarum libri inde ab exitu historiae Thucydideae ad pugnam Mantineensem: opus item egregium, ut Xenophonteum et unicum de hoc argumento ex eâdem aetate: sed scriptionis praestantiâ et ratione, nostro quidem sensu, impar duobus prioribus. Quibus lectis qui ad hoc tertium accedat, quis non singulare quid ac plane divinum exspectet, ut in majore campo et totius Graeciae luce, tempore aequali et praesente, eodemque magnis et rebus et viris feracissimo? Quis non locos illustres, nostro libello accommodatos, jam e puerili institutione, Nepotis aliorumve lectione, cognitos, in hoc opere, veluti sede ac fonte, quaerat? Horum plerique leviter et sparsim tanguntur, veluti res Alcibiadis, Cononis, Iphicratis, Timothei; Epaminondae, Pelopidae, Leuctrica pugna, aliae. Ipsius narrationis ut in illis duobus operibus est copia et vigor, ita in hoc subinde, nescio quomodo, exilitas et languor, nisi fere ubi de Agesilao et Spartanis agitur: porro elogia, qualia in Anabasi sunt Cyri et aliorum ducum, hic non item. Quare saepe in eam cogitationem incidi, ut suspicarer, Xenophontem in hoc opere aut mere commentarios consignasse historiae postea ab ipso copiosius ac diligentius conscribendae, aut nullâ

suâ

suâ praecipue animi sententiâ et voluptate ductum, suscepto Thucydideae historiae continuandae officio defungi voluisse. Nam haec una caussa, quod Spartanis magis quam reliquis Graecis favebat, non satis ad tantam scriptionis diversitatem valuisse videtur. Quidquid ejus sit, adeo non a scribendo deterruit alios, ut aequales, aut suppares certe, illius aetatis, idem factitarent complures: veluti priorem ejusdem temporis partem ornavit Theopompus, posteriorem Callisthenes, in libris hoc ipso nomine, *Hellenica*, inscriptis: utramque in magnis Graecae historiae operibus complexi sunt Ephorus et Anaximenes. Sed hi, ut in rebus operae pretium fecerint, orationis quidem Xenophonteae praestantiam non sunt assecuti: quae vel in Hellenicis, et magis etiam in ceteris scriptis, eam habet sanitatem, facilitatem, simplicem nativamque venustatem; ut una omnium maxime conveniat primis adolescentum studiis, quâ veluti puri fontis integritate ac salubritate, tenera et recentia ingenia imbuantur.

Tres hi, de quibus diximus, ita fuerunt aetate conjuncti, ut prior quisque proximum senior juvenem videre potuerit. Nam ab Herodoti ortu, qui incidit in Olympiadem LXXIV, annum vero ante vulgarem aeram CDLXXXIV, ad obitum Xenophontis numerantur anni CXXIV. Eorum aetate censetur historicae orationis succus quasi ac sanguis incorruptus et naturalis pulcritudo: quamquam haec fuit magis propria certorum ingenio-

rum ac disciplinae, quam communis totius aetatis laus. Nam, ut hoc utar, Philistus et Ctesias aequales Xenophontis, in ejusdem laudis societatem pervenire non potuerunt. Hinc ad Polybium ducenti fere numerantur anni: quo spatio mirum est quam multi et egregii fuerint Historici, doctrinae copiâ et literarum varietate triumviris illis minime postponendi, orationis sanitate magis deinceps magisque ab illis degenerantes: quippe plerique ex Rhetorum palaestris, fucato potius nitore, quam viribus et sano colore prodierunt: et, ut fit, vitiorum plures quam virtutum imitatores habuerunt. Ceterum, fuit hoc ingenium seculi Macedonici; sub Alexandro ejusque successoribus, ut Historiae forma in pejus mutaretur, materia excoleretur et amplificaretur. Neque enim veteribus se Historia continuit finibus, regum populorumque rebus gestis; sed protulit se ad origines et progressus artium ac disciplinarum, atque adeo hominum in illis cum laude versatorum vitas complexa est. Tum nova quasi accessit provincia, gentium regionumque antea ignotarum cognitio. Porro Grammatici adjutrices artes, tamquam instrumenta Historiae et omnis doctrinae, procuderunt atque explicuerunt: Geographiam, Chronologiam, Antiquitatis rationem: Criticam denique, quae veterum monumentorum et intelligentiam aperiret, et fidem auctoritatemque dijudicaret. Ergo innumerabilis exstitit multitudo ut in omni doctrinae genere excellentium hominum, ita clarorum Histo-

riae

riae Scriptorum. Horum, ut non nisi principum paucos nominemus, partim a rhetoricâ exercitatione, nondum illâ corruptâ, profecti sunt, Ephorus, Theopompus, Timaeus: partim a Philosophiâ, princeps ingenio doctrinaque Aristoteles, ac totus fere qui ab eo fuit Peripateticorum chorus, Theophrastus, Callisthenes, Dicaearchus, Aristoxenus, Phanias, Agatharchides: partim a grammaticâ institutione, Callimachus, Eratosthenes, Apollodorus: denique a militiae usu et castris, socii Alexandri, Ptolemaeus, Aristobulus, Hecataeus: quorum, ut reliquorum omnium, de Historiâ scriptos libros temporum injuria ac vetustas absumsit.

Ergo quartus nobis est, isque proximus triumviris ducentorum intervallo annorum, POLYBIUS, vere appellandus *Graecorum ultimus*. Natus enim et educatus in liberâ patriâ, in eâdem tuendâ regendâque versatus, ejusdem libertati superstes, servavit civilis spiritum libertatis: qui ubi abest, eloquentia inane quid et languidum sonat: ubi adest cum rerum scientiâ, etiam sine verborum et compositionis delectu, Historiae munus explet. Hujusmodi erat Polybii ingenium. Profectus item a Philosophiâ, non illâ eloquentiae sociâ Socraticâ, aut Academicâ, aut Peripateticâ, sed inope ad orationis ornatum Stoicâ: neque rhetorum scholis exercitatus, neque suâ voluntate aut ad Veterum Historicorum imitationem comparatus, aut scriptionem ipse suam ad Grammatico-

 rum

rum praecepta dirigens: adolescens ad rem publicam tractandam delatus, in rebus continuo civilibus ac bellicis versatus, verbis e medio et vulgari consuetudine assumtis, orationis formam contraxit perspicuam quidem, sed minime elegantem. Huc accedebat scholam redolens loquacitas et repetitio ejusdem argumenti in laudandâ ubique et inculcandâ caussarum observatione. Et tamen illud assecutus est, ut ejus lectio posterorum studia teneret, ac dictiones passim frequentarentur. Quo magis intelligitur, quanta in eo fuerit rerum ac scientiae praestantia, quae dictionis vilitatem non modo obrueret, sed ad imitandi adeo studium commendaret. Et profecto, si ab orationis dote discesseris, nulla est quin apud Polybium exstet Historiae virtus. Veri quaerendi et libere profitendi studium acerrimum: ejusdem a falso discernendi cum ex rerum usu, tum ex literarum scientiâ et omni doctrinâ, judicium subtile: factorum eventuumque sagacissima explicatio, è caussis principiisque suis repetita; sive hae caussae continerentur in singulorum ingeniis hominum, sive in cujusque rei publicae aut dynastíae constitutione et formâ, sive in harum mutuâ ratione et conjunctione universâque orbis terrarum quasi civitate, sive in militari disciplinâ, sive in coeli naturâ, sive in locorum situ regionumque proventu et opportunitate, sive in hominum, pro varietate locorum et civitatum, diversitate, frequentiâ, animorum indole, corporum robore. In qui-

quibus omnibus describendis non solum diligentissimi enarratoris, sed gravissimi auctoris laudem habet. Adeo nullus est ab eo memoratus homo, locus, eventus, quin ejus tam certam haberet scientiam, quam si sensibus ipse suis eum cognovisset: nulla vitae naturaeque humanae pars, quin eam et ratione et experientiâ tractatam ac penitus perspectam habuisse videatur. Itaque effecit, quod sibi proposuerat, Historiam vitae magistram, nunciam veritatis, et futurorum ex praeteritis prudentissimam conjectricem. Hujus autem talis tantique Scriptoris cognitio, quis dubitet quin degustanda sit adolescentibus, cum ad ipsam hanc percipiendam rerum praestantiam, tum ne nudam eam et ornatûs expertem in aliis forte Scriptoribus contemnere discant.

A Polybio ad Plutarchum item ducenti fere sunt anni: eaque aetas non minus ac superior, similique in genere, Historicorum fuit ferax: eademque Latinas Literas et nascentes, et florentes, et labentes vidit. Sed de Graecis agimus. Hi fere a Grammaticâ et Philosophiâ ad Historiam accesserunt, eruditissimi homines et doctrinae copiâ abundantes, rerum potius studiosi quam orationis et compositionis, neque tamen hujus ad Polybianum usque modum negligentes. Fuit et hujus aetatis, et sequentium seculorum usque ad exstincta Justiniani imperio humaniorum Literarum et Philosophiae studia, ista indoles et conditio, ut magis in augendis doctrinae copiis, quam retinendâ ora-

tionis sanitate, labor poneretur et proficeretur. Perditos hujus aetatis, quae a Polybio ad Plutarchum fuit, Historicos, ex ingenti numero nemo facile ignoret, Alexandrum Polyhistorem, Nicolaum Damascenum, Jubam, Athenodorum, Apionem, posteris frequenter laudatos. Eorum quos fortuna nobis servavit, principes habendi Dionysius Halicarnassensis, Diodorus Siculus, Strabo, Plutarchus: doctrinâ egregii: orationis suâ quisque dote probandus, Dionysius etiam antiquis quam aequalibus propior habendus.

Ultimus igitur, cujus in hoc delectu rationem haberemus, fuit PLUTARCHUS. Hic natus in Graeciâ seculo primo nostrae aerae, eoque fere medio, maxime sub Trajano inclaruit, re publicâ post priorum temporum tristitiam recreatâ. Sed quocumque sub imperio, quacumque in civitate natus fuisset, eos ei natura indiderat animi nervos, quibus ipse se ad antiquum et germanum Graeciae spiritum erigeret. Adeo illud ἑλληνικὸν in scriptis ejus spirat, illa bona, quibus veteres Graecos censemus: judicii sanitas, decori honestique sensus, humanitas, amor erga cives, benivolentia erga omnes, de iisdem bene merendi studium indefessum, erudiendis ingeniis, formandis moribus, virtutibus commendandis, vitiis sanandis, erroribus expellendis atque exstirpandis. Accedebat excellens doctrina: cum Philosophiae ex Platonicâ scholâ, cujus alumnum se profitebatur, et reliquarum, unde optima quaeque delibabat,

bat, cognitione: tum Historiae, Literarum omnis generis et artium, ex infinitâ librorum lectione. Itaque, quum duplex argumentum scripto mandaverit, alterum Philosophiae, alterum Historiae, quandoquidem recte in historico genere censentur Vitae; difficile dictu est, utrum magis Historiam Philosophiâ corroboraverit, an Philosophiam Historiâ illustraverit, an utramque Literarum suavitate exhilaraverit. Hoc quidem vere mihi videor affirmare, egregium illud bonum, quod ex triplicis hujus dotis conjunctione existit, cujus boni perfectionem adhuc magis cogitatione informavimus, quam re et experiundo cognovimus: illud igitur bonum in uno ex Antiquis plurimum exstare Plutarcho, et perfecte adeo exstiturum fuisse, si ad hanc rerum praestantiam aequalis, aut in promptu posita, accessisset orationis cum elegantia perspicuitas. Sed perspicuitatis absentia, seu obscuritas, cum ex iis sit rebus, quae non per se sunt, sed ad alias referuntur, neque tam in scribente insit, quam ab ignorantiâ legentis adferatur; eo magis faciendum est, ut ad Plutarchi intelligentiam aditus adolescentibus mature aperiatur. Ita intelligentia, usu exercitioque confirmata, nullam vel perſpicuitatem vel elegantiam desiderabit: quae non tam desunt, quam in rerum praestantiâ altius abditae inexercitatos latent. Neque tamen hoc ita accipiendum, ac si adolescentes rudes ad Plutarchi lectionem adduci velimus: immo hunc, ut Thucydidem et Polybium, prove-

 ctio-

ctioribus destinavimus: initia ab Herodoto et Xenophonte ducenda judicamus. Sed de Plutarcho, cujus scriptis emendandis illustrandisque magnam adhuc vitae nostrae partem impendimus, plura dicere constituimus in editione operum ejus à nobis institutâ, in quâ typis excudendâ nunc maxime Oxoniensis officina occupatur.

Jam ex his quinque Auctoribus, quare hos, nec alios potius, locos delegerim, enarrare longum, nec opus, sit. Nam ipse delectus, ac dubitatio utrum hunc an alium sumerem locum, dici vix potest quanto mihi tempore constiterit, modo descriptum jam repudianti, modo novum addenti ac describenti, modo de aliis ambigenti suscipiendis veluti arridentibus mihi et manum injicientibus. In omnibus captum usumque discentium secutus sum, rationemque habui vel facilitatis ad intelligentiam, vel suavitatis ad sensum et oblectationem, vel rerum praestantiae ad fructum doctrinae, vel significationis ad cognoscendum Auctoris ingenium. Exordia fere delegi, ut eorum interpretatione operis cujusque, tamquam templi, fores reserarem; quod cognoveram, saepe accidere ut juvenes suo ipsi studio ad lectionem Auctoris aggredientes, in limine deterriti difficultate et insolentiâ orationis, a proposito desistant. Ex Plutarcho integrum assumsi Vitarum par, illud quod unum omnium cum elegantis doctrinae studiis maxime conjunctum esset, Demosthenis et Ciceronis.

Quandoquidem vero in Veterum libris subinde

sunt

sunt dictiones vel corruptae vel obscurae: et obscurae sunt vel ad sensum discentium, vel ad intelligentiam doctorum hominum; prioris obscuritatis genus explicandum rejeci in scholas: alterius generis interpretationem, item corruptelarum emendationem, jam in hoc ipso libello vulgatis animadversionibus, expromendam judicavi; ita quidem, ut et brevitati et discentium captui consulerem.

Loci ex castigatissimis editionibus expressi sunt. Herodotus, ut a principibus viris, Wesselingio et Valckenario, expolitus, in omnibus omnium Graecorum Auctorum editionibus principem habet laudem. Ab hoc, longo intervallo, distat Thucydides, viri quamvis egregii, Dukeri, diligentiam expertus. Eodem a Thucydide intervallo distat Xenophon, et a Xenophonte item Plutarchus: quorum optimae adhuc editiones sunt Stephanianae: Xenophontea, secunda Parisiensis anni 1581: Plutarchea, Genevensis anni 1574, formae octavae. In Polybio emendando industriâ eruditissimorum hominum, et novissime Schweighaeuseri, Viri Clarissimi, tantum effectum est, quantum effici potuit ex iis, quae exstant, emendandi subsidiis. Neque neglexImus copias posteriorum interpretum et Editorum, quorum cura in iis Auctoribus versata esset: eosque suo quemque loco in Animadversionibus laudavimus: ibidemque monuimus de correctionibus, quas vel ex illis copiis, vel ex nostrâ conjecturâ, vel denique ex libris

scriptis faciendas recipiendasve judicaremus. Nam adhibuimus etiam libros scriptos nondum antea adhibitos: veluti in Thucydide codicem, qui nuper Burmanni Secundi, antea M. Meybomii fuerat: in Cyropaediae loco alium optimae notae codicem: utrumque ex Bibliothecâ Academiae Lugduno-Batavae nobiscum, Ruhnkenii nostri beneficio, communicatum. In Plutarcho plura etiam ex nostro ipsi apparatu subsidia habuimus: quippe quae continentur varietate lectionis decem circiter antiquorum codicum. Caeterum, unicuique loco praeposuimus argumentum breve, perspicuum, Graecis verbis. Qua in re nemo me, qui quidem sibi constare velit, mirabitur. Nam si in Latinis operibus Latina probamus argumenta, in Graecis Graeca probanda sunt: aut si in Graecis Latina fieri volumus, in Latinis facienda erunt vernaculâ cujusque Editoris linguâ. Sed de hac re ut suum cuique judicium relinquimus, ita nos nostrum sequimur.

ATQUE hoc loco finis imponendus erat praefationi; nisi ipse libellus, disciplinae nostrae alumnis destinatus, me cum iis peculiariter agere juberet.

Graecae linguae cognitio quantam habeat vim ad omne Literarum ac disciplinarum genus recte percipiendum, quid vobis narrem, optimi adolescentes, minime dubitantibus et hac ipsâ utilitatis spe ad nostras scholas adductis? Et vero utilitati par est suavitas, suavitati facilitas. In hoc

po-

postremo videor vos videre mirantes mihique obloquentes: „ De suavitate satis nobis est persuasum: facilitatem vero etiam a te praedicari! quum in nullo Auctore vel latum unguem sine Lexico progredi possimus! hoc semper in manibus habendum, semper evolvendum!" Scio carissima capita: tale nunc est vestrum negotium, mox melius erit. Recordemini proverbium, quod pueri didicistis: *Disciplinarum radices sunt amarae, fructus dulces* Longe maximam amaritudinis partem jam exhausistis: in propinquo sunt fructus, eorumque dulcedinem in dies magis magisque percipere incipitis. Turpe sit in cursu deficere, quum jam jamque metam attingatis. Intra breve tempus eâdem facilitate Graecos, quâ nunc Latinos, intelligetis Auctores. Neque, profecto, nisi ad hunc facultatis gradum perveniamus, operae pretium est tantos labores exantlasse. Sane hoc gradu jam essetis, et Latinae simul linguae multo uberiorem accuratioremque teneretis scientiam, si puerilis disciplinae rudimenta prius in Graecis, quam Latinis, posuissetis Literis. Quae ratio ut aliquando publice constituatur, optamus, sperare non audemus: adeo multa sunt quae prohibeant. Utinam privatim frequentetur! certe iis tenenda erit, qui puerum a primis inde annis ad egregiam Literam scientiam informare velint.

Quid enim caussae esse dicamus, cur ex tantâ eorum, qui has Literas discunt, multitudine, tam pauci in earum scientiâ magni existant viri?

Ado-

Adolescentiae labor perit in corrigendâ praeposterâ pueritiae institutione ejusque damnis compensandis. Quae quidem compensare paucissimi possunt: plurimis aut otium, aut studium, aut ratio, aut magister deest. Quantum quidem in magistro et ratione positum est, tantum ego vobis praestabo, et ipse puer praeposterae institutionis erroribus agitatus, adolescens fortunae bonitate ad naturae rationem revocatus, vir in adolescentibus docendis et ad naturae rationem revocandis per viginti et duos annos versatus.

Ac primum cognoscite quid vos ad scholas meas adferre velim. Exiguum est quod postulo: igitur de hoc exiguo nihil remitto. Adferetis cognitionem Declinationum et Conjugationum ediscendis Rudimentis comparatam: accesserit etiam nonnullus usus construendae orationis ejusdemque Latine reddendae. Hoc facultatis gradu certe sunt qui hac in urbe è Gymnasio ad Athenaeum nostrum provehuntur. Nil ultra requiro. Jam ingredientibus in hoc curriculum tres vobis erunt officii partes, Praeparatio, Schola, Iteratio seu Repetitio. De unâquâque deinceps breviter dicam.

Praeparationis haec est ratio, ut locos Auctorum, in schola tractandos, domi praecipiatis et commentemini: quaesitis *vocabulis* in Lexico, *nominum verborumque partibus* in Grammatices compendio, seu Rudimentis; nam haec malo quam Analyticam Lexici Partem. Utrisque igitur scripto notatis, sententiam componetis et Latine ver-

te-

tetis. De Rudimentis non est, quod multa moneam. Nulla non sunt sine aliquo errore: quem facile corriget magister. Satis nunc quidem vobis est subsidii in Vossianis. In Lexicis magis laboramus. Nam Hederico - Ernestino, quod omnes habetis, quod vobis commendem brevitate molis, verborum copiâ, eorumdem inveniendorùm facilitate, vestris ingeniis accommodatius, equidem non reperio. Non loquor de Scapula, Stephano, aut aliis, quibus aliquando cum fructu utemini. Nunc certe illud vestro captui magis convenit. Sed hanc laudem non absolute accipi volo. Magnopere, profecto, de studiosâ juventute meritus est Ernestus locupletando et purgando Lexico Hedericiano. Illiberale sit, eum, ob ea quae reliquit vitia, defraudare laude et gratiâ bene factorum: sed illiberale etiam, non profiteri verum, praesertim ipso loco et utilitate discipulorum postulante. Magnus fuit vir Ernestus et omni laude cumulatus: cujus ego laudis si vel exiguam partem assequar, egregie mecum agi existimem. Sed in Graecis Literis quantum superabat Hedericum, quod sane magnum fuit spatium, tantum ipse superabatur ab Hemsterhusiis, Valckenariis, Ruhnkeniis, Piersonis, Lennepiis. Ac primo quidem, quod in titulo profitetur, librum *multis millibus verborum locupletatum:* non animadvertit talem copiam Thesauro, non Lexico manuali juvenum usibus destinato, convenire. Quis facile Graecae Linguae divitias vel Thesauro com-

complectatur? poterat verius titulum ita ponere; *multis licet millibus verborum locupletatum, tamen pluribus adhuc millibus carens.* Sed pleraque addita verba, cedo, ex quo sunt genere? Nimirum ex eo quod nemo non, vel ex origine, vel è conjunctis, facile intelligat: verba aucta praepositionibus: nomina orta e verbis cognitis, vel conjuncta nominibus cognitis: veluti è Polybio, *ἐμπόδισμα*, *ἐμποδιστὴς*, *ὁμόπραγμων*, *παρόρμημα*. Haec addita laudo: sed in iis addendis non ita magnum ponendum erat momentum, non gloriandum. Quis, qui Polybium legit, non eâ est facultate ut talia ex usu intelligat nec in Lexico quaerat? At, contra, primitiva plurima sunt omissa, quorum cognitio unice valet ad omnem reliquam Linguae copiam intelligendam. Derivata plurima, omissâ originis notatione, pro primitivis apposita. Nil dico de Analyticâ Parte, quam plane intactam reliquisse videtur; adeo sordibus Schreveliani stuporis inquinata mansit, ineptiâ in Etymologiis, perplexis ambagibus in verborum partibus explicandis. Nostro quidem judicio, ejusmodi demum Lexicon fructuosum erit juvenibus ad interiorem Linguae cognitionem, quod non modo habeat vocabula usu optimorum Auctorum probata: sed, ad analogiam Hemsterhusianam, primitivas illas ac simplices verborum formas, tum ex his ortas et productas, denique ipsas illas literas ac syllabas quibus praefigendis vel subjungendis nomina et verba augentur ac mutantur.

Haec

Haec est mirifica illa Graecae Linguae copia et sylva, cerae instar tenera et mollis ad fingendam omnis cogitati imaginem, unde princeps vocabulorum notio et materia ad omnem varietatem cum generum tum graduum significandam ita ducitur ac formatur, ut originis tamen suae manifesta servet vestigia. Atque ejusmodi Lexico, vocabulorum omissorum significatio, Analytica pars, et tota grammatica ratio in definiendis Declinationum et Conjugationum partibus, facile tenebitur. Sed de hoc argumento forte alius erit disserendi locus. Nunc de Praeparatione vestrâ dicimus: in quâ si quid erroris e Lexico suscepistis, hoc in scholis corrigemus.

Nam in Scholâ vestrae partes non solum audiendi, sed et dicendi, erunt. Ipsi Auctoris locos interpretabimini, mihi interroganti respondebitis. Hoc nemo vestrum non faciat, qui quidem proficere velit: omnes autem volent. Ita maxime Socraticae rationis fructus exstabit: qui sit vestrûm cujusque captus et quomodo me ad eum accommodem, cognoscam. Quidquid in vestris mentibus inest verarum falsarumve opinionum, elicietur: veras confirmabimus, falsas adjiciemus. Pensum cujusque diei praeibunt veterani, idem proximo die iterabunt novitii: id ita tenebimus, donec eam cum Auctore familiaritatem contraxerimus, ut iteratione non sit opus, et utrique promiscue interpretentur. Hae vestrae sunt partes. Meae tam sunt multae et variae, ut eas recensere in-

infinitum sit; quippe quae omne accuratae interpretationis munus attingunt. Quas quoniam experiundo cognoscetis, hoc loco praecipere cum supervacaneum sit, tum ostentationis speciem habere possit. Ut paucis complectar, omnis opera nostra eo spectabit, ut misceamus utile dulci: ut interpretandis Auctoribus verae pulcritudinis sensu inbuamini, et hujus exercitii suavitate perveniatis ad Graecae orationis et rationis intelligentiam, cum in singulis verbis ex origine et analogiâ repetitae, tum in constructione usu confirmatae.

Tertio loco est Repetitio, item illa duplex: alia magistri, quam hic explicare nil attinet: alia discipuli, domi continuo factitanda, incredibilis ad proficiendum efficaciae; modo sit vera repetitio, id est, saepius repetita et iterum iterumque instaurata. Quod autem volo, hujusmodi est: ut quotidie cujusque diei pensum repetatur; finitâ hebdomade, pensum totius hebdomadis: finito mense, pensum totius mensis: porro per ferias, totum hoc spatium denuo iteretur. Atque haec feriata iteratio, ut per otium et minorem festinationem facta, plurimum valet ad interiorem intelligentiam, plurimum habet et voluptatis continuâ progressuum animadversione, et incitamenti ad studii laborisque constantiam. Itaque cum multis in rebus majorum nostrorum sapientiam admirari soleo, tum in constituendis feriis: quarum opportunitatem ac salubritatem perci-

cipi voluerunt, cum a Professoribus ad animorum corporumque recreationem, tum maxime a discipulis ad repetitionem instaurationemque studiorum (*). Quare agite, optimi adolescentes, date vos ad repetitionem, respondete instituto majorum, prudentissimorum hominum. Ergo iterato per ferias toto superiore penso, ad instantis anni pensum meditandum praecipiendumque accedetis, qui quidem Graecis denuo scholis uti constitueritis: qui eas relinquetis, non item earum domesticum studium ac privatam commentationem relinquetis; ut nec aliarum, quam vobis comparaveritis, disciplinarum literarumque cognitionem oblivioni tradetis. Quin potius quotidie illis vel unam horam, vel horae certe partem, dabitis, eâ quidem ratione, qua apud nos imbuti fuistis. Nullum enim est negotium, nullum vitae genus, quod volenti non quotidianos ad vetera studia reditus concedat. Hanc vero iterandae lectionis consuetudinem si in Graecis fideliter tenueritis; nae ego vanissimus omnium sim promissor, nisi brevi ad eum facultatis gradum pervenietis, ut Graecos Auctores aeque facile legatis quam aut La-

(*) Haec dudum a me scripta legens aliquis meus amicus „ Tempestive vero „ inquit," tua feriarum laudatio incidit in ipsarum novissimam illam in libro Belgico quodam reprehensionem" simul ostendit et librum et locum. Vidi: nec quid vidi, cujus rationem haberem ad mutanda scripta.

Latinos, aut quâvis recentiore vobis cognitâ linguâ scriptos, libros. Equidem si quid ego in his Literis profeci, hoc repetitioni debui.

Non alienum est ab hoc loco, ut de me ipse vobis narrem; si forte meo exemplo moveamini. Duodevigesimum agebam annum: in Graecis Literis fere eo eram gradu, quo vestrum plerique estis quarto mense postquam scholis meis interesse coepistis. Frequens audieram scholis Professorum cum in Literis, tum in gravioribus, ut vocantur, disciplinis, nullo magnopere cum fructu: videbar aliis profecisse, mihi non videbar: poenitebat me operae: quaerebam spatium, in quo altius evolarem: redibam ad disciplinas, meoque ipse studio eas retractare instituebam: et sane aliquanto longius progrediebar, quam quo in Professorum scholis perveneram: sed nil ad spem et exspectationem meam: discedo cum taedio: ab aliâ deinceps ad aliam disciplinam accedo: eadem repulsa, idem taedium. Et tamen, veluti fastidientis stomachi morbo, certum animi pabulum quaerere pergo. Venit in mentem voluptatis, quam puer in Graecis percepissem: requiro libros quondam lectos: depromo ex angulo illum, Plutarchi nomine inscriptum, de Puerorum Educatione libellum: lego et perlego: operae multum, suavitatis parum. Hinc Herodianum repeto: paulo major suavitas: nil ad explendum animum. Aliunde, idque casu, nanciscor Xenophontis, quem adhuc non nisi nomine noram, Memorabi-

lia

lia ex Ernesti editione: mirabile dictu, ut continuo me ceperit nescio quid suavitatis: quod, quale esset, postea magis intellexi. Hoc opus ita legi et commentatus sum, ut numquam ad sequentem accederem sectionem, nisi priore relectâ, numquam ad novum caput, nisi capite prioré relecto: numquam ad novum librum, nisi superiore libro iterato: denique toto opere finito, totum denuo uno tenore perlegi opus. Hic fere trium mensium erat labor: vel solâ repetitione fructuosissimus. Sane, eodem tenore è repetitis in proxima nova ingrediens, ex illis ad haec eum quasi cognitionis impetum adferebam, qui intactos ac difficiles locos patefaceret ac pervaderet: haud secus atque incitata remigio navis, quod in simili re dixit Cicero, etiam quum cessavit remigium, ipsa tamen per se cursum suum motumque retinet. Ergo hanc repetitionis consuetudinem postea constanter tenui. Caeterum, Graecae orationis facultate auctus, et aliqua etiam ex Ernesti notulis interpretandi ratione et librorum notitiâ imbutus, constitui me totum Graecis dare Literis, et Auctores deinceps legere. Accessi ad Homerum, cujus puer ex primo Iliadis libro centum circiter versus didiceram: hunc librum, eâdem, quâ Xenophontis Memorabilia, iteratione, duobus mensibus absolvi. Utinam sine Schrevelio! quem porro in toto Homero ducem secutus, innumerabiles suscepi errores, postea longo usu ac tempore abstergendos. Utinam tunc jam illud Hem-

sterhusianae analogiae lumen cognovissem! quod quum in Batavorum scholis frequens, vobis item accensum sit; quanto vestra adolescentia meam felicitate superat, tanto certiorem de profectibus vestris spem concipere debetis. Sed ad me redeo. Progrediebar in Homeri lectione, ut necessariâ magis quam jucunda: nondum illam ingenii divinitatem agnoscebam: quod item plerisque adolescentibus accidisse novi: caussam ejus rei posteà intellexi, quam nunc exponere longum est. Ergo Homero comitem adjunxi Xenophontem, ita ut in hoc multo plus temporis collocarem: hunc devorabam, quippe jam intellectu facilem: raro ad Lexicon descendere cogebar: pleraque omnia è nexu videbam: accedebat Latinum exemplum, utile sane illi aetati negotium, scholis non item. Reliqua omnia, exceptis Memorabilibus, opera Xenophontea, quater legendo, quatuor confeci mensibus. Jam putabam, nullum superesse Scriptorem, quin mihi apertus pateret. Accedo ad Demosthenem: habebam meram Graecam editionem, cum notis item Graecis, Hieronymi Wolfii: merae tenebrae! sed didiceram non absterreri in primo aditu: pergo: majores quam usquam antea difficultates, cum in verbis, tum enunciationum longe ductarum ambitu: primam Olynthicam magnâ cum aerumnâ ad finem perduco: finitam relego semel et iterum: plana et perspicua omnia: desidero tamen celebratam illam eloquentiae vim: dubito utrum ad secundam orationem progrediar, an

an hanc repetam: placet repetere. O salutare repetitionis consilium, nec umquam satis praedicandum! Ecce denuo relegens, novus plane et incognitus ad animum meum accidit sensus. Adhuc in alíis Auctoribus intelligentia non nisi delectationis mihi voluptatem attulerat, cum ex rerum verborumque perceptione, tum ex progressuum meorum animadversione: nunc inusitatus et plus quam humanus affectus mentem permeat et quavis lectione invalescit. Video Oratorem ardere, dolere, impetu ferri: incendor et ipse, eodemque motu auferor: altior fio, nec sum qui fueram: videor mihi Demosthenes ipse esse, stans in tribunali hanc orationem habere, Atheniensium concionem ad majorum virtutem et gloriam hortari: nec tacitus lego, ut inceperam, sed altâ voce; ad quam tollendam imprudens inducor, cum sententiarum evidentiâ et fervore, tum numeri oratorii efficaciâ.

Ad hunc modum trimestri tempore plerasque tum legi Demosthenis orationes; indeque excitatus ad sentiendi facultatem, jam et Homero magis delectabar, quem mox finivi; et deinde in optimis quibusque Auctoribus cum veriore cognitionis fructu versabar. Nam proximus hinc mihi fuit Plato: quem, credo, numquam tanto amore complexus essem, nisi recens a Demosthene sensum attulissem faciliorem ad incalescendum. Et est in Platone illa ingenii vis et materia, sedatis temperata affectibus, sed varia et perpetua,

quae ipsâ lenitate et frequentiâ nullam non plane ferream naturam molliat ac flectat. In Xenophonte est imago Socratis, vere et egregie sane expressa, sed imago. In Platone est ipse Socrates, nisi materiâ, certe formâ et ratione: spirat, movetur, agit, legentem animat et in actionis societatem inducit. Accedebat, ut ad intelligentiam mirifice juvarer Ruhnkenianis ad Timaei Lexicon animadversionibus: unde nova etiam lux, qua illam per totum Literarum orbem late fusam Platonis vim animo praeciperem. Hinc profectus alios legi et Poëtas et Scriptores, classicos quidem et principes omnes, ex posterioribus Philosophos ac Sophistas; ne Patribus quidem exceptis, qui quidem cum veteris doctrinae ratione conjuncti essent. Tota haec, inde à Xenophontis Memorabilibus, fuit quadriennii opera: cujus tunc operae specimen edidi in Epistolâ ad Ruhnkenium, ut eum qui mihi quamvis ignoto certissimae dux viae exstitisset.

Haec me ipsum de me non ostentationis caussâ narrare, et jam intellexistis, et magis intelligetis ex iis quae dicam. Nam si quaeratis, qui mihi illo tempore modus fuerit Latinarum Literarum, in Graecis versato? pudet profiteri. Nemo non vestrum multis partibus doctior est. Nil habebam nisi ex puerili disciplinâ, quae mihi cum decimo quarto anno finita erat. Nil Ciceronis nisi pauca ex Officiis capita, magno cum taedio tractata; quippe non intellecta: Phaedrus, Curtius, Justi-

nus:

nus: et quae optima operae pars erat, aliquot Nepotis Vitae, Virgilii Georgica, Aeneidis dimidium. Hoc quantulum est? et totum fere in oblivionem abierat. Erant qui dicerent, Latinis literis mihi, Graecarum perito, jam non opus esse. Quod quam sit stultum, et vos videtis et ego intelligebam. Accedo ad Terentium. Incredibile vobis narrabo et tamen verum: ne Demosthenis quidem primus aditus difficilior fuit quam Terentii. Unius mensis labor expeditum reddidit iter. Pergo ad Ciceronem, tum ad alios. Quid multa? quocumque ingredior, Graeca vestigia agnosco, res, dictionem, sententias in alienum solum translatas. Unus annus Latinas patefecit Literas. De reliquo cursu non dicam nisi hoc, cum hucusque ita esse actum, ut tardior diligentiorque progrederer: non ut multa, sed multum, legerem: nec magis accederem ad nova, quam vetera retractarem, ad criticam rationem exigerem, ad scientiae fructum animique sensum referrem.

Ergo quod ego sine magistro, solâ industriâ, potui, hoc vos, ingeniosi adolescentes, adjutore magistro, non poteritis? Immo plus etiam poteritis: modo studii constantiam adferatis, sine quâ omnis ingenii celeritas ad percipiendas Literas Disciplinasve vana et inutilis est.

Sed, inquit, Non omnibus vacat tantum his Literis tempus dare; neque etiam, quod tu facis, eas profitebuntur: aliud cuique praecipuum est studium, quo aliquando et rem et laudem

quaerat: alius destinatur caussarum patrocinio, alius rei publicae gerendae, sacerdotio alius, alius medicinae factitandae, item alius mercaturae: sunt adeo qui ad horum nil neque ad certum negotium se comparent, sed Literis ac Disciplinis ingenium non nisi tingere et ornare velint. Audio, et saepe audivi. Est plane illud Neoptolemi apud Ennium, *Philosophandum est paucis; nam omnino haud placet.* Ego quam quisque et quatenus artem tractare velit, in suo cujusque judicio relinquo. Et loquor non ad alienos, neque ut quemquam in Scholas alliciam meas: ad discipulos loquor, liberali adolescentes ingenio, qui sponte veniunt: qui, quaecumque eos maneat vitae sors et conditio, has sibi Literas usui et ornamento fore judicant, eâque de caussâ partem illis temporis sui consecrant. Ad hos mea pertinuit oratio admonendos, quâ ratione in illâ quantacumque temporis parte, plurimum, quoad ejus fieri potest, proficiant: ad horum studia et utilitatem hujus libelli editio spectavit.

Quâ, profecto, in re non est quod meae me operae poeniteat. Quod si enim Graecae Literae tantum habent momentum ad omnem liberalem institutionem, quantum inter omnes constat: si Graeci in omnibus artibus ac disciplinis excelluerunt, ad easque percipiendas, uberrimas nobis copias reliquerunt: si scripta eorum referta sunt cum praeceptis, quibus ingenium ad rerum divinarum humanarumque scientiam ac civilem pruden-

dentiam instruatur, tum exemplis, quibus animus pulcri honestique sensu imbuatur, et omnium amore virtutum incendatur; haec igitur si ita sunt, haud dubito profiteri me hoc libello edendo et omnino Graecis Literis docendis, praeclarum spectasse consilium, ejusque me consilii hunc maximum et humanissimum capere fructum, quod harum Literarum studia ab ingeniosis adolescentibus in dies magis frequentari video.

Quae studia utinam in hac frequentiâ maneant, aut crescant potius quam descrescant. Quomodocumque ceciderit, tuebor me conscientiâ honestissimi consilii, quo illud egi, ut erudiendâ juventute prodessem rei publicae, idque adeo gravissimi judicio auctoris, Ciceronis: cujus sententiâ commemoratâ, sane non erit cur verbum praeterea huic praefationi addam: *Quod enim munus*, inquit, (Divin. II, 2.) *rei publicae afferre majus meliusque possumus quam si docemus atque erudimus juventutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coërcenda sit. Neque vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescentes se ad haec studia convertant: pauci utinam! quorum tamen in re publicâ late patere poterit industria.* Scripsi Amstelodami, Mense Novembri, Anno MDCCXCIII.

PRAEFATIO

EX EDITIONE

PLUTARCHI MORALIUM Vol. I. (*).

CAPUT I.

De consilio ac proposito Editoris.

Tria omnino sunt, quorum is, qui in vetere Auctore edendo pretium operae facere velit, rationem in primis habere debet. Primum est, an dignus editione sit Auctor: alterum, digna Auctore editio utrum exstet an desideretur: tertium, an ipse perficiundae editioni idoneus sit editor. Horum primum Plutarcho superesse, omnes consentiunt humaniores: alterum ei deesse, constat inter eruditos: tertium quale in me sit, magis est aliorum existimare, quam meum profiteri. Sed unumquodque horum trium paulo uberius explicandum; siquidem iis explicandis omne praefationis officium continetur.

Ac-

(*) [Pauca vel mutata, vel addita sunt ex ipsius Wyttenbachii admonitione, Bibl. Crit. Part. XI. pag. 45 sq.]

Ac de Plutarchi quidem laudibus et dicere hoc loco et tacere difficile est. Si taceam, videar praecipuum editoris munus, quod in commendando Auctore positum est, neglexisse. Si dicam, dicendum sit aut universe aut peculiariter: quorum neutrum cum hac praefatione congruit. Universe Plutarchum laudare, ut unum ex praestantissimis Auctoribus, magnum in Historia, magnum in Philosophia, magnum in omni doctrinae genere, egregium ad ingenii et virtutis fructum: haec igitur, quamvis vera, tamen supervacanea sit oratio, quippe de re pervulgata et nemini dubia. Peculiariter viri ingenium doctrinamque explicare, dotes interius inspicere, earum modum rationemque expendere, censuram agere, est sane opus nec actum nec supervacaneum, et cum editoris provincia ita conjunctum, ut verear ne plerique hoc, tamquam debitum, continuo in praefatione sibi exsolvi et cupiant et exspectent. At ejus tractatio quum tam late pateat, ut sit justi instar libri, ac totum praefationis spatium occupatura videatur; eam Animadversionibus reservandam duxi, ubi de viri vita, rebus, scriptis, exponetur. Nunc ad operis summam festino: nunc *Plutarchi Moralia*, emendata, Graeca, et Latine versa, cum brevi emendationum notatione, emitto: reliquam omnem interpretationem libro Animadversionum, mox submittendo, complectar. Quam distributionem quare sequendam putaverim, paucis declarandum est.

Vi-

Vigesimus et secundus hic est annus, quum edito *Plutarchi de Sera Numinis Vindicta* libello spem fidemque feci edendorum Operum Plutarchi omnium. Proponebam editionis mihi formam omnibus numeris absolutam: neque dubitabam, quin eam vel subsecivis horis, intra proximum decennium ad finem perducturus essem. Qua in spe opus cum tempore non recte comparabam. Ex adolescentia, veluti alta specula, in reliquum vitae spatium, ut ingentem et nullo limite circumscriptum campum prospiciebam: Opus meum oculis mihi videbar complecti ut ante me et proxime positum, quippe quod metiebar modo voluminis Plutarchei cujus pondus manibus tollere possem. Mutata est ratio progressu aetatis. Ut temporis appropinquabant, ita operis recedebant termini. Abiit decennium: operis termini apparebant nulli. Abiit et quinquennium: plus erat reliquum quam confectum operis. Coepi me tunc ex illa propositae formae magnitudine revocare, eamque arctioribus finibus circumscribere, de quibus dixi in Bibliothecae Criticae, Volumine tertio, Parte prima. Cumque non ita multo postea, DELEGATI TYPOGRAPHIAE OXONIENSIS, Viri Illustres, eam partem operis mei, qua *Moralia Plutarchi* continentur, excudendam vulgandamque recepissent; non subsecivum, sed praecipuum, immo omne, quod quidem a muneris occupatione vacaret, et diurnum et nocturnum tempus in opere instituto collocavi. Jam, licet me

me non poeniteret quantum promoverem, hoc non tantum erat ut brevitate temporis exspectationi hominum Plutarchi nostri studiosorum satisfacerem; si quidem expositam in Bibliotheca Critica institutamque rationem tenere, et Animadversiones ad rerum verborumque interpretationem comparatas simul cum scriptis Plutarchi, iisque quavis pagina subjectas, edere vellem. Verebar etiam ne diutius differenda editione vanus ad promittendum et piger ad efficiendum viderer; aut potius, ne dudum susceptam vanitatis et pigritiae opinionem augerem. Dum ego in Plutarcho haereo, ecce, duae illius editiones, post meam institui coeptae, diu ante eam evolant, leves sane ac tenues, sed imperitis vendibiles in Germania: altera REISKII, ante hos viginti annos: altera, hinc nuper repetita, quam non vidi. Admonitores solvendi nominis frequentes aderant. Quibus si dicerem, quod vere dicebam, nondum mihi, quamvis hoc sedulo agenti, omnia instructa esse ad editionem qua et peritis et ipse mihi satisfacerem, difficile erat hanc plerisque excusationem probare. Erant et publice et privatim, qui festivi esse vellent, et has aeternas moras dicteriis peterent: quos equidem, ut ab accurata doctrina rudes et mearum rationum ignaros, contemnebam. Erant boni et docti viri, qui me hortarentur ut ea saltem darem quae jam parata haberem, reliqua alio tempore in altera editione adderem. Alteram vero, inquam, editionem Plutarchi! Valeat ista

ite-

iteratio forte parvulis in libris: in Plutarcho quidem valere non potest: certe de altera jam editione cogitare dum primam adhuc moliaris, et vanitatis sit ridiculae, et malae fidei.

Accedebant graviores mutandi consilii rationes, quae me de vitae humanae brevitate et incerta spe admodum efficaciter monerent, cumque mihi incuterent metum, ne, dum opus simul totum urgerem, ita me mors occuparet, ut nulla pars absoluta, omnes affectae et inchoatae essent, quas nemo ad probabilis editionis modum colligere et componere posset. Quare opus hoc meum in duas distribui partes deinceps absolvendas: prima est ea quae nunc jam tradita DELEGATIS TYPOGRAPHIAE OXONIENSIS, Viris Illustribus, *Moralia* Graece et Latine, emendata, addita brevi Emendationum notatione, quinque voluminibus complectetur; altera, Animadversiones ad rerum verborumque interpretationem comparatas, et Indices, paucioribus certe voluminibus, continebit. Hujus materiam dudum congestam si fatum aut digeri a me, aut ab alio quoquam in lucem proferri, non sinat; opus tamen meliore sui parte salvum est, id est ea quae ad ipsius Auctoris manum et scripturam sanandam et constituendam refertur, in qua proprium ac praecipuum editoris officium versatur, quae vel ipsa per se sola justae instar Editionis censeatur. Qua in re, ut parva magnis conferam, cavi ne idem committerem, quod in Polybio commisisse dolemus CASAU-

BO-

BONUM: qui magni et egregii Commentarii molitione occupatus emendationem Graeci exempli vix attigit, quamvis facile absolvendam, si a Commentario eam disjunxisset et anticipasset: nunc utrique simul interitum parti mors, cum reliquae interitu operae conjuncta, occupavit.

Igitur de tribus, quae initio memoravimus, praefationis capitibus, duo nobis explicanda supersunt: quibus explicitis intelligatur, quid in Plutarchi scriptis adhuc *a prioribus editoribus*, quid nunc *a me* actum sit. Quod quidem ita planius intelligetur, si prius operae meae initia et progressum enarravero.

CAPUT II.

De initiis et progressu operae ab Editore in Plutarchi scriptis collocatae.

In Graecis Auctoribus, qui me adolescentem ac paene puerum haec studia ingredientem prae caeteris tenerent, princeps fuit Plato. A cujus fonte et ubertate, quum ex RUHNKENIANIS ad Timaeum animadversionibus cognovissem, quantum posteriores Scriptores et hausissent venustatis ac doctrinae, et nunc etiam exspectarent luminis ac medelae; sumsi mihi ex horum numero duos minime contemnendos, quos ex Veterum, maxime Platonis, fontibus corrigerem et illustrarem,

rem, Julianum ac Synesium. Mox alium quaesivi, in quo major perfectiorque doctrina, certius ingenii pabulum inesset. Hic fuit Plutarchus. Qui me, fatebor enim, primo sua quadam difficultate rejiciebat; postea eo magis alliciebat, quo magis ad ejus familiaritatem proficerem. Animadvertebam quotidie, quantam illa patefaciendae intelligentiae difficultas, patefactae suavitatem ferret: quantam illa nominibus verbisque et tralatis et efficacibus referta, ac per complures enunciationes continuata oratio praestantiam haberet figurarum et sententiarum, cum ex ipsa natura expressarum, tum ex omni doctrinae genere delibatarum.

Ergo in Plutarchi lectione pergebam, et indies me magis magisque insinuabam in ejus consuetudinem rationis, orationis, doctrinae; unde fiebat, ut subinde vel ipsa hujus consuetudinis observatione, vel Veterum, quos sequebatur, Euripidis, Platonis, aliorum, auctoritate, locos cum difficiles explicarem, tum corruptos emendarem. Qua inventionis voluptate captus constitui studium ita porro meum in hac opera collocare, ut ejus fructum aliquando in publicam lucem proferrem. Hoc ejusmodi erat, ut, vel Animadversiones in omnia Plutarchi opera, vel unum aliquem Plutarchi libellum meis Animadversionibus expolitum, ederem. Prior illa ratio solutior scribenti jucundiorque erat; qua locos tractamus eos in quibus feli-

ci-

citer nobis opera successerit, praeterimus eos de quibus nondum liqueat.

Posterior adstrictior erat ratio, sed eadem scribenti ad proficiendum efficacior; quippe necessitatem imponens locorum omnium, in hoc uno certe libello, corruptorum difficiliumque accuratius excutiendorum, item Auctorum, ex quibus lux petenda est, legendorum. Sumsi ergo ex *Moralibus* libris, quem Animadversionibus meis illustratum separatim ederem, illum *de Sera Numinis Vindicta.* Ut ex *Moralibus* hunc prae caeteris eligerem, valebat argumenti cum gravitas, tum ratio, utraque ad communem hominum captum studiumque accommodata. Ut omnino ex *Moralibus* librum eligerem, caussae mihi fuerunt idoneae, de quibus nunc dicendum est.

Triplex est illa intelligentiae difficultas, quae in legendo Plutarcho se iis objicit qui ejus usum nondum habent. Prima est ea, de qua diximus, propria quaedam Plutarcheae orationis forma, in verbis, nominibus, constructione: altera, recondita doctrina: tertia, labes et corruptela scripturae. Cumque duo sint genera librorum Plutarcheorum, alterum historiae, seu *Vitarum*, alterum doctrinae quod vulgo *Moralium* nomine appellatur; in utroque quidem frequentes sunt tres illae difficultatis caussae, multo tamen frequentiores in *Morali.* Itaque ad hoc me genus majore studio applicui: non ut alterum negligerem: sed ut utrique justam ac debitam adhiberem curam,

S in-

intentiorem igitur magis affecto, quod vere dici potest doctius, difficilius, corruptius. Hoc institutum simul eo valebat, ut si quando ad omnium Plutarcheorum operum editionem animum adjicerem, prius parata essent ac prodirent *Moralia;* quippe quae triplice illa de caussa multo majorem diuturnioremque operam postularent quam *Vitae*, quae propterea recte in alterum quasi actum et ad requiem laboris reponerentur.

Hoc meum fuit de Plutarcho consilium, hic apparatus, ante hos viginti quatuor annos, quum Lugdunum Batavorum veni ad verissimos Literarum nostrarum antistites, a quibus interiora sacra perciperem, VALCKENARIUM et RUHNKENIUM: quorum illum ante novem annos nobis eripuit fatum: hunc vigente in senectute nobis servat Deus, et ut diu servet, cum ego pietatis et amoris caussa precor, tum omnes mecum Literarum et humanitatis caussa precantur boni. Igitur antistites nostri operam a me in Plutarcho et positam probabant, et porro ponendam suadebant: sed diverso uterque modo. VALCKENARIO placebat, singulares Plutarchi libellos separatim deinceps quosdam edi uberioribus Animadversionibus illustratos ad modum libelli *de Sera Numinis Vindicta:* RUHNKENIO, omnia una Editione comprehendi Plutarchi scripta, Animadversionibus additis quamvis brevioribus. Habebat sane utriusque viri oratio quod me moveret. In VALCKENARIANA frequens erat illud *γνῶθι σαυτόν*: non ni-

nimium esse pollicendum in opere fere infinito, quod majus esse quam pro unius hominis vita et labore: posse periculum fieri in singularibus Plutarcheis libellis; tum, si bene successisset, progressum ad majorem omnium operum editionem integrum fore, quam semel susceptam et ostentatam deponere, vanum ac turpe esse. RUHNKENII hujusmodi rationes erant: nil non audendum hac mea aetate, hoc studio: complures jam a me lectos Auctores esse, e quibus lux ac medicina Plutarcho quaeratur: per duo jam saecula operum ejus omnium meliorem desiderari editionem: quam etsi minus omnibus numeris absolutam effecissem, quidquid ei deesset, hoc ipsorum Plutarchi operum cum magnitudine excusatum, tum praestantia compensatum iri. Persuasit RUHNKENIUS, cujus oratio conjunctior erat cum adolescentiae meae ardore et impetu.

Itaque in praefatione libelli *de Sera Numinis Vindicta* deinceps editi, non dubitavi nomen fidemque profiteri de universa omnium Plutarcheorum operum Editione conficienda. Cujus Editionis nunc demum, praeterlapsis viginti duobus annis, priorem partem, seu *Moralia* solvo: tardius profecto et mea spe, et vero multorum opinione hominum. Apud quos quum ista me tarditas in suspicionem vel pigritiae, vel vanitatis, adduxerit; facere non posse videor, quin de hac me suspicione purgem, rationesque tarditatis reddam.

Igitur continuo ab illa, libelli *de Sera Numi-*

nis Vindicta, editione in novum incidi vitae genus: professorium me munus ex alio deinceps aliud excepit, unumquodque sua sibi novitate omne meum tempus vindicans. Hoc in vitae genere si dicam, duodecim instar annorum tempus de Plutarcho ablatum, datum fuisse docendo, scribendo, agendo, haud nimium dicam. Singula enumerare nec opus est, et ostentationem habere videatur. Annus unus et item alter, plures deinceps, ita abibant ut muneris ipse mei satagerem, Plutarcho non nisi subsecivas, easque paucas, darem horas, nec ad laboriosam meditationem, sed ad quotidiani laboris requiem et relaxationem.

Tum vero paulatim agnovi quantum illa me fefellisset opinio de proximo decennio, quo speraveram me editionem absoluturum esse. Rationes numeri subduxeram ad modum temporis, quod in adornando libello *de Sera Numinis Vindicta* consumseram. Hoc fuerat quatuor annorum. Itaque decem anni satis superque esse videbantur editioni universorum operum; aucta praesertim progressu aetatis, ut sperabam, facultate mea. At vero in ista subductione tres me, iique graves, latebant errores. Primus, in numero paginarum: quae sunt illius libelli vicenae, universorum operum bis mille et ultra. Erat igitur enorme, bis mille paginis annos dare decem, quum quatuor dati essent vicenis. Alter fuit error, quod non animadvertebam utriusque temporis di-

diversitatem. Quadriennium mihi fuerat liberum et integrum ab omni necessario negotio, sequens omne tempus fuit occupatum distractumque quotidiano muneris labore. Tertius error versabatur in eo, quod non attendebam ad rationem colligendi apparatus, quae in universorum operum editione infinitis partibus difficilior et laboriosior futura erat quam in editione parvuli libelli. Quod quale quantumque sit, operae pretium est exponere.

Duo sunt boni editoris officia, *Emendatio* et *Interpretatio*: duo item utriusque bene gerendi officii instrumenta, *Comparatio veterum codicum* et *Doctrinae copia:* illa ad *Emendationem* refertur: haec ad *Interpretationem*, ita quidem, ut ipsa quoque magnam Emendationis partem complectatur. Nam cum ipsa per se doctrina saepe correctionem mendorum parit, tum est eadem judex ac disceptatrix lectionum e codicibus depromtarum, quarum nullus est usus, nisi eas doctrina dijudicet ac probet. Jam, si verum volumus, in bono interprete tanta inesse debet, aut non multo minor, doctrina, quanta inest in Auctore: certe ad eum modum, ut locos obscuros ad legentium intellectum illustrare possit. Hoc officium apparet quam late pateat ad interpretationem Plutarchi, in quo infinita est doctrinae et copia et varietas. Vel una haec me cogitatio debebat absterrere a suscipienda ejus editione. BACHETUS MEZIRIACUS post AMYOTUM Gallice vertere

Plutarchum aggrediens, brevem scriptiunculam edidit de suo consilio, AMYOTI erroribus, doctrina denique ea qua Plutarchi interpretem praeditum esse oportet: cujus doctrinae partes plerasque recensens, parum in iis valuisse et frequenter caecutiisse AMYOTUM ostendit. Plutarchus ut infinita et fere divina erat doctrinae copia, ita in scriptis suis locos ex omni doctrinarum genere expromsit; nulla fere est vitae humanae, ut tunc erat, pars quin de ea vel disputaverit vel mentionem fecerit. Atqui omnes hi loci, ut legentibus obscuri, ab interprete illustrandi sunt. Quidni ergo quis ab eo postulet, ut omnem qua Veteres valuerunt, rerum verborumque scientiam mente complectatur; non modo ut Veterum scripta et monumenta legerit, cognoverit; sed ut omnes disciplinas, artes, res, in omni vitae genere apud illos frequentatas, teneat: Grammaticam, Musicam, Gymnasticam: Historiam, Mythologiam, Geographiam, Chronologiam, Criticam: Philosophiae partes, Dialecticam, Physicam, Ethicam, in iisque singularum sectarum placita ac dissensiones: tum Mathematica, Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, Harmonicam: porro artes, civiles, militares, liberales, illiberales: denique singularum nationum et civitatum leges atque instituta, omnemque in vita cum publica tum domestica morum et consuetudinum varietatem.

At quis, qui tantam tam innumerabilium rerum scientiam ab interprete postulet, non videat se ali-

aliquid postulare quod in re et natura non sit positum. Neque ipse BACHETUS MEZIRIACUS se tantam scientiam consecutum profitebatur: et erat tamen non solum AMYOTO doctior, sed in doctissimis adeo hominibus censendus. Unus forte JOSEPHUS SCALIGER, quem ex omnibus, qui post renatas Literas fuerunt, omni Antiquitatis scientia consummatissimum exstitisse constat, non multum ab hac perfectione abfuit. Sed nec saeculum unumquodque SCALIGERUM fert, nec cadit tale ingenium in nostrum saeculum; *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.* Enimvero vel hodiernis suae et aetatis et patriae in rebus, quae ante oculos et in promtu positae sunt, quis illam tantam tenuit scientiam? Igitur ne antiquis quidem in rebus et cognitu iis difficillimis, exigatur ab interprete. Valeat illud, *Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.* Habeat interpres eam doctrinam, qua mendosa quidem ab integris semper dignoscat, saepe etiam emendet: obscura, nisi penitus illustret, tamen hactenus patefaciat, ut legentes in vestigio ponat, quo persequendo reliquam obscuritatem ipsi dispellant: omnino sit is, qui regnet in illa editionis quasi provincia, ut neminem habeat in ea superiorem ex iis qui nunc aevum agunt hominibus; nemo ipso Auctorem magis cognitum, tractatum, perspectum habeat; nemo tam doctus sit quin ex ipsius Editione proficere possit. Quo quidem gradu me non esse, ipse mihi sum testis. Doctrinarum modo

memoratarum, alias ne attigi quidem, alias leviter degustavi, paucarum probabiliter peritus; in omnibus infra voluntatem ipse meam et modum boni editoris. Ulterius progredi mihi datum non esse, sero agnovi. Sed quid facerem? An totum editionis negotium abjicerem? Multos, ex iis qui nunc vivunt, eruditos homines verisimile est me longe praestare ingenio ac doctrina; et forte breviore tempore meliorem hac mea Editionem effecturos fuisse. Sed hi hoc non egerunt. Ego, ut potui, egi: nec multum quidem, at tantum tamen effecisse visus sum, quod et indoctis utile, nec doctis inutile esset. Hoc secutus sum, hoc prae me fero: haec me spes confirmavit ac sustentavit, ne susceptam editionem deponerem.

Quae est igitur vis, quae ratio illius, de quo agimus, colligendi apparatus doctrinae? Principio quidem, futurus interpres adferat accuratam scientiam Linguae Graecae et Antiquitatis, usu bonorum Scriptorum comparatam. Tum Auctorem suum legat, relegat: ut ejus orationem, rationem, consuetudinem, doctrinam, ingenium, mente ac memoria complectatur et in promtu habeat. Denique, quod proprium ac praecipuum est hujus officii, legendi sunt Scriptores antiqui plerique omnes, recentiores etiam optimi: ex iis colligendi loci ejusmodi qui valeant ad Auctoris locos cum corruptos emendandos, tum obscuros illustrandos: neque hoc agendum percurrendis illis Scriptoribus, aut, quod pejus etiam est,

lo-

locis per Indices vulgatos indagandis, sed meditata ac diligente ipsorum lectione Scriptorum: neque satis est locos illos tantummodo collegisse et attulisse, sed ipsius etiam doctrinae et artis cujus quisque est locus, totius, quasi corporis, forma et partes tenendae sunt.

Jam hoc negotium quantum differat utrum in parvo an magno libro, utrum in unius an universorum Plutarcheorum editione librorum agatur, cum nemo non intelligit, tum magis etiam intelligetur, si, quid mihi acciderit, narravero.

Quum ad libellum *de Sera Numinis Vindicta* accederem, recens eram a principum Auctorum Graecorum lectione, ut ex iis quod ad rem praesentem accommodatum esset, facile mihi subjiceret memoria. Libellus, utpote parvus, aliquoties lectus, ita memoriae tradebatur, ut eum quasi in numerato haberem. Ab hoc item recens, ad alios legendos Auctores progrediens, eos magis percurrebam quam legebam, ut tamen attenderem quod ad hunc libellum pertineret. Locos e doctrinis petitos satis habebam universe et obiter cognovisse, non vacabat eorum vim ex intelligentia et ratione totius doctrinae percepisse.

At in magni operis negotio nil simile istius vel facilitatis vel levitatis, omnia alia et diversa erant. Coepi Auctores cum nondum lectos legere, tum antea lectos relegere, nec magis Plutarchi, quam ipsorum caussa: non cursim, sed pe-

detentim: saepe insistens, locos difficiles excutiens, plurimos notans et in adversaria referens etiam quae ad Plutarchum non pertinerent. Athenaeum, ut hoc utar, antea quindecim diebus perlectum, nunc octo demum mensibus absolvi. Philosophiae aliarumque doctrinarum jam non satis habui disjecta et quasi dispersa vidisse membra: nil mihi actum existimavi nisi, quoad quidem ejus a me fieri posset, earum formam, nexum, et quasi corpora propius spectarem, originem, progressus, historiam denique cognoscerem. Fuit hic complurium labor annorum, cujus fructum peculiaribus in scholis cum discentibus communicare non dubitavi, ad publicam lucem adhuc immaturum judicavi: partes quidem cum antea prodidi, tum suo loco prodam in Animadversionibus.

Alia tarditatis causa fuit in magnitudine operum Plutarchi universorum. Duo spissa volumina formae maximae, paginarum supra bis mille, Auctoris unius omnium doctissimi, doctrinam ubique spargentis, saepe effundentis, quantam, quam variam interpreti objiciat materiam, facile est ad existimandum. Haec ego volumina saepius a capite ad calcem perlegens, nil proficiebam ad illam promtam locorum recordationem, quam in libello *de Sera Numinis Vindicta* consecutus eram: septima etiam lectione, anteaquam ad medium pervenissem, prima in oblivionem abibant. Igitur materiam ex multitudine ad pauci-

citatem redigere studui, dedi me ad excerpendum. Sed omnia fere excerpenda erant; nil enim non dignum notatu, nil non memorabile videbatur.

Et vero ne sic quidem proficiebam ad promtam expeditamque locorum excerptorum recordationem et facultatem. Saepe fiebat ut in alterius inciderem Scriptoris locum, de quo dubitarem essetne ad Plutarchum referendus: ergo notavi eum; et notavi fere omnia, ne quid perire sinerem. Saepe item fiebat ut rem dictionemve in excerpta relatam reperire denuo non possem nisi pervolutatis omnibus excerptorum schedis, et integris nonnunquam libris. Unum jam restabat memoriae subsidium, ut omnem Plutarcheam rerum verborumque materiam ordine literarum redigerem in Indices, ad eosque materiam apparatus ex aliis Scriptoribus collectam, suo quamque loco annotarem. Ergo hoc egi, et confeci complures Indices eosque locupletes, sed praecipuos quatuor. Primus est nominum verborumque Graecorum: alter grammaticus, formarum constructionis: tertius Auctores, eorumque locos, a Plutarcho memoratos complectitur: quartus est rerum et hominum. Nam Indices duo, qui exstant in Editione Graeco-Latina et aliis; alter rerum et hominum; alter Auctorum, isque bis repetitus a Fabricio in Bibliotheca Graeca, altero quidem loco novus, ut ait, et locupletior: hi igitur nil erant ad eam quam ego spectabam rationem et copiam: sic composui meos, ac si illi omnino

non

non essent. Indices mei semel confecti multum mihi profuerunt ad laboris compendium: ipsa eorum confectio majorem partem temporis a me in Plutarcho collocati absumsit, fuitque, caeterum, supra quam dici potest, plena laboris ac taedii, cujus molestia ipsam suavitatem lectionis librorum Plutarcheorum obrueret: quae sane lectio istius aerumnae unicum fuit solatium. Utile forte sit ad aliorum admonitionem quibus aliquando idem saxum volvendum erit in edendis magnae molis Auctoribus, sed longum est pro praefatione, referre, ut enotaverim, annotaverim, excerpserim, excerpta in Indices referre studuerim brevissima ratione, primum continuo; tum peculiaribus in schedis vel ordine literarum vel simpliciter scribens, scripta transscribens: ut viae longitudine defatigatus, ejus compendium quaesiverim nec invenerim: ut iterum tentaverim, et pererratis multis ambagibus denique ad primam longioremque viam recipere me coactus fuerim. Quoties ego tunc de VALCKENARIO cogitavi! eumque non sine ratione egisse intellexi, quum mihi suasisset, non universa, sed singula Plutarchi scripta edere. Sed jam in stadium ingresso et eousque progresso turpe mihi ducebam recedere, et quemvis potius laborem exantlandum statuebam quam editionis propositam spem laudemque deserendam. Perrexi, perfeci. Et sunt sane hi jam Indices sua materia expleti mihique ad meum usum utilissimi:

alio-

aliorum usui ut accommodentur, nil nisi aliquid formae desiderant.

Hactenus de *Interpretatione* dictum: nunc de *Emendatione* dicendum. Hujus duplex est fons, alter in auctoritate et scriptura veterum codicum positus, alter in conjecturae probabilitate.

Et primo quidem, ut fit, ad conjecturam me dabam, et postea semper eam consectatus sum. Erat enim ferax emendationis partae accurata lectione Auctoris: erat eadem laboris pars jucundissima, nec labor potius quam condimentum laboris. In manibus habebam parvulum volumen exempli STEPHANIANI Graeci habile et ad gestandum facile: captans aestivo tempore umbram arborum, hiberno matutinae horae integritatem, nocturnae tranquillitatem, conjiciebam me in lectionem Plutarchi, in ejus me orationem et sententiam penitus insinuabam, sensus latentes quasi vestigiis odorabar et indagabam. Nulla non lectio habuit insignem inventionis suavitatem, qua non aliam majorem Dii mortalibus largiuntur. Modo corruptelam sanabam, modo obscuritatem illustrabam, frequentissime veterem ipse meum errorem corrigebam, quo locis sanis, nondum intellectis, violentum remedium adhibuissem. Sed haec ad futurae dotem Editionis spectabant. Alius erat longe praestantior ingenii animique fructus: ut cum perspiciendis philosophorum sententiis ac decretis ad rerum divinarum humanarumque intelligentiam nonnihil profecisse, tum sapienter moni-

nitis et praeceptis ad vera falsaque bona dignoscenda et recte aestimanda, ad praejudicatas opiniones et vanas vulgi laudes contemnendas, aliquanto magis instructus et confirmatus, mihi viderer: atque ita, vel hac spe recreatus alacrior ad quotidianum opus accederem, vel ad quietem me darem, ut auctore Platone suadet Cicero, ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta saturataque bonarum cogitationum epulis. Faxit Deus, ut hic mihi fructus sit perpetuus! ut ejus certe aliquid in animo haereat, nec turbis ac nugis pervulgatae consuetudinis ac vitae totus disjiciatur et evanescat! Faxit ut idem fructus per nostram Editionem ad plurimos dimanet ac propagetur bonarum Literarum studiosos, Plutarchi et lectione frequentata, et intelligentia magis jam expedita.

Alter Emendationis fons erat in auctoritate veterum librorum, cum scriptorum tum editorum. Et principio quidem ex editis una contentus eram STEPHANIANA recensione, cum Genevensi formae octavae, tum illa hinc repetita Graeco-Latina formae maximae cum Latina interpretatione et notis XYLANDRI: priorum, Aldinae et Basileensis nullam habebam rationem, ut magis etiam quam STEPHANIANA mendosarum: temere quidem, ut postea agnovi, et errorem meum correxi. Principio igitur unice codices scriptos consectabar. Constituebam praecipuas per Europam Bibliothecas adire, codices meis ipsum manibus tra-

tractare et excerpere. Hujus tamen consilii effectus intra unam substitit Parisinam peregrinationem. Illuc, ut primum potui, ante hos undeviginti annos, evolavi; quod audivissem, collectiones variarum lectionum amplas, e multis codicibus congestas paratasque, ibi servari. Quod quum praesens ipse aut parum aut nihilum esse intelligerem; dedi me ad ipsos codices conferendos, quos bibliotheca publica, cognomine regia, nondum collatos ab editoribus Plutarchi, plurimos habet et optimos, praesertim nonnullos, COLBERTO auctore, e Graecia allatos, in quibus praecipui sunt ii quos notavimus literis B. et E. Hanc peregrinationem incredibiliter fructuosam ad emendandum Plutarchum, quum ultra dimidium annum producere mihi non licuisset; domum redux constitui eosdem fontes, prima quaque opportunitate oblata, repetere, vel ex iis per alios homines haurire. Neutri consilio eventus respondit: nisi quod medicus harum Literarum peritissimus LE FEBVRE DE VILLEBRUNE jucundo me dono auxit facta collatione *Consolationis ad Apollonium* cum duobus illius bibliothecae codicibus, quos significavimus literis N. et Z. Caeterum codices Parisini a me collati ad duodecim, plurimam emendationis partem Plutarcho contulerunt; licet reliquorum codicum nostrorum ea sit et bonitas et multitudo, quae haud scio an nemini umquam veteris Auctoris editori adfuerit. Itaque cum alias saepe, tum proximis

his

his annis, excerpta codicum digerens ad eaque Plutarchi scripturam emendans, in illorum veni recordationem temporum, et amicorum qui conatus meos juvarunt, VILLOISONI, SANCTOCRUCII, LARCHERI, aliorum, de quibus illud dicimus, οὐδέ τι ἴδμεν Ζώει ὅγ' ἢ τέθνηκεν: quae recordatio, tristis eadem et jucunda, conjuncta certe est cum grato animi sensu et voto, velit Deus et illam bibliothecam incolumem servare, et vero ipsum populum cum vicinis populis in ejusmodi pacem ac tranquillitatem constituere, quae plurimum valeat ad ingeniorum cultum, et rei cum publicae, tum privatae, florem.

Sed redeat, unde digressa est, oratio. Duorum Moscuensium codicum varias lectiones ultro ad me misit, mox etiam exemplum Graeco-Latinum *Vitarum*, adscriptam habens in margine varietatem alterius scripti libri Moscuensis: haec igitur ultro ad me misit J. F. MATTHAEI, V. Cl. nunc Wittenbergensis, tunc Moscuensis Professor, vir multae et elegantis doctrinae, qui primus literatam civitatem notitia et usu divitiarum illius bibliothecae antea ignotarum locupletavit. Venetos quatuor libros, conciliatore amicissimo VILLOISONO, adjutore et fautore JACOBO MORELLIO, viro et humanissimo, et in re omni literaria versatissimo, Custode bibliothecae D. Marci, in meos usus excerpsit doctissimus juvenis PAULUS BLESSIG, illo tempore domestici paedagogi munere Venetiis, hoc tempore apud

Wur-

Wurtenbergenses sacerdotio fungens. Ejusdem MORELLII benivolentiae debeo exemplum Catalogi librorum Plutarcheorum, a Lampria, ut vulgo fertur, confecti, edito exemplo plenius et locupletius. Libros bibliothecae Lugduno-Batavae ipse tractavi, beneficio RUHNKENII nostri mecum communicatos. Hi continentur, codice VOSSIANO scripto: Collectione ANDREAE SCHOTTI: exemplo Aldino cui adscriptae sunt variae lectiones LEONICI et JANNOTII: exemplo Basileensi cum emendationibus incerti, sed docti, viri, quem Anonymi nomine significavimus: exemplo STEPHANIANO, in cujus margine BACHETUS MEZIRIACUS varietatem quorumdam librorum scriptorum, et vero conjecturas multas easque bonas, annotavit: codicibus praeterea duobus scriptis duorum libellorum, altero *Platonicarum Quaestionum*, altero PERIZONIANO, *Consolationis ad Apollonium*. Florentinorum codicum collationes nactus sum ex auctione bibliothecae Gronovianae: indidem fuit alterius cujusdam codicis collatio cum aliis libellis: et exemplum STEPHANIANUM cum emendationibus Cl. SALMASII, quas ABR. GRONOVIUS cum REISKIO communicaverat. Vaticani et Palatini varietatem magna diligentia excerpsit, praesertim in *Symposiacis Quaestionibus*, nec minore diligentia descripsit ex libro Aldino M. A. MURETI, Collationem JANNOTIANAM, ABBAS JOSEPHUS SPALLETTI,

TI, vir perdoctus, edito nuper Anacreontis vetusto exemplari de hominum elegantiorum studiis bene meritus. Denique accesserunt codices Britannici cura et benivolentia Illustrium DELEGATORUM TYPOGRAPHIAE OXONIENSIS, in primis JOHANNIS RANDOLPHII, Viri Rev. egregia doctrinae et humanitatis laude clari, cui plurimum nostra Editio debet. Codices complures sunt, Harleiani et Oxonienses; excerpendi negotium idoneis hominibus mandatum, accurate peractum: in Harleianis libris inchoatum a doctissimo WOYDIO, ejus obitu intermissum, absolutum est demum reperto cui recte committeretur. Igitur varietatem eorum librorum, quam in Emendationibus Graeco contextui et Latinae Versioni interjectis, memorare non potuimus, suis locis exhibebimus in Animadversionibus et Indicibus Variarum Lectionum. Locorum eorum quos posteriores Scriptores, Eusebius, Stobaeus, alii, e Plutarcho retulerunt, rationem a me habitam esse, non est quod moneam. Alia etiam subsidia vel edita, vel ad singulos Plutarchi libros spectantia, intelligentur e recensione proxima huic praefationi. Codicis cujusque quae sit bonitas, quae auctoritas, quis fructus ad Plutarchi manum scripturamque restituendam, cum infinitum sit hoc loco exponere, tum uberius cognoscetur e duobus sequentibus capitibus hujus praefationis, eique proximis Indicibus, maxime

ne ex Emendationibus nostris et Animadversionibus.

Hanc tantam variarum lectionum sylvam quum contulissem ad exemplum STEPHANIANUM quippe vulgatum et reliquis exemplis emendatius; primum quidem sperabam non opus fore ut eamdem etiam augerem varietate lectionis ex prioribus Editionibus, Aldina et Basileensibus, collecta: postea, et faciundum esse intellexi, et feci. Videbam, in STEPHANIANO exemplo locos complures inesse probabiliter vel correctos vel expletos, qui in scriptis omnibus libris vel mendosi vel lacunosi exstarent. Horum locorum medicinam, utrum ex prioribus editionibus repetivisset STEPHANUS, an aliunde, vel e codicibus scriptis, vel e conjectura duxisset, non negligere et in medio relinquere debebam; si quidem contextum Auctoris et scripturam certa ratione constituere, et locum quemque sua auctoritate censere vellem. Deinde quis affirmare auderet, nullos omnino locos exstare meliores in prioribus Editionibus quam in STEPHANIANA, nihil amplius in hanc ex illis derivari posse emendationis: quod contra etiam esse, vel in libello *de Sera Numinis Vindicta* didiceram. Porro, credibile erat, in prioribus Editionibus locos, quamvis corruptos, tamen vestigia servare sanae lectionis; quos locos STEPHANUS e conjectura vel sua, vel aliorum, ita mutasset, ut et a vero aberraret, et vestigia verae lectionis

obliteraret, et tamen aliquid daret quo legentes contenti essent nec de vitio spuriaque lectione suspicarentur. Quod in *Moralibus* nulla non pagina accidit; certe quot sunt paginae, tot fere exempla perversae correctionis exstant. Uno utar eoque brevi exemplo. In libello Περὶ τοῦ Λάθε Βιώσας, Ed. Gr. Lat. p. 1130. E. Steph. p. 2071. ita legitur: *οὐδέν ἐστιν ὑπόλειμμα σώματος τοῖς τεθνηκόσι, τιμωρίας ὅπερ ἐστὶν ἀντιτύπου δέξασθαι δυνάμενον.* Caetera satis sunt plana: sed quid illud *ὅπέρ ἐστιν*? Possit quis ita sententiam accipere, „ Mortuis nullae sunt corporis reliquiae, „ quae possint *illud quantum est* solidi supplicii „ suscipere." Probabilis est sententia, nec in Latina interpretatione tantum duri habet quantum in Graeca Plutarchi oratione. Ergo lectio fertur, vera habetur. At veteribus libris conferendis vidi exstare *αἵπερ εἰσιν* in Aldina et Basileensibus editionibus, item in plerisque meis codicibus scriptis: at istud nullo modo intelligi poterat: igitur antiquus jam corrector mutavit in *ὅπερ ἐστὶν*, quod patet ex Collectionibus SCHOTTI, Collationibus JANNOTII et libro POLI, in quibus est *ὅπέρ ἐστιν*: STEPHANUS, qui ex his libris suae ipse Editionis scripturam constituebat, hoc arripuit et edidit. Equidem ut vidi veterem lectionem *αἵπερ εἰσιν*, ita ex ea agnovi veram lectionem *ἀπέρεισιν*, quam recepi: et XYLANDRI interpretationem, *neque reliquiae sunt corporum post mortem, quae cruciatus sustinere possint*, ita leni-

niter correxi et immutavi, retentis, quoad ejus fieri poterat plurimis verbis, *neque reliquiae sunt corporum post mortem, quae cruciatus inflictionem solidi capere possint.*

Ergo cum illis jam memoratis de caussis necessariam esse priorum Editionum comparationem intelligebam, tum quod minime consentaneum erat rationi, profligatis tot laboribus, hunc negligere in quo praecipuum editoris munus cerneretur, qui valeret ad cognitionem originis et progressus atque, ut ita dicam, ad genealogiam, vulgatae lectionis, ut appareret, quomodo ab Aldino fonte ducta scriptura per sequentes Editiones, vel immutata vel servata, ad nostram aetatem propagata fuisset. Neque vero acquiescere poteram in eo Variarum Lectionum Indice qui ad calcem Graeco-Latinarum Editionum adjectus est; quippe quem valde negligenter confectum esse scirem, locorum plurimorum cum omissione, tum mendosa descriptione. Neque contentus eram priores Editiones ad manum habere et inspicere ad quemque quem tractarem locum; quod, ut antea, ita postea semper feci. Ipsam igitur ab initio ad finem Aldinam cum STEPHANIANA contuli et comparavi, adhibita item Basileensi utraque, ex iisque omnem lectionis varietatem enotavi. Fuit hic labor, subsecivus quidem, sed tamen labor duorum fere annorum.

Nil dicam de molestia istius negotii, librorum scriptorum et editorum excerpendorum, excerpta-

rum lectionum ad suos locos conferendarum; ut saepe per complures horas desudans, vix unam lectionem memoratu dignam, nedum meliorem vulgata nactus fuerim. Neque enim haec studia aliter constant: et subinde una tandem inventa lectio, qua locus affectus sanaretur, omne prioris taedium laboris abstergebat et humanissima voluptate compensabat. Sed exantlata ista opera, quid profeceram? Nimirum tam immensam, tam innumerabilem variarum lectionum segetem congesseram, cujus mole ipse obruerer, cui digerendae vix totum vitae spatium sufficere videretur. Substiti dubitans quid agerem, pergeremne, an totum editionis consilium abjicerem; accedo, discedo, alia omnia agere incipio. Redit post aliquot menses desiderium pristini operis: succedit cogitatio, quantum boni in ista mole inesset, modo digereretur. Enimvero, inquam, ejusmodi adipiscendae molis spes te Lutetiam traxit: quam tu si illo tempore et loco nactus esses, ut te felicem praedicasses! Nunc, quum longi temporis labore hanc jacturam compensaveris, molem meliorem etiam ipse tibi congesseris, tu tantum bonum defugies? Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλό ποτ᾽ ἔτλης: duriora et passus es et superasti in conficiendis Indicibus. Haec me cogitatio incredibiliter erexit et cum studio Plutarcheae editionis in gratiam reduxit. Admoveo manum operi: moles paulatim aperitur, purgatur, ordinatur. Estque haec totius Plutarcheae materiae

riae ea pars, quae prima ad vulgandum parata fuerit: cujus partis delectus et quasi flos in his quinque Voluminibus exstat.

Sed labor in tota hac Editione consumtus, licet multis partibus molestus fuerit; multo tamen molestiores fuerunt reprehensores laboris. Horum duplex fuit genus, doctum et indoctum. Indocti fere me admonebant, ne ipse me ad durum opus damnarem, vitae suavitatibus privarem. Quibus ut aliquid reponerem quod caperent, dicebam, et ipsos habere sua oblectamenta, sua studia, quibus a quotidiano se opere recrearent: hoc meum mihi esse oblectamentum, meum studium, in quo tempus a muneris occupationibus liberum suaviter transigerem. Tum vero minus etiam capiebant, quale hoc esset, laboris relaxationem in alio labore quaerere: mentis morbum subesse putabant, miserantes me ut alterum Heautontimorumenum illo fere dicto dimittebant, *An cuiquam est usus homini, se ut cruciet.* Docti iniquiores erant, nec tam facile me dimittebant: corripiebant, et veluti debitum a me exigebant: „ Heus tu! ecquando Plutarchus prodibit?" Dicebam, nondum omnia mihi esse parata ad justam editionem; magnam et variam esse operam, emendationis, interpretationis, apparatus doctrinae colligendi, porro varias lectiones congerere, Indices conficere, omnia denique digerere. Tum illi: „ Da quod habes, „ reliqua supplebis altera editione: utendum est

„ ingenio et elegantia; non obscura ista et labo„ riosa diligentia. Enimvero indignum est libe„ rali doctrina negotium Indices conficere, va„ rias lectiones et materiam congerere: hoc per „ alios agendum: tuum est ordinare materiam." Quid responderem? Multa, sane: modo audire voluissent. Quod mihi sit consilium, quae animi sententia, nunc dicam. Diu est quod illam ingenii laudem consectari desii: si sponte sequitur, accipio: sin minus, non curo. Omnem mihi laudem in honestate constitui: honestatem in explendo officio positam existimo, officium proficisci a vitae genere, seu muneribus, quae vel natura nobis dedit, vel fortuna (quam rectius Providentiam vocemus) vel suum cuique judicium; veluti natura unicuique nostrum tribuit munus hominis, civis: fortuna, aliis alia, mihi professorium: ipse mihi assumsi munus edendi Plutarchi: hoc adolescens suscepi, putans me aliquid facultatis habere ut munere bene gerendo aliis prodessem. Jam si ad ingenii ac virtutis fructum pertinet, Plutarchi intelligentiam expeditiorem reddi; honestum est hoc munus; et si honestum est, honeste item expleri debet: seu, ut idem aliis verbis dicam, officium mihi est, hoc munus recte agere. Primum igitur, ne de altera editione cogitemus, quando primam nondum eo perduximus ut officio nos satisfecisse putemus. Deinde adhibeamus muneri explendo necessarias, tamquam operi instrumenta, faculta-

tes,

tes, quaecumque illae sint et vocentur, ingenium, doctrinam, industriam, diligentiam, assiduitatem, caeteras. Hoc enim et officium et rationi consentaneum est. Igitur et contra officium, et absurdum est, solo ingenio uti velle in opere ubi tam magnae sunt partes multarum aliarum facultatum. Sed quid illud est quod ingenii nomine appellant? Est, inquiunt, celeritas mentis, velocitas cogitationis, est omnino divinum quid, quod si quis habet, is reliquas facultates non desideret. Jam intelligo. Est nimirum tale, quale dicitur a Platone de poëtis, κοῦφον χρῆμα καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν, leve negotium, et volaticum ac sacrum; ut, quum nihil didiceris, tamen omnia didicisse videaris. Equidem nescio an in editione hac Plutarchea aliquid ingenii sit. Hoc scio, quidquid, aut si quid, in ea est inventionis, hoc me non volando assecutum esse. Mihi eam natura tribuit tarditatem, ut gradatim procedendum sit, si quo pervenire cupiam, via quaerenda, rationes subducendae, circumspiciendum in omnem partem, lux aliunde saepe accendenda. „ Sed," inquiunt, „ compendium laboris facere poteras ejus parte „ aliis mandanda." Fuerunt qui codices scriptos mei caussa excerperent. Caetera omnia ipse agere et efficere debui. Nos qui in hoc literarum genere ac munere versamur, non sumus ita beati ut in familia nostra pueros literatos habeamus, quibus hanc operam mandemus. Quos etiam si haberemus,

mus, tamen certiusque lubentiusque per nos ipsi quam per alios hanc officii partem exsequeremur. Sumus, quod Socrates ait, *αὐτουργοὶ τῆς σοφίας*. Sint alii architecti doctrinae, habeant suos operarios et bajulos, contemnant nos qui nobis ipsi bajuli sumus, habeant comitatum, catervas laudantium et mirantium speciem eruditionis, volitent vivi per ora hominum, videantur sibi aliisque multum sapere,

Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Haec mihi dicenda judicavi, de operae a me in Plutarcho collocatae initiis et progressu, tardo illo quidem, sed tamen progressu; cum, ut rationem nominis tarde soluti redderem: tum, si forte juvenes, qui aliquando aliud hujusmodi editionis opus capesserent, ex meis erroribus breviorem viam invenire possent. Hos vero etiam monere debeo, ut cogitent quale quantumque onus suscipiant. Sciant, in conficiundo opere ipsis non solum cum labore conflictandum esse, sed etiam cum reprehensoribus laboris: confecto opere, paucissimos fore, etiam ex iis qui judicare aliquid possint, qui operam cognoscant, agnoscant, recte aestiment, tot volumina legant, ut locos deprehendant eos in quibus maxime operae pretium factum est: plurimos fore novitatis captatores, qui in opus involent, leviter inspici-

ciant, continuo sententiam in publicum prodant, specie gravem, re levem, eam tamen quam vulgus sequatur. Cogitent quibus rationibus animum instruant, ut contemta vulgari gloriola, solo se tueantur paucorum peritorum ac prudentium virorum judicio, ejusque judicii minimam partem praesente aetate, plurimam sequentibus saeculis contineri statuant. Cogitent, veram laudem non in fama et sermonis celebritate positam esse, sed in fructu qui ex nostro labore ad alios redundat, qui, quamvis ignoti et taciti, tacite editori gratiam habeant de Auctoris intelligentia aperta et faciliore reddita. Tum demum bonam spem de successu consilii sui capiant, quum illa omnia apud se reputaverint, perpenderint, constituerint: quum, neglectis clamosis exactoribus operis, in suscepto itinere constanter pergant, unice jam illud Ennianum et istis opponant, et sibi proponant,

Unus qui nobis cunctando restituit rem;
Non ponebat enim rumores ante salutem;
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

CAPUT III.

Historia studii a prioribus in frequentandis edendisque Plutarcheis scriptis positi.

SECTIO I.

Index Scriptorum veteris et medii aevi, apud quos Plutarchi, vel mentio fit, vel loci exhibentur, vel vestigia exstant.

QUAERENTIBUS nobis unde et qua via hic Plutarcheorum librorum numerus et scripturae contextus ad nos pervenerit, duae occurrunt aetates: altera, proxima, quae est a prima chalcographica editione: altera, remotior, ab ipsius Plutarchi aevo repetita et ad illam usque aetatem deducta. Illa nullo modo ab Editore negligi debet. Hujus tractatio paucissimis adhuc adhibita est Auctoribus: neque cum aliqua historiae copia adhiberi potest nisi fere iis qui doctrinae ac sectae auctoritatem habuerunt, veluti Sacri Scriptores et Ecclesiastici, et in diversis generibus Homerus, Hippocrates, Plato, Aristoteles, alii Philosophi, item Legislatores et Jurisconsulti. Caeteri ita ad nos venerunt, ut quo itinere quibusque conversionibus per hanc priorem aetatem propagati et servati fuerint, ignoretur. Et sane de Plutarcho pauca dici possunt. Nec tamen idcirco non quaerendum qualia sint haec pauca; nec committendum, ut totus hic locus vacuus relinqua-

quatur, si ad justum Historiae Criticae modum expleri nequit, sed fere consistit intra fines Indicis Scriptorum qui Plutarchi aliquam rationem habuerunt. Habet autem haec tractatio tres in primis difficultates. Prima est in colligendis Scriptorum locis ex innumerabili voluminum mole et multitudine; ut verear ne complures me fugerint et latuerint loci. Altera est, quod de nonnullis locis non certo constat, sintne ab ipsis, quorum nomine feruntur, Scriptoribus proditi, an a posterioribus additi. Tertia est, quod nonnullorum aetas Scriptorum latet; ut eos non certo ac suo, sed verisimili et aliquo saltem loco ponere debuerim. Igitur hanc tractationem non ut justam ac suis locis absolutam exhibemus, sed ut adumbratam et extremis lineis designatam: quam aliquando posteri editores ad certiorem plenioremque formam suppleant. Nunc quidem ea contenti simus; quandoquidem simul vicem gerit ejusmodi capitis quod editores *Testimonia de Auctore* nominare, eoque sub titulo praefationibus subjicere solent. Caeterum, Scriptores per Saecula digeremus: locos e perditis Plutarchi libris hic verbo notabimus, plene ac diserte in *Fragmentis* apponemus.

S A E C U L. II.

Plutarchus saeculo natus medio fere primo, famae maturitatem habuit ac floruit ineunte secundo.

Ce-

Celebratus Romae et in Graecia cum habendis scholis, tum scriptis edendis, sua jam aetate magnam consecutus est auctoritatem, ut multis indiciis colligitur ac disertis proximorum testimoniis Auctorum confirmatur. Ab aequalibus, quoad quidem eorum scripta servata sunt, non memoratur, Dione, Tacito, Plinio Minore, Juvenale, Suetonio: nec ipse illos memorat, nisi forte Dionem, siquidem adversus hunc fuit deperditus liber πρὸς Δίωνα; cujus notitiam debemus Catalogo librorum Plutarcheorum qui Lampriae nomine fertur. Sed inter aequales hoc silentium frequens reperitur. Taciti vestigia legisse videtur in Galba et Othone, item in Amatorio de Epponina.

LAMPRIAE Plutarchi filii, Πλουτάρχου βιβλίων πίναξ, *Librorum Plutarchi Index.* Hujus partem primus vulgavit STEPHANUS in Annotationibus ad Plutarchi *Moralia.* Deinde auctiorem edidit HOESCHELIUS, sine tamen mutilum, addita Lampriae Graeca praefatiuncula. HOESCHELIANUM exemplum repetitum est in tribus editionibus Graeco-Latinis. Si germanus est hic Index, non aliud habemus de Plutarcheorum librorum auctoritate et argumentis antiquius monumentum. De Epistola, seu praefatiuncula, Lampriae, dubito: nec putem ab ipso scriptam esse. Index ipse utrum a Lampria an alio homine, confectus sit, non facile dicam: licet confirmare videatur Suidas in Voce: Λαμπρίας Πλουτάρχου τοῦ Χαιρωνέως υἱός· ἔγραψε πίνα-

να·

νακα ὧν ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἔγραψε περὶ πάσης Ἑλληνικῆς καὶ Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας. Indicem exstitisse antiquitus librorum Plutarchi vix dubitare nos sinit vetus consuetudo Grammaticorum studiosa conficiendorum Πινάκων, de qua ne alios memorem, videantur CASAUBONUS ad Athen. VI. 10, et JONSIUS de Scriptorib. Hist. Phil. II, 5, 5. Etiam a veteribus librariis Indices praefixos fuisse librorum Plutarcheorum quae in aliquo volumine continerentur, cum ex aliis constat codicibus scriptis, tum ex Parisiensibus; A. B. E. Hic, de quo agimus, Index satis certa habet indicia germanae et antiquae auctoritatis. Praefatiuncula a posteriore librario conficta videtur. Abest item ab exemplis Venetis, quae ab edito multis partibus dissentiunt eoque aliquot locis auctiora sunt. Bina sunt illa exempla scripta saeculo XV; alterum a JOHANNE RHOSO, anno 1455, significatum in Catalogo nota numeri 248, hanc ipsius RHOSI manu additam habet admonitionem, quam hoc loco referre operae pretium est: nam enumeratis *Vitarum* quae exstant titulis, haec subjicit: Παρὰ πάντα δὲ ταῦτα πρὸ μέν τινων χρόνων ὥς ἔν τινι ἀρχαίᾳ βίβλῳ ἐγέγραπτο, καὶ τῶν ὑπογεγραμμένων λόγων συνόψεις ηὑρίσκοντο· εἰς ἡμᾶς δὲ οὐκ ἔφθασαν ἢ μόνον αἱ αὐτῶν ἐπιγραφαί· οὐδαμῆ γάρ πω αὐτῶν ἐνετύχομεν· (voluit αὐτῶν ἐπετύχομεν, i. e. *nacti sumus eas*, vel αὐταῖς ἐνετύχομεν, *incidimus in eas, vidimus eas.*) τῶν δὲ Φιλολόγων χάριν, καὶ ὡς ἂν εἰδεῖεν ὅσα ὁ Χαι-

Χαιρωνεὺς οὗτος σοφὸς συνεγράψατο, τὰς αὐτῶν ἐπιγραφὰς ἐνταῦθα ἐξεθέμεθα. Ergo eorum qui nunc sunt perditi, exstabant antiquitus Compendia seu Epitomae, s. Συνόψεις, qualis est illa libri *De Comparatione Aristophanis et Menandri.* Et omnium adeo Plutarcheorum librorum Epitomae videntur fuisse. Superest ex earum genere illa *De animi Generatione ex Timaeo.* Diserte significant etiam illa verba, *τῶν ὑπογεγραμμένων λόγων*, exstitisse *συνόψεις*: sunt enim *ὑπογεγραμμένοι* a RHOSO dicti libri Indicis, quorum inscriptiones ac nomina inferius recensita erant: et Index continebat tam perditorum quam servatorum nomina. Putem has Epitomas factas fuisse Saeculo IX temporibus fere Constantini Porphyrogennetae: cujus aetatis tale fuit ingenium. Caeterum, Indicem ipsum nostrasque de libris perditis in eo recensitis animadversiones, exhibebimus in *Narratione de Vita et Scriptis Plutarchi.*

FAVORINUS librum scripsit *Plutarchi* nomine appellatum, ut refert Galenus *περὶ τῆς ἀρίστης διδασκαλίας* capite primo, Edit. Charter. T. II. p. 16. B. C. — *Φαβωρῖνος εἴρηκεν ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀκαδημικῆς διαθέσεως, ὃ Πλούταρχος ἐπιγέγραπται. Λέγει δὲ αὐτὸ* (forte *τὸ αὐτὸ*) *ἐν τῷ πρὸς Ἐπίκτητον, ἐν ᾧ δήπουθεν ἐστὶν Ὀνήσιμος ὁ Πλουτάρχου δοῦλος Ἐπικτήτου διαλεγόμενος.* Verisimile est Plutarchi personae et nomini pluribus etiam in libris a Favorino locum fuisse datum. Certe Plutarchi fuit et amicus et aemulus. De aemu-

aemulatione constat e Suida in voce Φαβωρῖνος· — ἀντεφιλοτιμεῖτο γοῦν καὶ ζῆλον εἶχε πρὸς Πλούταρχον τὸν Χαιρωνέα εἰς τὸ τῶν συνταττομένων βιβλίων ἄπειρον. De studio et amicitia indicium est in loco Galeni, et compluribus Plutarchi libris. Hic librum *De Primo Frigido* ad Favorinum scripsit: item *Epistolam ad Favorinum* memoratam in Indice librorum Plutarcheorum, de quo proxime diximus: et honorificam ejus mentionem fecit in *Symposiacis Quaestionibus* IX, 10.

TAURUS egregius, aetate Antonini Pii, philosophus, et Plutarchi, ut videtur, familiaris, ejus in puniendo servo constantiam, et librum περὶ Ἀοργησίας, memoravit in schola, praesente Gellio, ut ab ipso refertur N. A. 1, 26; *Sed et quid Plutarchus noster vir doctissimus ac prudentissimus senserit, non ab re est ut id quoque audias* —. Locum exhibebimus in *Narratione De Vita Plutarchi.*

ARTEMIDORUS somnium quod Plutarchus viderit paulo antequam moreretur, narrat Onirocrit. IV, 74: modo is sit noster Plutarchus. Locum reservamus ad *Narrationem de Vita Plutarchi.*

APPIANUS, licet non sit habendus auctor Parthicorum libelli consarcinati ex Plutarcheis Vitis Crassi et Antonii; aliis tamen in libris rationem videtur habuisse Plutarchi, quamquam nomen ejus nusquam prodidit. Studium saeculi sui in Vitas Parallelas et Comparationes, a Plutarcho

V ex-

excitatum ac frequentatum, tangere oblique videtur in Syriacis capite XLI. Epaminondae et Scipionis Africani in capitis judicio constantiam narrans, et in exitu narrationis haec addens, Τάδε μὲν δή τις, ὡς ἐθέλοι, συγκρίνειν ἔχει: item de Bello Civili libro II. in fine, persequens comparationem Alexandri et Caesaris a Plutarcho praetermissam.

GELLIUS unus est ex omnibus hujus aetatis scriptoribus in laudandis memorandisque Plutarchi scriptis frequentissimus. Primi adeo capitis initium ducit a nomine Plutarchi, ex libro perdito *De Vita Herculis*; nam vera videtur esse J. F. GRONOVII emendatio restituentis, *Plutarchus in libro quem de Herculis quali inter homines fuerit animi corporisque ingenio et virtutibus conscripsit* —. Ex aliis perditis libris locos refert. *De Homero, ex primo*, IV, 11: *secundo*, II, 8, 9. *Commentario quarto in Hesiodum*, XX, 8. *De Anima ex primo* libro, I, 3: XV, 10. Ex iis qui supersunt, περὶ Πολυπραγμοσύνης, XI, 16: περὶ Ἀοργησίας, I, 26: *Symposiacis Quaestionibus*, III, 6: IV, 11: XVII, 11. Denique ex libro non nominato sententiam Arcesilae III, 5. Hos locos partim in Animadversionibus ad superstites libros, partim in Fragmentis, exhibebimus.

GALENUS, Plutarchi Ὁμηρικὰς μελέτας laudat de Dogmat. Hippocrat. et Platon. III, 2. Edit. Charter. T. V. p. 115. E. Ex Favorini li-

libro eum memorat; ut supra notavimus. Porro, si quid hoc est, spurius liber utriusque nomine perperam fertur idem, Plutarchi qui dicitur *De Philosophorum Placitis*, Galeni *Historia Philosophiae.*

APPULEIUS, in principio Metamorphoseon, post exordium: *Thessaliam: nam et illic originis maternae nostrae fundamenta a Plutarcho illo inclyto, ac mox Sexto philosopho nepote ejus prodita, gloriam nobis faciunt: eam Thessaliam ex negotio petebam.* Non est dubium quin noster hic significetur Plutarchus. Nec opus est, vel cum viris doctis, hoc dictum, in fabulae hujusmodi scriptore, ad temporis locique rationem aut omnino ad veritatem exigere: vel cum OUDENDORPIO insititium judicare. M. Aurelii Antonini praeceptor fuit Sextus, Plutarchi nepos: Capitolin. cap. III. hinc Eutropius VIII, 12: Xiphilinus in M. Antonin. p. 363. edit. Sylburg. Suidas Voc. Σέξτος Χαιρωνεὺς, ἀδελφιδοῦς Πλουτάρχου. Philostratus Vit. Soph. II, 1, 9, vocat Σέξτον τὸν ἐκ Βοιωτίας φιλόσοφον: indidem Suidas Voc. Μάρκος. *Sextum*, simpliciter, in magistris suis nominat Marcus Antoninus I, 9.

POLYAENUS Strategematum libri octavi magnam partem sumsit ex Plutarchi libello *De Virtutibus Mulierum;* ut solet, non nominato auctore. Ex *Vitis* etiam, et praecipue ex illa deperdita Epaminondae, complura sublegisse videtur.

AMYNTIANUS, Vitas Parallelas Dionysii ac Domitiani, Philippi et Augusti, ad Marcum Imperatorem, conscripsit: teste Photio Cod. CXXXI: quod quin imitatione Plutarchi fecerit, non est quod dubitemus.

PHRYNICHUS in *Ecloga Nominum et Verborum Atticorum*, ut nunc exstat, Plutarchum bis reprehendit ut minus Attice et minus antique locutum. P. 80, *Δυσωπεῖσθαι. Πλουτάρχῳ μὲν ἔστι περὶ Δυσωπίας βιβλίον· τοῦτο ὅπερ οἴεται δηλοῦν τὸ ἐντρέπεσθαι καὶ μὴ ἀντέχειν δι' αἰδῶ. Ἀλλὰ σημαίνει ἡ Δυσωπία παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν ὑφόρασιν καὶ τὸ ὑποπτεύειν.* Item, p. 120, *Σύγκρισις. Πλούταρχος ἐπέγραψε σύγγραμμά τι τῶν αὐτοῦ Σύγκρισις Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου. Καὶ θαυμάζω, πῶς φιλοσοφίας ἐπ' ἄκρον ἀφιγμένος καὶ σαφῶς εἰδὼς, ὅ, τι ποτὲ ἐστὶν ἡ σύγκρισις, ἐχρήσατο ἀδοκίμῳ φωνῇ. Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ Συγκρίνειν τόνδε τῷδε, καὶ Συνέκρινεν, ἡμάρτηται. Χρὴ οὖν ἀντεξετάζειν καὶ παραβάλλειν λέγειν.* Poterat etiam alia ex *Vitis* Plutarchi exempla sumere Phrynichus, vocabulorum *Σύγκρισις* et *Συγκρίνειν*. Ex locupletiori Phrynichi exemplo profectus esse videtur locus Lexici inediti Parisiensis, quem debeo RUHNKENIO meo: *Παραλλήλους μὲν βίους λέγομεν καὶ ἄνδρας παραλλήλους· οὐκέτι δὲ κατὰ ἄλλας πτώσεις, οἷον βίον παραλλήλων, ἢ, ἐν τοῖς παραλλήλοις βίοις· ἔτι δὲ ἧττον λεκτέον ἑνικῶς, παράλληλον βίον· οὐδὲν γάρ ἐστι ἄλλον. Μᾶλλον οὖν λεκτέον, (ὅτι) ἐν τοῖς βίοις τοῖς παρ' ἀλλήλους τεθεωρημένοις, ἢ τῶν ἀνδρῶν*

παρ-

τῶν παρ' ἀλλήλους ἐξητασμένων, Ἑλλάνικος τοῦτο ἱστορεῖ ἐν τοῖς κατ' ἄλληλα, οὐκ ἐν τοῖς κατ' ἀλλήλοις. Ἐν μέντοι γεωμετρίαις συνήθως ἤδη λέγεται παράλληλος εὐθεῖα, καὶ κύκλοι παράλληλοι. Ἐπισκέψασθαι δὲ χρὴ, εἰ τὸ ἐκ παραλλήλου εἴρηται ὑπό τινος τῶν δοκίμων· ἐγὼ γὰρ οὐκ οἶμαι. A Plutarcho, non ut a Grammatico et Rhetore, observatio Atticae dictionis exigenda erat! quando eam ipse non profitebatur. Sed de hoc, alius erit locus. Nunc satis est animadvertisse, Plutarchi libros ac dicendi formas frequentiam et auctoritatem habuisse haud vulgarem: si quidem Phrynichus eorum ad cavenda orationis vitia rationem habuit.

SAECUL. III.

Scriptores Christianos superioris Saeculi, Justinum Martyrem, Athenagoram, Tatianum, Irenaeum, Theophilum, Hermiam, non existimem scripta Plutarchi legisse. His aliquanto plus versati in humanioribus Literis ac doctiores, ut Ecclesiastici tamen, sine ratione critica aut philosophica, Clemens Alexandrinus ac Tertullianus quamquam Plutarchum nominatim, quod sciam, non memorant, eum tamen quibusdam locis ob oculos habuisse et secuti videntur. Clemens non fere nisi antiquiores nominat, aequales et proximos, omissis nominibus, in rem suam convertit. Stromatum appellationem haud facile, a Plutar-

 cheo-

cheorum Stromatum imitatione abesse, quis dicat.

DIOGENES LAERTIUS bis citat Plutarchum: e *Vita Sullae* IV, 4: e *Vita Alexandri* ut videtur IX, 60. Prior locus dubitationem habet, ac forte insititius est, ut quidem eruditissimo ROSSIO videtur Commentat. Laert. p. 57. Alius est locus ubi RUHNKENIUS nomen *Plutarchi* reponendum censet, I, 22, *de Thalete*, ubi nunc legitur nomen *Platonis*: nomina haec permutata frequenter librariis, alibi etiam restituit, ut infra monitum in loco de Suida et Etymol. M. Diogenem hoc videri sumsisse ex perdito libro in Lampriae Catalogo, Περὶ τῶν πρῶτον φιλοσοφησάντων, καὶ τῶν ἀπ' αὐτῶν. Sed de his uberius dicemus ad illos Plutarchi libros.

ATHENAEUS diserte locum ex Plutarcho profert, II, p. 52. D: Πλούταρχος δὲ ὁ Χαιρωνεὺς φησὶ παρὰ Δρούσῳ τῷ Τιβερίου Καίσαρος υἱῷ, ἰατρόν τινα ὑπερβάντα πάντας ἐν τῷ πίνειν, φωραθῆναι πρὸ τοῦ ποτοῦ προσθίοντα πικρὰς ἀμυγδάλας πέντε ἢ ἕξ κ. τ. λ. sumtum e *Symposiacis Quaestionibus*, p. 624, C. Ex eodem opere, item e *Vitis* aliquoties, omisso Plutarchi nomine, eum describit; quod suis locis notabimus.

AELIANUS Plutarchum nusquam nominat: tamen haud pauca capita ex illo vel transcripsit vel adumbravit. Hoc in variis historiis partim PERIZONIUS aliique interpretes notarunt. In opere de Natura Animalium haud minus sunt

sunt manifesta imitationis vestigia. Sed horum suo quidque Plutarcheo loco explicabimus.

DIO CASSIUS duos nominatim Plutarchi profert locos, Fragm. Peiresc. XXXVIII, ex *Vita Pyrrhi*, et CXXXIII, ex *Pompeii Vita*. Alia ejusdem Dionis Fragmenta octo, Peiresciana CXXI — CXXIV, Ursiniana CLXXXIII — CLXXXVI e Plutarchi *Sylla*, omisso nomine, descripta. Quae ut assentior REIMARO, perperam Dioni tributa esse, ita in aliis historiae partibus Dionem e Plutarcho profecisse, et ipsa res ostendit, nec REIMARUS negat.

ORIGENES Contra Celsum V, p. 521, qui ex Ecclesiasticis Scriptoribus, primus, quod sciam, Plutarchum nominat, libros ejus περὶ ψυχῆς memorat.

LONGINUS non quidem in iis quae supersunt ejus reliquiis Plutarchi mentionem fecit: at quin scripta ejus diligenter legerit dubitare nos non sinit, cum rationis et orationis similitudo, tum manifesta imitationis vestigia: quod et RUHNKENIUS animadvertit, et nos monuimus in censura editionis TOUPIANAE, Bibliothecae Criticae Volumine primo, Parte tertia.

PORPHYRIUS in opere De Abstinentia, nominatim Plutarchum laudans, longum adfert locum ex libris *De Solertia Animalium* et *De Carnium Esu*, III, 18—24: ex *Vita Lycurgi*, IV, 3, 4, 5: omisso auctoris nomine ejus disputationem in suam transfert ipsis fere verbis,

ex eodem *De Solertia Animalium* libro, De Abstinentia I, 4—6: e *Sapientum Convivio*, III, 27. Plutarchi vel laudes celebravit vel vitam memoriae prodidit; modo fides habenda sit Johanni Malalae, nosque eum recte intelligamus, Chronograph. l. III. in fine: Τὸν δὲ Πλούταρχον τὸν Χερονήσιον Πορφύριος ἐν τῇ Φιλοσόφῳ αὐτοῦ χρονογραφίᾳ ἐδόξασεν. Stupor hominis apparet in Χερονήσιον et χρονογραφίᾳ. Neque enim Χερονήσιος est Plutarchus, sed Χαιρωνεύς: nec χρονογραφία φιλόσοφος fuit Porphyrii liber, sed ἱστορία φιλόσοφος. At Porphyrii liber in Platone desiit, teste Eunapio, nisi magnae, certe majoris quam Malalas, auctoritatis: Prooem. p. 10: Τὴν φιλόσοφον ἱστορίαν καὶ τοὺς τῶν φιλοσόφων ἀνάγων (legendum ἀνδρῶν) βίους Πορφύριος καὶ Σωτίων ἀνελέξαντο· ἀλλ᾽ ὁ μὲν Πορφύριος, οὕτω συμβὰν, εἰς Πλάτωνα ἐτελεύτα καὶ τοὺς ἐκείνου χρόνους —. An igitur pro φιλοσόφῳ scribere debuit φιλολόγῳ Malalas? nam fuit liber Porphyrii alius φιλολόγου ἱστορίας. An potius ratio Malalae habenda est nulla? Vellem hunc locum attigisset L. HOLSTENIUS in egregia illa Dissertatione De Vita et Scriptis Porphyrii. Ἐδόξασε quidem rectius accipiatur pro *celebravit*, ut vertit CHILMEADIUS, quam, ut idem in nota tentavit, *ejusdem fuit ac Plutarchus opinionis.*

CAPITOLINUS in Vita M. Antonini Philosophi, cap. III: *Audivit et Sextum Chaeronensem, Plutarchi nepotem.*

ARNOBIUS Advers. Gentes IV, p. 144: *Chae-*

Chaeroneus Plutarchus nostrarum esse partium comprobatur, qui in Oetaeis verticibus Herculem post morborum comitialium ruinas dissolutum in cinerem prodidit. Haec, ut videtur, ex Vita Herculis sumta. v, p. 168: De Fauna seu Fatua idem narrans quod est apud Plutarchum in *Quaestionibus Rom.* p. 268, D, haec addit — *sicut suis scribit in Causalibus Putas*; quod postremum nomen verisimillima correctione in *Plutarchus* mutandum censet HERALDUS; licet dissentiente VOSSIO De Hist. Gr. III, p. 337.

SAECUL. IV.

EUSEBIUS in Praeparatione Evangelica unus omnium Ecclesiasticorum optime de bonis Literis meruit quod aliena quam sua prodere maluit. In his alienis, ut aliorum veterum Auctorum Graecorum, magnam partem perditorum, ita Plutarchi, sunt loci et longi et copiosi. Ex perditis operibus, quorum insignes servavit partes, sunt *Stromata*, I, 8: *De Plataeensibus Daedalis*, III, I, 2: *De Anima liber primus*, XI, 36. Ex reliquis sunt, *De Oraculorum Defectu*, V, 4, 5, 16, 17: *De Iside et Osiride*, V, 5: *De EI Inscriptione Delphica*, XI, II: *De Placitis Philosophorum*, XIV, 14, 16; XV, 23—61. Sed haec suis quaeque locis, cum Librorum, tum Fragmentorum, exhibebimus.

JULIANUS IMPERATOR, locum e

Vita Catonis Minoris Χαιρωνέως ἀνδρὸς auctoritate refert in Misopogone p. 358: *Cratetis Vitam* memorat in Oratione VI, p. 200, B: Μυθικὰ διηγήματα, Orat. VII, p. 227, A.

EUTROPIUS Hist. VIII, 12. Vide supra in Appuleio.

HIMERIUS Edit. Wernsdorfii. Ecloga VII, 4, p. 116, de filio ipse suo dicit, Οὗτός ἐστιν ἐκ Πλουτάρχου, δι' οὗ πάντας παιδεύετε· de eodem mortuo Orat. XXIII, 21, p. 800, Θρηνῶ νῦν ὃν δεινότερον ἤλπισα Μινουκιανοῦ φθέγξασθαι, σεμνότερον δὲ Νικαγόρου, Πλούταρχου δὲ εὐγλωττότερον, Μουσωνίου δὲ φιλοσοφώτερον, Σέξτου δὲ καρτερικώτερον. Priorem locum ita accipiam. *Plutarchi scripta publice et privatim ab Atheniensibus destinata frequentataque fuisse ad mores formandos et ingenia erudienda.* In posteriore forte aliquid turbatum est; et Sophista, quamvis non diligentissimi homo judicii, scripsisse videtur, εὐγλωττότερον δὲ Νικαγόρου, Πλουτάρχου δὲ σεμνότερον.

EUNAPIUS, dedita opera legisse videtur libros Plutarchi, cum alios tum *Vitas*, credo, ut eas in suo ipse opusculo imitaretur. Sed nil dissimilius utriusque scriptione, cum ad doctrinae tum ad ingenii laudem: saeculi etiam labes accedit haud minor in rerum delectu et judicio, quam in oratione. Et tamen Eunapius multum praeferendus plurimis illius aetatis Scriptoribus, qui multis spissisque voluminibus nil novi, nil scitu dignum producunt; quando parvulo libello vitas

et

et res complexus est haud paucas quas cognoscere et jucundum et operae pretium sit. Sic igitur Eunapius De Vitis Sophistarum, Prooem. p. 11, — Ἀμμώνιός τε ἦν ὁ ἐξ Αἰγύπτου, Πλουτάρχου τοῦ θειοτάτου γεγονὼς διδάσκαλος. Πλούταρχός τε αὐτὸς, ἡ φιλοσοφίας ἁπάσης ἀφροδίτη καὶ λύρα. Mox ibidem p. 12: Ὁ Θεσπέσιος Πλούταρχος τόν τε ἑαυτοῦ βίον ἀναγράφει τοῖς βιβλίοις ἐνδιασπαρμένως καὶ τὸν τοῦ διδασκάλου, καὶ ὅτι γε Ἀμμώνιος Ἀθήνησιν ἐτελεύτα· οὐ βίον προσειπών. Καί τοι γε τὸ κάλλιστον αὐτοῦ τῶν συγγραμμάτων εἰσὶν οἱ καλούμενοι Παράλληλοι Βίοι τῶν ἀρίστων κατὰ ἔργα καὶ πράξεις ἀνδρῶν· ἀλλὰ τὸν ἴδιον καὶ (τὸν) τοῦ διδασκάλου καθ' ἕκαστον τῶν βιβλίων ἐγκατέσπειρεν· ὥστε, εἴ τις ὀξυδερκοίη περὶ ταῦτα, καὶ ἀνιχνεύων κατὰ τὸ προσπίπτον καὶ φαινόμενον, σωφρόνως τὰ κατὰ μέρος ἀναλέγοιτο, δύνασθαι τὰ πλεῖστα τῶν βεβιωμένων αὐτοῖς εἰδέσθαι. Haec erat copia et facultas illo saeculo et forte proximis, non his recentioribus in plurimorum Plutarcheorum librorum jactura et interitu.

HIERONYMUS, Adversus Jovinianum Libro I, citat nonnulla ex Plutarchi *Praeceptis Conjugalibus*.

Mirum forte videatur nullam exstare Plutarchi mentionem in quibusdam hujus saeculi Scriptoribus, veluti Jamblicho, Themistio, Libanio. Atqui nec locus magnopere in horum scriptis erat mentioni, et parci sunt in laudandis nominandisque aliis auctoribus praesertim iis quorum recens

es-

esset memoria. Imitationis quidem indicia Plutarcheae haud nulla apparent.

SAECUL. V.

THEON Alexandrinus, Mathematicus, siquidem is est auctor Scholiorum in Aratum, subinde Plutarchi interpretationem adfert ad Διοσημείων versus, veluti 87, 96, 303, 312, 315, 319, 357. Plutarchi librum perditum, Αἰτίαι τῶν Ἀράτου Διοσημείων prodit Lamprias sive auctor Indicis Num. 117.

SCHOLIASTES NICANDRI, forte initio hujus Saeculi fuit, quandoquidem ejus meminit Stephanus Byzantinus: vid. Fabric. B. G. vol. II, p. 620. Scholiastes igitur ille, Plutarchi explicationem refert ad Theriaca, p. 31, 6, Edit. Ald. Hujus in Nicandrum Commentarius nominatur in illo Lampriae Indice Num. 118.

HESYCHIUS, hoc potius quam alio tempore ponendus, Plutarchum laudat in Vocibus Δωδεκαδώρῳ ἁμάξῃ, et Ληναιῶν: ex perdito, ut apparet, *Commentario in Hesiodum*, quandoquidem glossae referuntur ad Ἔργ. 420 et 502: quarum posterior iisdem fere verbis, Plutarchi nomine, laudatur a Proclo.

SYNESIUS quin Plutarchum legerit non est quod dubitemus, neque enim obscura sunt lectionis indicia. Nomen, quod sciam, non proditur nisi forte Epist. CXXXV, p. 272, C: αἱ δὲ Ἀθῆναι,

πάλ

πάλαι μὲν ἦν ἡ πόλις ἑστία σοφῶν· τὸ δὲ νῦν ἔχον, σεμνύνουσιν αὐτὰς οἱ μελιττουργοί· ταῦτ' ἄρα καὶ ἡ ξυνωρὶς τῶν σοφῶν Πλουταρχείων,-οἵ τινες οὐ τῇ Φήμῃ τῶν λόγων ἀγείρουσιν ἐν τοῖς θεάτροις τοὺς νέους, ἀλλὰ τοῖς ἐξ 'Υμηττοῦ σταμνίοις. Haec magis per jocum quam simpliciter dicta. *Plutarcheorum par sapientum* an sint discipuli Plutarchi Nestorii quod J. A. FABRICIUS, Proleg. ad Marin. Vit. Procl. p. 13, suspicatur, haud facile dicam. Eadem quis dicat verisimilitudine, significari *par Vitarum Parallelarum* quod per jocum accommodetur duobus vel philosophiae vel eloquentiae magistris. Sed res majoris est disputationis, quam quae huic loco congruat.

SERVIUS ad Aeneid. III, 14. Plutarchi dictum laudat, ex libro, *De Ratione qua poetae legendi a pueris.*

MACROBIUS totum librum VII. Saturnalium transtulit ex Plutarchi *Symposiacis Quaestionibus;* quamquam ejus non nisi semel nomen prodidit, capite 3.

CYRILLUS ALEXANDRINUS Adversus Julianum, I, p. 28, D; 'Οποῖαι τοίνυν αὐτῶν αἱ δόξαι γεγόνασιν — γεγράφασι δὲ περὶ τούτων Πλούταρχός τε καὶ ἕτεροι τῶν παρ' αὐτοῖς λογάδων —: significat *placita et opiniones Philosophorum.* II, p. 46, B: Πλούταρχος τοίνυν ἀνὴρ τῶν παρ' αὐτοῖς οὐκ ἄσημος γεγονὼς ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τῆς τῶν Φυσικῶν δογμάτων συναγωγῆς, οὕτω Φησὶ περὶ τοῦ Κόσμου — subjunguntur ejus libri quatuor priora ca-

capita. Ibidem p. 51, D: ἔφη γάρ που περὶ αὐτῶν ἰσχνὸς ὢν (f. ἰσχνῶς) ἄγαν ὁ Πλούταρχος ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ Φυσικῶν δογμάτων συναγωγῆς — sequitur locus ex I, 6. Porro ex libro *De EI apud Delphos*, VIII, p. 266, B: Πλούταρχος ἐν ἰδίῳ λόγῳ προσρητέον φησὶ τὸ θεῖον λέγοντας αὐτῷ "ΕΙ καὶ "ΕΝ' ἐπιφέρει δὲ τούτοις κ. τ. λ.: sequitur locus, quem pleniorem refert Eusebius Praep. Evang. XI, II: ex quo, ut videtur, sua sumsit Cyrillus.

THEODORETUS, Graec. Affect. Curatione, frequenter memorat Plutarchum, subinde etiam locos ejus refert. I, p. 466, D: φασὶ δὲ αὐτοὺς (Graecos philosophos) ἐν Αἰγύπτῳ, οὐ μόνον παρ' Αἰγυπτίων ἀλλὰ καὶ παρ' Ἑβραίων τὰ περὶ τοῦ ὄντως διδαχθῆναι Θεοῦ· καί ταῦτα διδάσκει μὲν Πλούταρχος ὁ Βοιώτιος —: locum Plutarchi nullum subjicit: credo, quia disertus de hac re nullus exstabat. Ibidem, p. 468, A, De Sacris ab Orpheo Athenas allatis, διδάσκει μὲν Πλούταρχος ὁ ἐκ Χαιρωνείας τῆς Βοιωτίας, locus item nullus apponitur. II, 489, D, De Platonis in Aegyptum peregrinatione, καὶ τοῦτο λέγει μὲν ἐν τοῖς Παραλλήλοις ὁ Πλούταρχος. Ibidem p. 500, A, C, Plutarchum in iis numerat, qui sacrum Evangelium audivissent ex eoque multa in libros suos transtulissent: locus communis a Patribus jactatus, in Plutarcho certe falsus: idem repetitus p. 505, C. Ibidem, p. 502, A, Πλούταρχος δὲ καὶ Ἀέτιος τὰς τῶν φιλοσόφων ἐκπαιδεύουσι δόξας. Ibidem, p. 504, A,

Πλού-

Πλούταρχος δὲ ὁ Χαιρωνεὺς περὶ τοῦ ΕΙ τοῦ ἐν Δελφοῖς γράφων οὕτως ἔφη — adduntur pauca Plutarchi verba. Eadem pag. D, de Atheis, ex *Placitis Philosophorum*, I, 7: quod repetitur mox III, 506, C. III, p. 510, B. primos Deos a Graecis, Phoenicibus et Aegyptiis habitos esse, Solem et Lunam — τοῦτο γὰρ δὴ καὶ ὁ Πλάτων καὶ ὁ Σικελιώτης Διόδωρος, καὶ ὁ Χαιρωνεὺς ἐδίδαξε Πλούταρχος. Ibidem, p. 515, C, Πλούταρχος δὲ ὁ Χαιρωνεὺς τὴν Γῆν προσηγόρευσεν Ἥραν· Λητὼ δὲ τὴν λήθην, ἢ τὴν νύκτα ἐν ᾗ οἷόν τινα λήθην ἡ διάνοια δέχεται. Eadem pagina et proxima locum profert ex libro *De Defectu Oraculorum*, quem pleniorem exhibet Eusebius Praep. Evang. V, 5. IV, p. 532, D: ἀναγνώτω μὲν Ἀετίου τὴν περὶ ἀρεσκόντων ξυναγωγήν, ἀναγνώτω δὲ Πλουτάρχου τὴν περὶ τῶν τοῖς φιλοσόφοις δοξάντων ἐπιτομήν. V. 545, B: ἐκ τῶν Πλουτάρχῳ, καὶ Πορφυρίῳ, καὶ μέντοι καὶ Ἀετίῳ ξυγγεγραμμένων ἐρῶ· subjicitur locus de Anima ex libro *De Placitis Philosophorum* quarto. VII, 589, B, de humanis victimis, καὶ Πλούταρχος δὲ ξυνῳδὰ τούτοις ἱςόρησε. X, p. 631, simpliciter in aliis qui de Oraculis scripserunt, numeratur. XI, p. 654, A, B, de reduce ex morte in vitam Antyllo, ex libris *de Anima* idem locus refertur, quem auctiorem prodidit Eusebius Praep. Evang. XI, 36. Denique omisso Plutarchi nomine subinde recensentur Philosophorum placita, ex perdito *Stromatum*, ut puto, opere, et libris *De Placitis Philosophorum*.

ISI-

ISIDORUS PELUSIOTA Lib. II; Epist. XLII: Πλουτάρχῳ δὲ δοκεῖ τὸ σαφὲς καὶ λεῖον, γνήσιον εἶναι ἀττικισμόν· οὕτω γάρ, φησιν, ἐλάλησαν οἱ ῥήτορες. RUHNKENIUS λεῖον mutandum censet in λιτόν: contra in Aristide Quinctil. De Musica II, p. 78, λείους in λιτοὺς, ut p. 88.

SYRIANUS in Commentario in Aristotelis Metaphysica, qui adhuc Latine tantum editus est ex interpretatione HIER. BARGOLINI Venetiis 1558, quarta forma. Syrianus igitur, reprehendens eorum opinionem qui universales rationes et ideas, easdem esse volunt, haec addit, p. 59, *neque Plutarchum, et Atticum, et Democritum, Platonicos in hoc ipso imitamur.* — Graeca sunt — ὅπουγε μηδὲ Πλούταρχον καὶ Ἀττικὸν καὶ Δημόκριτον, τοὺς Πλατωνικοὺς, κατ' αὐτὸ τοῦτο ζηλοῦμεν.

PROCLUS in Hypomnemate ad Hesiodi Opera, haud contemnendam nobis servavit partem Commentarii Plutarchei in eumdem Poetam, locos fere ad quadraginta, nec eos paucorum verborum, plerosque nominato Plutarcho, nonnullos eo omisso, ita tamen ut ratio et oratio facile auctorem prodat. Quamquam Procli Hypomnema non integrum ad nos venit, nec nisi excerpta ejus in Scholiis vulgatis exstant. Adeo bene nobiscum agitur si ex deperditis Veterum libris vel Excerptorum Excerpta nacti sumus. Ejusdem Procli in Timaeum Platonis Commentarii aliquot locis mentionem Plutarchi ejusque sententiae habent; veluti lib. I, p. 35: II, p. 84, 116, 126,

138;

138; III, 304. In Comment. ad Euclidem, l. II, p. 35. De quibus suo loco.

STEPHANUS BYZANTINUS. Voc. Ἀνδανία de Aristomene Messenio testis citatur cum Herodoto in re quae apud neutrum exstat. De Herodotea mentione, videndus P. WESSELINGIUS Diss. Herodot. p. 23. Plutarchea referatur ad *Vitam Aristomenis*, in Lampriae Indice memoratam. Voc. Κορώπη, in Commentatoribus Nicandri numeratur.

SAECUL. VI.

JOH. LAURENTIUS PHILADELPHENSIS LYDUS in libello *De Mensibus*, quem hoc anno edidit Cl. N. SCHOW, Plutarchum nominatim laudat p. 18, Πλούταρχος ἐν Συμποσίῳ, respiciens ad *Symposiac. Quaest.* IX, 6, de secundo Boëdromionis die sublato. P. 78, ὁ δὲ Χαιρωνεὺς Ἶσιν μὲν τὴν γῆν εἶναι βούλεται καὶ Ὄσιριν τὸν Νεῖλον, Τυφῶνα δὲ τὴν θάλατταν, εἰς ἣν ὁ Νεῖλος ἐμπίπτων ἀφανίζεται· sumtum hoc ex libro *De Iside et Osiride*.

SOPATER initio hujus saeculi ponendus cum FABRICIO Bibl. Gr. vol. IX, p. 423, in opere inscripto Ἐκλογαὶ Διάφοροι, recensito apud Photium cod. CLXI, multa ex Plutarcho retulerat Excerpta: ex *Vitis* quidem fere quae nunc supersunt, ex perditis etiam *Cratetis*, *Pindari*, *Daiphanti*, *Epaminondae:* ex *Moralibus* vero

iis quae proprie moralis, nec physici, sunt argumenti, et quae hodieque exstant excepto uno libello Περὶ Φύσεως καὶ πόνων, et forte altero, Περὶ Πλούτου. Singula notabimus in Animadversionibus ab suos quaeque libellos, tum vero in Narratione de Vita et scriptis Plutarchi. Sed ex hoc Sopatri opere nil servatum est.

JOH. STOBAEUS meliorem habuit fortunam, cujus in eodem genere opus Ἀνθολόγιον Ἐκλογῶν, Ἀποφθεγμάτων, Ὑποθηκῶν, si minus integrum, maximam tamen partem ad nos pervenit. Aetatem ejus, ut in re incerta, initio hujus saeculi, nec certe posterius ponendum censemus: quamquam prius etiam ponitur, aequalis Themistii, et Juliani, a FABRICIO Bibl. Graec. vol. VIII, p. 666. Locos multos, saepe etiam longos ex Plutarchi libris maxime *Moralibus* refert: subinde etiam nulla addita libri significatione: subinde etiam nomine Plutarchi a librariis omisso; quod, ut aliis locis ex meliorum codicum collationibus, quae apud me sunt, cognovi, ita aliis per conjecturam assecutus sum, veluti insigni illo fragmento ex libris *de Anima*, quod ad calcem libelli *De Sera Numinis Vindicta* edidi. Caeterum locos Stobaei, ex libris, qui supersunt, in Emendationibus jam adhibuimus, in Animadversionibus porro notabimus: eos qui ex perditis sunt libris exhibebimus in Fragmentis: utrorumque mentionem faciemus in Narratione de Vita et Scriptis Plutar-

tarchi. Interea speramus utriusque Stobaeani operis novas easque egregias editiones absolutum iri nobisque ad usum nostrum paratas fore, *Eclogarum* jam inchoatam a Cl. HEERENIO, *Sermonum* a Cl. SCHOWIO. Nunc satis habemus librorum perditorum, e quibus loci allati exstant, nomina notasse. Sunt igitur haec: *De Amicitia*, *Epistola De Amicitia*, *An rerum futurarum cognitio utilis sit*, *De Divinatione*, *Contra Voluptatem*, *Contra Divitias*, *Mulieres erudiendas esse*, *De Calumnia*, *De Tranquillitate*, *De Amore*, *Pro Pulchritudine*, *Contra Nobilitatem*. Omnino ad Plutarcheorum scriptorum cognitionem et emendationem, unus omnium fructuosissimus est Stobaeus, cum locorum relatorum copia et frequentia, tum librorum perditorum mentione.

DAMASCIUS apud Photium Cod. CCXLV, p. 1040: Τιβερίῳ ὄνος, ὥς Πλούταρχος ὁ Χαιρωνεὺς φησὶν, ἔτι μειρακίῳ ὄντι καὶ ἐν Ῥόδῳ ἐπὶ λόγοις ῥητορικοῖς διατρίβοντι τὴν βασιλείαν διὰ τοῦ αὑτοῦ παθήματος προεμήνυσεν.

SIMPLICIUS in Commentario in Epicteti Enchiridion. cap. XLV, p. 267: — λόγων δέ εἰσι κατὰ τὸ ἀληθὲς κοινωνίαι τε καὶ διατριβαί· ὡς δηλοῖ τὰ ὑπὸ Πλάτωνος, καὶ Ξενοφῶντος, καὶ Πλουτάρχου, καὶ ἄλλων ἱστορηθέντα συμπόσια. Cap. LXV, p. 306: καὶ ὅγε Χαιρωνεὺς Πλούταρχος βιβλίον ὅλον (περὶ) τῆς ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν ὠφελείας συντέθεικεν. In Commentariis in Aristotelem De Anima saepe Πλούταρχος laudatur: quo nomine non

hic noster, sed Nestorii filius significatur. In hoc Philosophorum ultimo proventu Simplicius doctrina, ratione, animi sensibus, magis ad Veterum, in primis Longini, quam aequalium similitudinem accedit.

OLYMPIODORUS, quem ab aliis ejusdem nominis Scriptoribus recte distinxit L. KUSTERUS ad Suidam Voc. Ὀλυμπιόδωρος, in Commentario in Platonis Phaedonem, haud contemnenda nobis servavit excerpta Plutarchea *Hypomnematum*, ut videtur, *in Phaedonem.* Duo sunt Capita. Alterum habet hanc inscriptionem: Κεφάλαιον τοῦ ἐκ τῶν ἀναμνήσεων λόγου: continet Quaestiones 212, nec eas tantum *de Reminiscentiis* ut inscriptio profitetur, sed de aliis etiam in Phaedone proditis argumentis: Quaestiones inde a vigesima secunda ad quinquagesimam septimam sunt Plutarchi, et titulum habent Ἐκ τῶν Χαιρωνέως: has, omissa tamen ultima, edidit J. A. FABRICIUS Bibl. Graec. vol. XII. p. 265. Alterum inscribitur Ἐπιχειρημάτων διαφόρων Συναγωγὴ, δεικνύντων ἀναμνήσεις εἶναι τὰς μαθήσεις, ἐκ τῶν τοῦ Χαιρωνέως Πλουτάρχου: continet Quaestiones 255 de compluribus locis Phaedonis, harum duodecim priores sunt *de Reminiscentiae* argumento ex Plutarcho. Totum hoc in Fragmentis prodemus.

Hucusque pertinuit veteris elegantiorisque doctrinae proventus: qui paulatim exaruit Justiniani imperio ac deinceps. Hic Atheniensem clausit scholam in qua floruerant Plutarchus Nestorii fi-

filius, Syrianus, Proclus, Marinus, Damascius, unde Simplicius, Olympiodorus aliique prodierant: philosophi expulsi: vexati per orbem Romanum avitae religionis cultores, ex quorum numero fere erant docti homines. Per trecentos annos stupor et barbaries omnia obtinuerunt. Ergo in hoc temporis spatio, plurimorum veterum librorum, in his etiam Plutarcheorum ponendus est interitus.

JOHANNES PHILOPONUS, in cujus et Simplicii aetate recte comparanda haud mediocris et difficultas, potius hoc quam sequente saeculo ponendus, in eodem Aristotelis interpretandi studio, minore tamen quam Simplicius ingenio doctrinaque versatus, ex Plutarcho, ut videtur nostro, memorat dictum, in Commentario ad Aristotelis Meteor. p. 82: quod in Fragmentis referemus. Aliis compluribus locis in Comment. ad Aristot. De Anima citat Plutarchum, sed Atheniensem, opinor, Nestorii filium, cujus in eundem librum exstabant Hypomnemata.

AGATHIAS in Anthologia Epigrammatum, v, 33, 8:

Σεῖο πολυκλήεντα τύπον στήσαντο, Χερωνεῦ
Πλούταρχε, κρατερῶν υἷες Αὐσονίων·
Ὅττι παραλλήλοισι βίοις Ἕλληνας ἀρίστους
Ῥώμης εὐπολέμοις ἥρμοσας ἐνναέταις.
Ἀλλὰ τεοῦ βιότοιο παράλληλον βίον ἄλλον
Οὐδὲ σύ γ᾽ ἂν γράψαις· οὐ γὰρ ὅμοιον ἔχεις.

SAECUL. VII.

THEOPHYLACTUS SIMOCATTA, Naturalium Quaestionum epilogo, in Auctoribus unde sua sumserit, laudat Plutarchum, τὸν τῆς ἐπιστήμης πλοῦτον τὸν Πλούταρχον. Sane aliquot sumtae sunt Quaestiones ex Plutarchi *Symposiacis*.

S. MAXIMUS in *Locis Communibus*, seu *Capitibus Theologicis et selectis locis ex diversis cum Christianorum tum Exterorum libris*, longe plurimam locorum partem collegit e Scriptoribus Sacris et Ecclesiasticis: locos Exterorum non eorum lectione ex ipsorum libris collegisse, sed e Stobaeo locupletiore quam nunc est et integriore sublegisse videtur. Ex Plutarcho complures sunt loci sed paucorum verborum et fere breves sententiae,

ANTONIUS MELISSA ut incertae homo aetatis, hic a nobis ponitur; cum ob argumenti similitudinem, quippe ejusdem materiae et rationis opus composuit ac S. Maximus; tum quod saeculi ingenio adducimur ut eum Joh. Damasceno priorem ponamus. Ex Plutarcho item habet complures locos eadem tenuitate. Fontem Exterorum eundem habuit Stobaeum, forte etiam S. Maximum.

Capta a Saracenis Alexandria anno 641, interiit illa celebratissimae famae bibliotheca: quo pa-

pacto, non quaerimus: certe interiit. Illud haud alienum sit quaerere, an Plutarchei et omnino Antiquorum libri multi interciderint illa calamitate; an tantam nobis attulerit jacturam, quantam vulgo putant, ut, nisi interiisset illa bibliotheca, libros ejus, certe eorum exempla, hodieque haberemus. Equidem haud credam. Ac primum quidem credibile est jam ante Saracenorum adventum multos antiquos ejus bibliothecae libros intercidisse describendi officio neglecto: magnam etiam partem librorum, qui tunc erant, fuisse novos et ecclesiasticos. Porro verisimile est, in illis qui tunc Alexandriae erant libris, aut paucos fuisse aut nullos quorum non item in Graecia essent exempla, quibus describendis ad recentiorum aetatem propagari potuissent. Socordia Graecorum, et contemtus bonarum Literarum multo plus valuerunt ad veterum librorum jacturam, quam omnes barbari; ut etiam si Saraceni vel non cepissent Alexandriam, vel omnes libros in Graeciam dimisissent, his nos haud magis frueremur.

SAECUL. VIII.

JOHANNES DAMASCENUS, memorandus aliena magis quam sua laude. In hujus Sacris Parallelis exstat indicium labentis vel exstincti potius veterum Literarum studii. Locos Communes Stobaeus ex solis Antiquis collegerat

rat Auctoribus: Maximus et Antonius ex Ecclesiasticis, adspersis tamen nonnullis Antiquorum quasi floribus: jam omissis Antiquis, solos Ecclesiasticos apponit JOHANNES DAMASCENUS. At in codice Florentino Parallelorum Sacrorum, appendix est quantivis pretii, a domino illius exempli ex integro, ut videtur, Stobaei opere collecta: in qua multi sunt adhuc ignoti veterum Auctorum loci, nonnulli Plutarchei, plurimi aliorum, quatuor etiam integra Musonii capita, quibus in elegantissima illa Disputatione *de Vita et Scriptis Musonii*, habita editaque Amstelodami anno 1783, usus est PETRUS NIEUWLANDIUS noster, heu modo noster! nam hoc ipso tempore, die Novembris 14, aetatis anno trigesimo, nobis repentino morbo ereptus est: quum in Academia Lugduno-Batava professionem Physices et Mathematum per unum annum ornasset. Ingens nobis luctus! ingens patriae jactura, obitus juvenis unius omnium excellentissimi; cui ingenio par fuit nemo; doctrina, morum probitate, animi candore, paucissimi.

GEORGIUS SYNCELLUS Chronographiae ad Ann. Chr. 109: Πλούταρχος Χαιρωνεὺς φιλόσοφος ἐπιτροπεύειν Ἑλλάδος ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος κατεστάθη γηραιός. Ad Ann. Chr. 37: de morte Julii Cani narrans addit, ταῦτα Πλούταρχος ὁ Χαιρωνεὺς ἱστορεῖ. De C. Julio Caesare, edit. Paris.

p.

p. 299, ὡς ἱστορεῖ Πλούταρχος ὁ Χερονεὺς φιλόσοφος.

JOHANNES MALALA, Chronographiae libr. II. in fine: οὕστινας μεμφόμενος ὁ Χερονήσιος Πλούταρχος, ἡ παλαιὰ φιλοσοφία (forte cum interprete legendum ἐν τῇ παλαιᾷ φιλοσοφίᾳ) παρ' Ἕλλησιν καὶ βαρβάροις ἐξέθετο, ὡς πλάνην ἀγαλμάτων τινὲς εἰσάγουσιν· αὐτὸς δέ φησι κ. τ. λ. — locum in Fragmentis exhibebimus. Subjungit denique, Τὸν δὲ Πλούταρχον τὸν Χερονήσιον Πορφύριος ἐν φιλοσόφῳ αὐτοῦ Χρονογραφίᾳ ἐδόξασε: de quo supra in saeculo III, diximus. Priora quidem sive a Theodoreto De Graec. Affect. III, p. 510, B, sive undecumque habuit inficetus homo, certe Plutarchi sunt ex deperdito ut videtur libro.

SAECUL. IX.

PHOTIUS in egregio *Bibliothecae* opere, quo multorum, hodie etiam perditorum, librorum censuram agit et argumenta excerptaque prodit, Plutarchi *Moralia* non nisi ex Sopatro memorat, nec peculiarem iis locum dat: *Vitas* recenset quasdam, ex iisque excerpta edit Cod. CCXLV. Ἀνεγνώσθησαν ἐκ τῶν Πλουτάρχου παραλλήλων διάφοροι λόγοι· ὧν ἡ ἔκδοσις κατὰ σύνοψιν ἐκλέγεται διάφορον χρηστομαθίαν. *Vitae* sunt *Dionis*, *Bruti*, *Aemilii*, *Demosthenis*, *Ciceronis*, *Phocionis*, *Catonis*, *Alexandri*, *Caesaris*, *Eumenis*, *Sertorii*, *Demetrii*, *Antonii*, *Pyrrhi*,

 Mar-

Marii, *Arati*, *Artaxerxis*, *Agidis*, *Flaminii*. Porro liber *De Vitis X. Oratorum*, qui inter Plutarcheos fertur, tamquam ab ipso Photio scriptus exstat Cod. CCLIX, et proximis: de quo suo videbimus loco. *Moralia* illa aetate multa, ut item *Vitae* multae, jam intercidisse, ad eam tamen quae hodieque est paucitatem nondum rediisse videntur. Hoc, et proximo saeculo, inde a Basilio Macedone, sub quo Photius fuit, ac deinceps imperantibus Leone V. et Constantino Porphyrogenneto II. ab anno fere 860 ad 960, fuit quaedam veterum Literarum recreatio. Utinam libros tunc superstites nunc etiam haberemus: aut saltem Photio placuisset, omissis Ecclesiasticis, non nisi Veteres hac in Bibliotheca recensere.

SAECUL. X.

GEOPONICA, id est Praecepta de Re Rustica, ex priorum de hoc argumento Scriptorum libris excerpta, et Constantino Porphyrogenneto dicata, a Cassiano Basso, XIII, 9. Plutarchi locum, de remedio adversus Scorpios, laudant, nullo diserte nominato libro, et ut videtur, ex deperdito. XV, 1, περὶ Συμπαθειῶν Plutarchus citatur *Sympos. Quaest.* II, 7: sed pleraque alia in illo capite Geoponicorum sumta sunt ex aliis Plutarchi libris.

EPITOMAE PLUTARCHEAE, id est sum-

summae et argumenta librorum Plutarchi, qualia hodieque sunt tria certe in *Moralium* Volumine: Primum deperditi libri *De Comparatione Aristophanis et Menandri*, alterum superstitis *De Animi Procreatione secundum Platonis Timaeum*: tertium item perditi, Ὅτι παραδοξότερα οἱ Στωϊκοὶ τῶν ποιητῶν λέγουσι: hae igitur Epitomae factae videantur sub eodem Constantino Porphyrogenneto, cujus saeculi illa in primis fuit consuetudo. Quodsi vero hoc saeculo jam multi Plutarchei libri interciderant, quod sane verisimile est; quodsi etiam Epitomae fuerunt omnium librorum in Lampriae Catalogo nominatorum, ut supra JOHANNE RHOSO auctore monuimus; earum confectio haud procul ab aevo Justiniani ponenda sit.

CODEX VITARUM Florentiae, apud Monachos S. Mariae servatus, scriptus saeculo nono vel decimo, judice quidem MONTFAUCONIO, Diario Italico, p. 366.

SCHOLIA in Veteres Auctores, pleraque certe ante Suidam compilata ex antiquis Grammaticis, serius quidem non ponenda, hoc uno loco a nobis conjunguntur anonyma.

Schol. Homer. Il. δ, 625: Πλούταρχος ἐν Μελέταις Ὁμηρικαῖς: idem est in Schol. Venet. VILLOISONI, et Etymol. M. in Ἀνεμοτρεφὲς κῦμα. Porro Schol. Lips. Il. ε, 352.

Schol. Hesiod. Vide supra in *Proclus* et infra in *Tzetzes*, et *Moschopulus*.

Schol.

Schol. Euripid. Hippol. 11. de Theseo, plenius est ap. Tzetzem ad Lycophr. 494. Idem ad Alcest. 1150, Πλούταρχος ἐν ταῖς Ὁμηρικαῖς Μελέταις.

Schol. Thucydid. Additament. Edit. Duker. p. 613. ad lib. 1, 86, init. Ταύτης τῆς δημηγορίας μέμνηται Πλούταρχος ἐν τοῖς Πολιτικοῖς Παραγγέλμασι: quod repetitur p. 632, ad lib. 11, 60: et p. 634, ad 11, 72.

Schol. Aristoph. ex *Vita Solonis*, ad Nub 447, 1191, Equit. 1113. Περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, ad Nub. 1181.

Schol. Aphthon. in Rhetorib. Ald. p. 5. fin. Dictum Demetrii ad Mithridatem refertur: ὁ Πλούταρχος ἐν τοῖς Παραλλήλοις ἱστόρησεν: est in *Vita Demetrii.*

SUIDAS quisquis fuit, non seriore aetate habendus: materiam ab antiquioribus sumsit: neque igitur suspicandum, libros nunc perditos, si quorum loci adferuntur a Suida, ipsius aetate adhuc superfuisse. De Plutarcho exstat historica mentio: Πλούταρχος, Χαιρωνεύς, τῆς Βοιωτίας, γεγονὼς ἐπὶ τῶν Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος χρόνων, καὶ ἔτι πρόσθεν· μεταδοὺς δὲ αὐτῷ Τραϊανὸς τῆς τῶν Ὑπάτων ἀξίας, προσέταξε μηδένα τῶν κατὰ τὴν Ἰλλυρίδα ἀρχόντων παρὲξ τῆς αὐτοῦ γνώμης τι διαπράττεσθαι· ἔγραψε δὲ πολλά. Auctoritas ejus citatur compluribus in locis. Ἀνανεοῦσθαι, ὡς ἡμεῖς· Θουκυδίδης ε' καὶ Πλούταρχος· Κρατῖνος: ubi ad librorum scriptorum ductum

rec

recte corrigit VALKENARIUS Diatrib. Eurip. p. 214, καὶ Πλούτοις Κρατῖνος. Ἦν δ' ἐγώ· ἔφην δὲ ἐγώ· παρὰ Πλουτάρχῳ καὶ Ἀριστοφάνει: ubi corrigendum esse παρὰ Πλάτωνι, monuit me RUHNKENIUS. Comici locus est apud Suidam Voce Σκίταλος, qui sua sumsit ex Scholiis ad Equit. 631. Δόγματα, de Platonis apud Aegyptios peregrinatione, addit, ὡς Πλούταρχος ἐν τοῖς Παραλλήλοις φησίν: compilatum ex Theodoreto, De Cur. Graec. Affect. II, p. 489, D. Ἴόρτιος, Maecenatis adulator: de hoc apponitur Plutarchi locus, forte ex *Vita Augusti*: KUSTERUS notat, *haec leguntur etiam supra in* Ἐγγώνιος: atqui haec vox non exstat suo loco, sed p. 675. Κάλλιππος, est ex *Vita Dionis*. Ὠβὰς ex *Vita Lycurgi*. Μαικήνας, idem quod in Ἰόρτιος, sed brevius: addito, καὶ ἔστιν ἐν τῷ Ἐγγώνιος τράπεζα. Σικχός· σκώπτης· ἢ ὁ ἀνόρεκτος καὶ ἀσθενής. Πλούταρχος — ejus verba adduntur, quae exstant in libro *De capienda ex hostibus utilitate*, p. 87, B. Σύλλας, ὄνομα κυρίον — et Σύλλας ὁ Ὕπατος, uterque locus depromtus est ex *Vita Syllae*, posterior sine Plutarchi nomine. Τοῦ σελίνου δεῖται — ex *Vita Timoleontis*. Ὑπερκύπτω, αἰτιατικῇ — καὶ ὁ Πλούταρχος: verbum hoc in Plutarcho legere me non memini.

ETYMOLOGICUM MAGNUM, eadem probabilitate qua Suidas, in hanc aetatem refertur. Voce Ἀνεμοστρεφὲς κῦμα interpretatio apponitur, addito ὥς φησι Πλούταρχος ἐν μελέτῃ

Ὁμή-

Ὁμήρου: qui locus item exstat ap. Schol. Homer. Il. δ, 625. Ἄψ — Πλούταρχος δὲ ἀπὸ τοῦ ὄπισω τὸ Ἄψ λέγει εἶναι, τοῦ ὁ εἰς τὸ ά τραπέντος, καὶ τοῦ π' εἰς ψ'· τοῦτο δὲ βίαιον· non exstat in Plutarchi libris. Σεισάχθεια — Πλούταρχος ἐν Σόλωνι. Σόλοι ἡ ἐν Κύπρῳ πόλις. Πλούταρχος ἐν Σόλωνι κ. τ. λ. Συκοφαντία — Πλούταρχος ἐν Σόλωνι. Οὐκ ἂν οὖν τις ἡγήσαιτο — κληθῆναι συκοφάντας: locus est p. 91, E. Alius locus Plutarcho vindicandus in Ἀναζυγοῦν — Πλάτων Εὐμενίσιν, Εὐθὺς ἀναζυγῆς γενομένης: at codex scriptus DORVILLII, a VALCKENARIO inspectus, habet Πλοῦτ' εὐμ. ex quo verissime RUHNKENIUS correxit Πλούταρχος Ευμένει: est enim locus Plutarchi in *Vita Eumenis*, p. 595, A. Haec ex VALCKENARII Annot. ad. Theocriti Adoniazus. p. 335.

S A E C U L. XI.

JOHANNES EUCHAITA, qui medio hoc saeculo fuit: vid. J. A. FABRIC. Bibl. Gr. vol. VII, p. 718, et CAVEUS Hist. Lit. Eccl. vol. II, p. 139. ap. FABRIC. ibid. vol. III, p. 331:

Εἴπερ τινὰς βούλοιο τῶν ἀλλοτρίων
Τῆς σῆς ἀπειλῆς ἐξελέσθαι, Χριστέ μου,
Πλάτωνα καὶ Πλούταρχον ἐξέλοιό μοι.
Ἄμφω γάρ εἰσι καὶ τὸν λόγον καὶ τὸν τρόπον

Τοῖς σοῖς νόμοις ἔγγιστα προσπεφυκότες·
Εἰ δ' ἀγνόησαν ὡς Θεὸς σὺ τῶν ὅλων,
Ἐνταῦθα τῆς σῆς χρηστότητος δεῖ μόνον,
Δι' ἣν ἅπαντας δωρεὰν σώζειν θέλεις.

EUDOCIA in Violeto p. 361. de Plutarcho locum Suidae repetit, ultimis ejus verbis *ἔγραψε δὲ πολλὰ*, haec addens *ὧν τὰ πλείω οὐχ εὑρίσκεται*, *quorum major pars non invenitur*, *non apparet*. Digna est, quae animadvertatur, notula. Intelligitur, libros hodieque perditos, jam tunc desideratos fuisse; sane posteriores, quod sciam, de nullo illorum ut servato mentionem faciunt. Deinde apparet, Eudociam habuisse *πίνακα* seu Indicem librorum Plutarcheorum, vel Epitomas, unde perditorum nomina cognosceret. Nec vero intervallo temporis eo quod fuit inter Suidam et Eudociam libros illos intercidisse dicam. Suidas locum de Plutarcho non ipse Auctor scripsit, sed ex antiquiore descripsit. Plurimi libri interierunt ab anno 560 ad 860: postea, licet redeunte subinde Veterum Literarum studio, deinceps alii etiam interciderunt; sive quod laterent et fugerent quaerentium diligentiam: sive quod eorum Epitomae adessent, et in tanta describendorum librorum multitudine non omnium descriptio necessaria existimaretur.

MICHAEL PSELLUS *Διδασκαλία Παντοδαπῇ*, quam edidit J. A. FABRICIUS Bibl. Gr. vol. v, fine, non solum inscriptiones capitum

tum plurimorum ex libro *De Placitis Philosophorum* secutus est, sed ipsam materiam ac verba ex Plutarcho sumsit, in primis ex *Quaestionibus Naturalibus* et *Symposiacis*. In libris ineditis memoratur a LEONE ALLATIO apud FABRIC. II, p. 39. *Ecloga utilis ex libro Parallelorum:* quod utrum de Plutarcheis *Vitis* an de *Sacris Parallelis* Johannis Damasceni accipiendum, non liquet.

XIPHILINUS Epitom. Dionis Cas. libri XLIV, affirmat Plutarchum verius ac liberius de C. Julii Caesaris nece scripsisse quam Dionem: p. 157. ed. Sylb. Οἱ περὶ τὸν Βροῦτον τὸν Μάρκον, καὶ τὸν Κάσσιον τὸν Γαΐον ἐπεβούλευσαν αὐτῷ καὶ ἀπέκτειναν, ὡς μὲν ὁ συγγραφεὺς λέγει δι' ἀλιτηριώδη τινὰ οἶστρον· τοὺς Καίσαρας δεδιὼς που, καθάπερ εἰκὸς συγκλητικὸν ὄντα καὶ οὐ τῶν ἀφανῶν, οὐδὲ ἱστορίαν ἀφανῆ συντιθέντα· ὡς δὲ τὸ ἀληθὲς ἔχει καὶ Πλούταρχος ἐν τοῖς Παραλλήλοις διδάσκει, διὰ φρονήματος ἀξίωμα φιλελεύθερον, καὶ προαιρέσεως εὐγένειαν ἥκιστα ἐθελόδουλον. Aliis etiam locis Plutarchum sequi videtur. Verba de Sexto Plutarchi Nepote, in M. Antonino, p. 363, Σέξτῳ προσίεναι τῷ ἐκ Βοιωτῶν φιλοσόφῳ: intelligenda ex iis quae supra notavimus in *Appuleo.*

SAECUL. XII.

ZONARAS, in *Chronicorum* libris, *Vitas* Plutarchi frequenter describit.

EUSTRATIUS in Commentario ad Aristotelis Ethica Nicomach. vid. FABRIC. Bibl. Gr. vol. II, p. 151. Huic debemus emendationem loci Plutarchei initio libri *De Iside et Osiride*, quem locum integriorem quam adhuc in libris nostris erat, servavit Eustratius ad Aristot. Ethic. lib. VI.

NICEPHORUS BASILACA in *Excerptis Rhetorum et Sophistarum Leonis Allatii*, *Romae* 1641, 8. Διήγημα γ'. ὃ καὶ Πλούταρχος ἐν τοῖς Παραλλήλοις διηγεῖται. Non est in Parallelis, sed in libro *De Virtutibus Mulierum*, caput postremum, *Moral.* p. 262.

GLYCAS Annalium ed. Venet. p. 145, A, de fascino agens, memorat Eutelidem ex Plutarchi *Sympos. Quaest.* V, 7. Ibid. p. 101, E, sunt ex *Placitis Philosophorum*, I, 6.

JOHANNES TZETZES, frequens ille quidem in memorando Plutarcho, nec tamen ut multum adferat momenti. In *Scholiis ad Hesiodum* Proclo non paucos Plutarcheos sublegit locos, quosdam etiam pleniores habet; est quoque ubi in eadem interpretatione nomen Plutarchi ipse habeat, Proclus non item. Nec hoc eo valet, ut Tzetzem adhuc integrum Plutarchi Commentarium

habuisse existimemus. Quidquid ejus hoc saeculo exstabat, id in Procli Commentario exstabat, nec ipso forte adhuc integro. Unde etsi multa in suam rem abstulit Tzetzes homo multae quidem lectionis, sed vanus et jactator, mirifice tamen Proclum contemnit. Nunc ex Proclo non nisi excerpta habemus: at plena illa locorum Plutarcheorum, ad quos indagandos, utilis est comparatio Tzetzis, quandoquidem eorum plurimis nomen Plutarchi non est additum. Sed haec in Fragmentis tractabimus. In *Chiliadibus* Historias a Veteribus proditas refert suo more, id est jejune, additis tamen auctorum nominibus; non item libris notatis. Hist. 1, de Croeso est ex *Vita Solonis*. Hist. 29, de Antisthenis Sybaritae veste quam a Carthaginiensibus emisse dicebatur Dionysius, addit ἃ Πλούταρχος, οἶμαι, γράφει· at nil tale in Plutarcho. Hist. 32, de Xerxe, ex *Vita Themistoclis*. Hist. 33, de Cleopatra, ex *Vita Antonii*. Hist. 70, de utroque *Catone* scribit Plutarchus. Hist. 93, de Lacedaemoniis, ex *Vita Lycurgi*. Hist. 111, de Diebus, ex *Vita Camilli*. Hist. 129, de Xanthippi cane, ex *Vita Themistoclis*. Hist. 137, de Heliadibus et Eridano, non est in Plutarcho: quaeremus de hac re in Fragmentis. Hist. Nov. 9, de Solone et Anacharside, ex *Vita Solonis*. Hist. 59, de Vindicio et filiis Bruti, ex *Vita Publicolae*. Hist. 71, ex *Vita Camilli*. Hist. 11, Sirenes fuisse meretrices, Πλούταρχος ὁ νεώτερος λέγει, in eadem re eundem auctorem

rem laudat Isaacius Tzetzes ad Lycophron. 653: huic locus erit quaestioni in Narratione De Vita et Scriptis Plutarchi.

Scholia ad Lycophronem; quae revera ipsius sunt Johannis; nomine, fratris ejus Isaacii; ad vers. 494, ex *Thesei Vita*, plenius ea referunt quae paucis significantur apud Schol. Eurip. Hippol. 11. Ad vers. 921, de serva Trojana, nomine Roma, e *Vita Romuli* in principio, et libro *De Mulierum Virtutibus*, p. 243, E. Ad vers. 934, Quirinum eundem esse Romanis ac Martem, ex *Vita Romuli*, p. 36, B. Ad vers. 1133, de Abantibus, et de consuetudine comae Delphis consecrandae, ex *Vita Thesei*, p. 2 et 3. Ad vers. 1200, de Insulis Beatorum, ex *Vita Sertorii*, p. 571 et 572. Ad vers. 1324, de Thesei amicitia cum Lycomede in Scyro insula, ex *Vita Thesei*, p. 16.

EUSTATHIUS, haud minoris scientiae, et rectioris judicii homo, Plutarchi locos paucis quidem ipsius verbis, sed frequenter tamen, significat ita ut de sanitate aut corruptela vulgatae editionis conjectura fieri possit. Saniora integrioraque exempla, quam hodieque sunt, forte habuit; libros, nunc perditos, nullos habuit. Ὁμηρικὰς μελέτας Plutarchi non memorat: quas si habuisset, saepissime profecto eas citasset. Librum *De Fluminibus* et *Proverbia*, laudat nomine Plutarchi. *Symposiacos* libros, crebrius fere quam alios, ad partes vocat, eorumque aliquanto

probius exemplum, quam vulgata nostra sunt, habuisse videtur: veluti IX, p. 733, E, ita legit ut emendavimus ex optimo codice Palatino. Haec dicta sunt de Commentario ad Homerum. Nam in Commentario ad Dionysium Periegetem, non nisi bis exstat Plutarchi mentio: ad vers. 285, de Germanis ex *Vita Marii*, p. 411, C: ad vers. 775, de Sinope urbe, ex *Vita Luculli*, p. 507, A. Sed Eustathii testimonia suo quodque loco vel in Annotatione Emendationum jam adhibuimus Plutarcho, vel adhibebimus in Animadversionibus.

Incertorum Auctorum et incertae scripta medita aetatis, hoc tamen potius quam alio in saeculo ponenda censeo. *Anonymus de Incredibilibus* ab Allatio editus in Excerptis Rhetor. et repetitus a Galeo in Opusculis Phys. et Mythol. caput octavum de Chimaera ex Plutarchi libro *De Virtutibus Mulierum* sumtum esse, ipse profitetur. *Collectio Locorum ex S. S. Patribus et aliis Scriptoribus* inter quos etiam Plutarchus numeratur: apud MONTFAUCONUM Bibl. Coislin. p. 413, 414, videtur compilata esse ex Maximo et Antonio; nam ego librum ipsum non habui. Proxima opuscula ipse habeo. Ἀπομνημονεύματα ἐκ διαφόρων ποιητῶν τε καὶ ῥητόρων, ἔκ τε τῶν θύραθεν καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς ἱερᾶς Φιλοθέου παιδείας ἑκάστῃ τῶν προκειμένων ὑποθέσεων οἰκείως καὶ ἁρμοζόντως ἔχοντα· continet aliquot Plutarchi locos: GRONOVIUS, ex cujus auctione emi, descripsit ex codice quodam Florentino. Γνῶμαι

Σε-

Σοφῶν, in Bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae, sunt ex eodem genere. *Cento Florentinus*, est oratiuncula de Regis officio, compilata ex Plutarchi *Apophthegmatibus* aliisque cum ipsius, tum aliorum scriptis etiam Christianorum: exstat in Bibliotheca Medicea, pluteo 70, numero 1: apographum habeo GRONOVIANUM. Aliae ejusdem generis et materiae videntur fuisse scriptiunculae. Hujusmodi certe est illa, quam Johannes Sarisberiensis frequenter laudat et exscriptos ex ea locos profert, *Plutarchi Institutio ad Trajanum Caesarem*: de qua nunc dicendum.

Nam ut rara erat ac tenuis apud Graecos veterum Literarum cognitio, ita rarior etiam et fere nulla apud Latinos. Quo magis miraculi instar habendus est JOHANNES SARISBERIENSIS, qui illo et tempore et loco, id est trecentis ante Petrarchamannis, nec in Italia, sed apud Anglos et Normannos, eam doctrinae et orationis elegantiam protulit, quae non quidem accurata ac sincera, sed tamen apud omnes Occidentis populos inde a sexcentis annis ignota et inaudita esset. Graecarum Literarum et Linguae ignarus, ut videtur, res ac doctrinam e Romanis Auctoribus delibavit, aut e rivulis etiam lutulentis librorum quorumcumque e Graecis male Latine redditorum. In ejus Policratico frequenter memoratur Plutarchi *Institutio Trajani*, cui praemissa *Epistola ad Trajanum* tota apponitur libri V, capite I: tum per totum librum V et VI, item VIII

aliquoties, locos ex illa *Institutione* vel exscribit, vel admixtis suis additamentis refert, et omnino illius ordinem praeceptorum sequitur. Haec in Fragmentis exhibebimus. Nunc illud monuisse satis sit, librum illum ab incerto homine Latinum fuisse factum e Graeco: Graecum fuisse consarcinatum e Plutarcheis *Apophthegmatibus* et aliis Plutarchi libris; nam Latina quamvis inficeta interpretatio, tamen habet rerum satis certa indicia quae Plutarchum prodant: ex his igitur laciniis aliquis posterior Graeculus istam *regiam Institutionem Trajani*, sub nomine Plutarchi, composuit. Similis est et ejusdem, ut ita dicam, farinae is, quem modo significavimus, *Cento Florentinus* a nobis appellatus. Aliis locis alii aliunde libri memorantur: veluti IV, 8, *De magistratuum moderatione librum fertur scripsisse Plutarchus, qui inscribitur Archigrammaton, et magistratum suae urbis ad patientiam et justitiae cultum verbis instituisse dicitur et exemplis:* de quo libro quidquid inaudiverat Sarisberiensis, videtur significari is qui nunc exstat et *Reipublicae gerendae praecepta* inscribitur: proxima illius loci sunt ex Gellio, I, 26. Porro Policrat. VIII, 10, ubi Plutarchus nominatur, sumtum ex Macrobio Sat. VII, 3, cujus etiam alii loci e Plutarcho, omisso nomine, exscripti, denuo exscribuntur e Macrobio a Sarisberiensi. Denique IV, 5, illud ex Aristotele et Plutarcho *de palma*, sumtum est e Gellio III, 6.

CO-

CODICES aliquot, quorum lectionibus usi sumus, hoc saeculo scripti censentur: Parisini D et F membranacei, eadem literarum forma qua Moscuenses 1 et 2, quorum prior saeculo XI vel XII, posterior XII, ponitur a MATTHAEO Viro Cl. in Praefatione ad Plutarchi libellos *De Vitioso Pudore* et *De Fortuna.* Ejusdem aetatis habetur codex Paris. num. 1678: et habendi sunt codices *Vitarum* et *Moralium* Florentini, quorum collatio e GRONOVIANIS schedis ad me pervenit. Codices duo Vindobonenses, ap. LAMBECIUM edit. Kollarii t. VII, p. 257. Num. LXXII, continens *Symposiacas Quaestiones*, mirificis laudibus fertur a LAMBECIO, quibus hunc codicem laudibus indignum esse, mihi scripsit Vir doctissimus ALOYSIUS L. Baro de Locella, qui eum multis locis inspexit, ejusque excerpta et notitiam mecum communicavit: eum tamen hoc saeculo censens. Alter est num. LXXIII, in quo sunt *Moralia* complura. Caeterum codices hic memorati sunt membranacei.

SAECUL. XIII.

Capta sub initium hujus saeculi Constantinopolis et Graecia a Latinis: quae calamitas plurium etiam bonorum librorum jacturam attulit. Veterum Literarum periti homines feruntur nulli. Recuperato a Graecis imperio, Literarum studia

paululum recreari coeperunt. Sub finem saeculi scriptus est in Graecia

CODEX membranaceus *Vitarum* et *Moralium* Plutarchi, anno 1296; qui in Parisiensi Bibliotheca servatus notatur numero 1671, a nobis litera A significatur. In quo describendo, et omnino in Plutarcho emendando, aliquid operae collocatum fuisse a Maximo Planude, non abhorret a verisimilitudine: quandoquidem eadem, quae reliqua scripsit, manus hanc notulam adjecit in *Consolatione ad Apollonium*, p. 113, D, Εἰ δὴ ὁ τῆς ζωῆς κ. τ. λ. adscripta in margine est correctio haec, Οὕτως οἶμαι δεῖν γράφεσθαι, Εἰ δὲ ὁ τῆς ζωῆς κ. τ. λ. nec enim necesse est totum exscribere locum. Eadem verba exstant in codicibus Veneto et Vossiano, qui ex XV sunt saeculo: sed in codice Parisino E, qui haud multo post codicem A scriptus est, additur nomen et auctoritas Maximi Planudis, ita — καλῶς Μάξιμος ὁ Πλανούδης οὕτως οἴεται δεῖν γράφεσθαι, Εἰ δὲ ὁ τῆς ζωῆς κ. τ. λ.

SAECUL. XIV.

THEODORUS METOCHITA, in opere perdocto, *Capitum Miscellaneorum ex Historia et Philosophia*, capitis 7 argumentum et inscriptionem fecit περὶ Πλουτάρχου. Consulendus est FABRICIUS Bibl. Graec. vol. IX. p. 2 8.

THOMAS MAGISTER in Eclogis Attica-

carum Vocum, compluribus in locis adfert Plutarchi dictiones, ex iis quidem libris quos hodieque habemus.

MACARIUS CHRYSOCEPHALAS, cujus notitiam debemus VILLOISONO in Anecdotis Graecis, t. II, librum confecit Ῥοδωνιὰν inscriptum, id est, *Rosetum* sive *Florilegium*, e complurium scriptis veterum Auctorum collectum. In his est Plutarchus: cujus loci item sunt ex libris iis qui ad nos pervenerunt, ac significantur p. 9. Varias earum lectiones in apparatu meo habeo, et in Annotatione Emendationum aliquoties memoravi.

NICEPHORUS GREGORAS in Hist. Byzant. Scriptor. ed. Venet. p. 15, de Teutonum origine Plutarchum laudat auctorem, respiceins ad *Marii Vitam*. Ibidem, p. 50, de *Numa* ex Plutarcho refert.

CODICES Plutarchei hoc saeculo scripti videntur complures. Codex membranaceus Parisiensis num. 1672, quem litera E significamus: praestantissimus ille, ex codice quidem A exscriptus, quippe *Vitas* et *Moralia* eodem ordine, numero, item forma maxima, continens: sed ita exscriptus, ut vetustiora adhiberentur exempla; unde et lacunae complures expletae et lectiones receptae meliores multae. Codex *Moralium* ejusdem Bibliothecae, C a nobis notatus, num. 1955: et H, num. 1680. Codices Romani *Moralium* et *Vitarum*, Vaticanus num.

Palatinus num. 248; ex quibus varias lectiones *Quaestionibus Symposiacis* adhibuimus. Item Codices *Vitarum*, num. 1673 et 1674. Porro Florentini *Vitarum* et *Moralium*, Medicei et Monasterii S. Mariae, apud MONTFAUCONUM Bibliotheca Bibliothecarum p. 375, et Diario Italico p. 367.

FRANCISCUS PETRARCHA bonarum Literarum in Italia instaurator, ex Plutarcho quaedam prodit, quae in libris, quos nunc habemus, non exstant. Veluti, in Apologia adversus Gallum p. 1082: *Cum Tullio Senecam pono, de quo Plutarchus, magnus vir et Graecus ultro fatetur, nullum in Graecia fuisse, qui sibi in Moralibus possit comparari.* Porro de eodem argumento, in Epist. III, ad Illustres Veteres, quae est ad Senecam, p. 706: *Plutarchus siquidem Graecus homo et Trajani Principis magister, suos claros viros nostris conferens, cum Platoni et Aristoteli, quorum primum Divinum, secundum Daemonium Graeci vocant, Marcum Varronem, Homero autem Virgilium, Demostheni Marcum Tullium objecisset, ausus est ad postremum et ducum controversiam movere, nec eum tanti saltem discipuli veneratio continuit — non erubuit confiteri quod quem tibi ex aequo in Moralibus praeceptis objiceret non haberet. Laus ingens, ex ore praesertim hominis animosi qui nostro Julio Caesari suum Alexandrum comparasset.* At quis umquam aut legit aut fando audivit, Plutarchum comparasse Varronem Platoni

et

et Aristoteli, Virgilium Homero? Neque vero illud de Seneca in libris Plutarchi, qui nunc sunt, exstat. An igitur *Vitam Neronis* aut alios Plutarcheos libros habuit Petrarcha, unde haec disceret? Non credibile est in Italia tunc fuisse quod in Graecia non esset, ubi jam saeculo decimo libros Plutarcheos ad eam quae nunc est paucitatem redactos fuisse, haud obscure intelligitur ex superiore nostra saeculorum notatione. Igitur existimem Petrarcham deceptum fuisse vel rumore falso ac traditione, vel spurio libello simillimo *Institutioni* illi *ad Trajanum*, qua dudum antea Sarisberiensis deceptus fuerat.

SAECUL. XV.

Turci paulatim invalescentes, tandem Constantinopolim capiunt anno 1453. Tempestas lente appropinquans nec subito incidens, non tantum librorum attulit interitum quantum illa initio saeculi XIII Latinorum invasio. Plutarcheus certe liber nullus tunc intercidit. Graeci docti homines et antea jam, et magis etiam post captam a Turcis urbem, ad Venetos se et in Italiam recipiunt apportatis secum bonis libris. Fuerunt Graeci, qui ad Antiquorum laudem contenderent: item Latini, horum disciplina eruditi, et Petrarchae exemplo excitati.

CODEX Parisiensis B, bombycinus, in Graecia scriptus, hoc aut antecedente saeculo, exi-

eximiae bonitatis, continens circiter dimidiam *Moralium* et *Vitarum* partem; ut videtur, ex E, aut ejusdem exempli codice, ita descriptus ut antiquiores melioresque simul adhiberentur; unde quaedam lacunae uberius etiam expletae, et plura menda sanata.

LEONARDUS BRUNUS complures *Vitas* Plutarcheas Latíne vertit, quae exstant in editionibus *Vitarum* Latinis.

GUARINUS VERONENSIS, Bruni exemplo, item *Vitas* aliquot Latine reddidit, quae ibidem exstant. In eodem studio et instituto secuti sunt alii Itali: LEONARDUS JUSTINIANUS, FRANCISCUS BARBARUS, DONATUS ACCIAIOLUS, JOHANNES LAPUS, alii a quibus *Vitae* Latine redditae, in Latinis Versionibus Plutarchi feruntur.

GEMISTUS PLETHON, Graecus, ratione et oratione cum Antiquis comparandus, Plutarchi caussa hic memorandus, quod libelli *De rebus Graecorum post pugnam Mantineensem* primum librum ex *Vitis Dionis* ac *Timoleontis* sumsit.

BESSARION Cardinalis, Graecus, discipulus Plethonis, doctrinae laude magistro similis, de Plutarcho bene meruit conficiendis novis apographis iis quae in Bibliotheca Veneta servantur. Quo in negotio usus est manu et opera JOHANNIS RHOSI.

MICHAEL APOSTOLIUS, Plethonis item

item discipulus, non praetereundus hoc loco, quod in opere *De Proverbiis* complures Plutarchi locos adfert, et auctor censeri debet *Violeti* ab Arsenio editi: de quo mox dicemus.

MOSCHOPULUS, si quidem vere hujus nomen inscriptum est Scholiis in Hesiodum, aliquoties Plutarchi interpretationem memorat, etiam ubi in Proclo praetermissa est: ut Procli excerpta pleniora, quam nunc sunt, habuisse videatur.

CODICES Plutarchei scripti sunt inde a medio hoc saeculo ad finem ejus: *Veneti*, de quibus modo dictum: *Britannici*, Harleiani et Collegii Novi Oxoniensis: *Parisienses*, G. J. L. M. N. Z: *Batavici*, ex Bibliotheca Academiae Lugdunensis, Vossiani, et Perizonianus: *Vindobonenses*, Catalogi Lambec. t. VII, p. 259, num. 75 et 76. Codex etiam Apophthegmatum aliorumque *Moralium* libellorum scriptus ab Antonio Atheniensi sumtibus Francisci Philelphi, Senae anno 1436, teste MONTFAUCONO Biblioth. Bibliothecarum p. 347.

Moralium singulares libellos Latine verterunt inde a medio hoc saeculo et initio proximi NICOLAUS SAGUNDINUS, FRANCISCUS PHILELPHUS, JANUS PANNONIUS, ANGELUS POLITIANUS, RAPHAEL REGIUS, JOHANNES REGIUS, BILIBALDUS PIRCKHEYMERUS, OTTOMARUS LUSCINIUS, et alii, quorum interpretationes maximam partem exstant

in

in editione Basileensi Latina anni 1541, memoratae a nobis suo quaeque loco, in Indice libellorum *Moralium* huic praefationi subjecto.

ARSENIUS, Monembasiae episcopus, Michaelis Apostolii filius, Graecorum ultimus a nobis censetur. Ejus exstat Ἰωνιὰ, id est, Collectio Apophthegmatum ac Sententiarum ex Veteribus Graecis, Plutarcho etiam, delibata. Haec, sine dubio, est pars *Violeti* a patre ipsius Michaele Apostolio collecti; ut vere suspicatus est FABRICIUS Bibl. Gr. vol. x. p. 223. Exemplum edito longe locupletius servatur in Bibliotheca Moscuensi, unde ejus notitiam prodidit MATTHAEUS V. Cl. in Catal. Codic. MSS. Bibliothecae Moscuensis, p. 14. et Plutarchi locos edidit ad calcem editionis libellorum *De Vitioso Pudore* et *De Fortuna* anno 1777, forma octava. Collectio illa exempli Moscuensis quantivis est pretii, quippe quae multa habet nova nec aliunde cognita, sive illa ex pleniore, quam nunc fertur, Stobaeo, sive ex aliis perditis libris ducta: quod equidem affirmare haud dubito, qui ejus apographum ipse tractavi ex eoque excerpta servavi.

Satis est hanc notationem hucusque deduxisse: nec attinet de codicibus aliis scriptis et interpretationibus Latinis plura etiam adferre e Catalogis Bibliothecarum. Defungimur iis notitiis, quas nostro ipsi usu collegimus. Videmur nobis quatuor recensiones et aetates *Moralium* deprehendisse.

Pri-

Prima est ante saeculum XIII; ex qua aetate sunt Moscuenses valde illi mendosi, iisque haud paulo meliores Parisienses D et F, iisdem tamen lacunis, quibus Aldina et Basileenses editiones, affecti. Altera est sub finem saeculi XIII, recuperata a Graecis Constantinopoli, libris Plutarcheis et *Vitis* et *Moralibus* in unum volumen collectis, cujusmodi est Codex A, scriptus anno 1296, cum quidem librarii non tam emendatae lectionis, quam collectionis omnium, qui reperiri possent, librorum, rationem habuerunt. Tertia est Codicis E qui eundem librorum numerum, sed lectionem scripturamque magis sinceram habet, petitam ex vetustioribus ac melioribus libris: scriptus saeculo XIV ineunte: ejusdem generis est Palatinus, in Symposiacis etiam melior, quippe quas Codex E a deteriore ac posteriore manu scriptas habet; caeterum aliis in libris caeteros ejusdem aetatis codices multum superans. Quarta exstat in codice B, cui major etiam adhibita est emendationis cura quaesitae ex pluribus et antiquioribus exemplis: numeri et summae librorum Plutarcheorum non item habita ratio. Sequuntur codices saeculi XV, fere omnes in Italia descripti e codicibus recensionis secundae, id est, Codicis A, adhibitis forte, uno alteroque in libro, aliis exemplis: ex hoc genere sunt codices, Bessarionis, Veneti, unde princeps editio Aldina expressa est.

CAPITIS III

SECTIO II.

De Editionibus opera chalcographica factis, Versionibus, Animadversionibus, Commentariis.

Jam de *Moralium* Opere peculiariter videamus, eoque universo, nec de singulis ejus libris. Habet haec tota materia duas partes, quarum altera est de Editionibus Graecis ad novam scripturae constitutionem et contextus emendationem factis, altera de Versionibus, Animadversionibus, Commentariis, quibus ad emendationem interpretationemve aliquid profectum est. Editiones quatuor sunt et veluti aetates emendandi contextus, eaeque omnes unius saeculi XVI; Aldina anno 1509; Basileensis 1542; Stephaniana 1572; Xylandrea 1574: harum Stephaniana caeteras obruit et sola deinceps dominata est. Versiones, Animadversiones, Commentationes, illis Editionibus et aetatibus partim interjectae sunt, partim subjectae ac posteriores: illarum auctores fere sunt LEONICUS, JANNOTIUS, TURNEBUS, SCHOTTUS, XYLANDER, AMYOTUS: harum, ignotus quidam compilator Variarum lectionum tribus Editionibus Graeco-Latinis subjunctarum, tum BACHETUS MEZIRIACUS, denique nostra aetate REISKIUS. Nos totam hanc materiam ita explicabi-

bimus, non ut eam bifariam distribuamus, sed ut singulas ejus partes uno temporum ordine persequamur.

§. I.

De Aldina Editione. A. 1509.

Primus, post renatas Literas, universa Plutarchi Opera edidit ALDUS MANUTIUS Venetiis; anno quidem 1509 *Moralia*, *Vitas* 1519. Sed de *Moralibus* nunc agimus. Titulus in fronte hic exstat: PLUTARCHI OPUSCULA LXXXXII. *Index Moralium omnium, et eorum quae in ipsis tractantur, habetur hoc quaternione. Numerus autem Arithmeticus remittit lectorem ad semipaginam, ubi tractantur singula.* Eodem folio, proxima pagina, est praefatio ALDI ad JACOBUM ANTIQUARIUM PERUSINUM; qua in praefatione nulla fit mentio de fontibus et consilio hujus Editionis. Sequitur ΠΙΝΑΞ, id est, Index Graecus *Moralium*, isque sane plenus ac refertus, ut qui non modo singulorum librorum, sed minorum etiam, quibus libri constant, partium et capitum, titulos exhibeat. Idem est Πίναξ in codicibus scriptis quibus Universa Plutarchi opera continentur, veluti A et E: sed alio ordine. Nec facile dicam, an ordo Aldinus auctoritate codicis scripti nitatur. Illud affirmare haud dubitem codices scriptos alium, nec omnes eundem

 dem

dem inter se habere ordinem, neque ullum eorum qui hodie in libris scriptis editisve feruntur ordinum esse ex antiqua aetate, nedum ab ipso Plutarcho. Πίναξ hic factus esse videtur saeculo fere XII jam perditis Plutarchi scriptis plurimis et ad hanc paucitatem redactis; superstite tamen adhuc parte libri quarti *Symposiacorum*, quae nunc desideratur; nisi forte tituli Quaestionum perditarum retentae sunt ab auctore hujus Πίνακος ex antiquioris cujusdam Πίνακος exemplo. Sed ut intelligatur qui sit ordo Aldinus, a STEPHANO, quem nos sequimur, immutatus; age, recenseamus hunc Πίνακα, omissis tamen capitum titulis, qui in compluribus Plutarchi libris magnum obtinent locum, veluti in *Quaestionibus Romanis* et *Graecis*, in *Placitis Philosophorum*, in *Quaestionibus Platonicis*, *Vitis X. Oratorum*, *Quaestionibus Naturalibus*, *Quaestionibus Symposiacis*. In his igitur libris, singulorum capitum titulos brevitatis caussa omittemus, nec nisi ipsorum nomina librorum recensebimus. Est vero hujusmodi:

Π Ι Ν Α Ξ.

Πλουτάρχου Χαιρωνέως περὶ παίδων ἀγωγῆς.

Πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν.

Περὶ τοῦ ἀκούειν.

Πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου.

Πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ.

Πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο.

Περὶ

Πα-

Proximum est HIERONYMI ALEANDRI MOTTENSIS epigramma Graecum in hanc editionem: de quo homine aliquid dicimus in *Indice* huic nostrae praefationi subjuncto, quo enumerantur *Codices scripti veteres et singularium libellorum editiones*, Numero Z, ad libellum cujus inscriptio est, *Quomodo juvenis poetas intelligere debeat.*

Ultimo est loco praefatio Graece scripta DEMETRII DUCAE CRETENSIS, quem ALDUS huic editioni ordinandae corrigendaeque praefecerat. Hujus praefationis prior pars consumitur in laudibus Plutarchi et ejus librorum *Moralium:* quam partem hic repetere nil attinet: alteram quin repetamus, facere non possumus, quippe quae ad cognitionem constitutae scripturae refertur. Δημήτριος Δούκας ὁ Κρὴς, τοῖς σπουδαίοις εὖ πράττειν.— Τοιαύτης μὲν οὖν ἠξιώθητε δωρεᾶς, Ἄλδου χορηγοῦντος, ἡμῶν τε διορθούντων. Ὑμέτερον δ' ἂν εἴη, τὸν ἡμέτερον κάματον εὐγνωμόνως ἀποδέξασθαι, μηδ' ἐκφαυλίζειν, εἴτι που γράμμα διεστραμμένον ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον ἡμᾶς παρέδραμεν, οὐκ ὂν ἐμποδῶν οὐδὲ τοῖς μήπω φωνῆς γευσαμένοις Ἑλληνικῆς. Πολλοὶ μὲν (forte, γὰρ) ἀπείρως ἔχοντες τῆς περὶ τὸ διορθοῦν φιλοπονίας, ἢ βέλτιον εἰπεῖν ταλαιπωρίας, καὶ τοῦ Γνῶθι Σαυτὸν ἀμνημονοῦντες, ὅλως τε σοφοὶ δοκεῖν ἐφιέμενοι, μεγάλῃ τῇ φωνῇ λαρυγγίζουσι, „Ὀξεῖα „ἀντὶ βαρείας ἐτέθη, παῖε παῖε τὸν κατάρατον, διέ„φθαρται γὰρ ἡ βίβλος ἣν ἐκεῖνος ἐπετέτραπτο κα„τασκευάσαι τοῖς φιλολόγοις ὁλοσχερῆ τε καὶ ἀνεν„δεᾶ."

„ δεᾶ." Ἡμεῖς δὲ ἐπὶ τοῖς ἀντιγράφοις οἷς ἐνετύχομεν, οὕτως ὠρθογραφήσαμεν τουτουσὶ τοὺς τύπους, ὥστε καὶ τὸν μῶμον αὐτὸν ἐνταῦθα μηδὲν ἂν ἔχειν τέλεον μωμήσασθαι, ἐκτὸς τῶν μηδενὸς ἀξίων· εἴτις μὴ φιλαπεχθημόνως ἀλλ' εὐκρινεῖ γνώμῃ καὶ σαφεῖ κρίνειν ἐθέλοι. Τά γε μὴν ἀνηκέστως διεφθαρμένα, μηδὲν τολμήσαντες καινοτομεῖν ἡμεῖς, καταλείπομεν ὑμῖν τοῖς σοφοῖς δεόμενα θεραπείας τυχεῖν. Ἔῤῥωσθε. Scriptura contextus Aldini, *Moralium* Plutarcheorum, multis quidem partibus mendosa, habet illa tamen auctoritatem codicum scriptorum. Nam et aliis in libris Auctorum edendis spectata et probata est ALDI religio: nec dubium esse potest quin Plutarcheos libros expresserit e BESSARIONIS codicibus, hodieque servatis in Bibliotheca D. Marci Venetiis: quod equidem facile agnoscere potui e collatione, quam habeo, illorum codicum. Praebuerunt sane singuli multis in locis novas easque bonas lectiones: universi plerumque fere Aldinam scripturam referunt, ubi inter se consentientes a Stephaniana dissentiunt. Huc accedit DEMETRII DUCAE testimonium, affirmantis se reddidisse codicum scripturam, eamque praesertim in locis corruptis et insanabilibus intactam exhibuisse. Quod testimonium, ut tantam certe fidem habet quantam tribuere debemus homini honesto nec ulla fraude cognito, ita confirmatur indiciis illis quae modo exposuimus.

Sed menda hujus editionis, innumerabilia sane illa, duplicis sunt generis. Alterum eorum quae in

in ipsis codicibus exstant gravia et altius inhaerentia: quae ita, uti erant, relicta, nec per conjecturam mutata esse, adeo nil detrahit laudibus Aldinae ut ejus etiam auctoritatem et fidem magnopere augeat. Alterum genus mendorum est eorum quae a typographi, in primis correctoris, negligentia proficiscuntur: quod genus in Aldina longe frequentissimum esse ne ipse quidem dissimulare potuit DEMETRIUS corrector, quippe futuros reprehensores occupare atque elevare studens. Operae pretium est cognoscere judicium de DEMETRIO, JOACHIMI CAMERARII, proditum in praefatione ad librum Plutarchi *de Oraculorum Defectu;* quem locum prodidit etiam SCHELHORNIUS Amoenitatum Literariarum t. II. p. 339: *Recordor*, inquit, *me audiisse ex magistro meo, Richardo Croco Britanno, qui quosdam libellos Plutarchi explicare nobis pueris solebat, editioni illi scriptorum Plutarchi in officina Manutiana praefectum Cretensem quemdam Demetrium, qui videret, ut illa ab operis diligenter et accurate exprimerentur: eum igitur, audire memini Crocum narrantem, maxima cum negligentia atque incuria provinciam istam gessisse hominem neque laboriosum et leviusculum. Ad id tum, ut puer, (annus enim a Croci disciplina aetatis meae agitur quadragesimus octavus) non admodum animum revocavi, ut cogitarem quale esset: sed postea nimis verum esse cum indignatione legens scripta illa comperi: neque temere*

esse

esse aut falso a Croco dictum, vel ex Epistola, quam Demetrius iste praeposuit libro edito, deprehendi. Est enim illa mendose expressa —. Menda typographica hujus editionis utrum typothetae an correctori DEMETRIO tribuenda sint, non statuo: admissa certe sunt plurima, atque adeo in ipsa DEMETRII praefationis et Indicis parte a nobis exhibita: quae nos menda taciti correximus nec describendo propagare voluimus. Levitatis ac negligentiae DEMETRIUM accusare potuerit CROCUS, qui illum aequalis propius cognovisse videtur: ego non possum, quoad quidem ejus aliunde mihi notitia obtigit. Praefuit idem editioni Rhetorum Graecorum factae apud ALDUM anno 1508, cui editioni addita est ejusdem DEMETRII epistola ad MARCUM MUSURUM. Neque eum praeteriit HUMPHREDUS HODIUS in libro *De Graecis illustribus Linguae Graecae Literarumque humaniorum instauratoribus*, edito Londini anno 1742 forma octava; cujus locus hac notitia praefationis *Moralibus* Plutarcheis praemissae augendus erit. Sed ipsa HODII verba apponamus. *Demetrius Ducas Cretensis in Italia egit ad annum* MDVIII, *quo tempore Epistola ejus Graeca praefixa est volumini primo Graecorum Rhetorum ab Aldo Venetiis editorum. In Hispaniam postea vocatus est ab amplissimo Cardinali Ximenio, ut Bibliis Complutensibus, quoad Graeca, edendis operam navaret. In fine Testamenti Novi isthic editi anno*

 MDXIV,

MDXIV, *legitur ejus Epigramma Graecum: et ejusdem esse videtur praefatio Graeca, quae quidem T. Novo praemittitur. Recensetur ab Alvaro Gomecio (de Ximenii Rebus gestis I, 2.) inter illos eruditos viros, quos ad nobile illud opus adornandum ac perficiendum Cardinalis ille illustrissimus ad se arcessivit: inceptum autem est opus anno* MDII. *Eundem fuisse opinor ac Demetrium illum Graecum, qui libellum Galeni spurium* De Oculis *in Latinum transtulit.*

Sint igitur, ut sane sunt, in Aldina *Moralium* Plutarcheorum editione, menda typographica plurima: sunt tamen, exceptis paucissimis, ejusmodi ut correctionem ita facilem et manifestam habeant, quae vel mediocriter Graece doctum fugiat neminem. In reliqua scriptura, quamvis multis partibus mendosa et lacunosa, quum scriptos codices retulerit, ipsa quoque Editio instar scripti codicis censenda est.

§. 2.

De Nicolai Leonici emendationibus. A. 1509 — 1533.

Ita vulgatis et frequentatis per ALDI officinam Plutarcheorum librorum exemplis, ipsa tamen mendorum multitudo studiis legentium officiebat. Itaque credibile est complures fuisse doctos homines qui huic incommodo mederi studerent, notandis in margine Aldini exempli mendorum correctioni-

nibus: sed quorum quidem ad me pervenerit notitia, primus qui hoc ageret fuit NICOLAUS LEONICUS. Hujus *Moralium* Aldinorum exemplum ab ipso scriptis in margine correctionibus castigatum, postea pervenit ad DONATUM JANNOTIUM, hinc ad M. A. MURETUM et alios venerunt apographa. Neque vero sola usus est conjectura LEONICUS, sed codicem etiam scriptum adhibuit; ut apparet ex MURETI Annotatione. Sed de hac Variarum Lectionum copia uberius et opportunius infra dicetur in loco de Jannotiana Collectione. Caeterum NICOLAI LEONICI clarum est nomen in doctis illius aetatis hominibus, et multis ab ipso scriptis libris celebratum, et crebra mentione a scriptoribus Historiae Literariae frequentatum, cum aliis, tum GESNERO in Bibliotheca; VOSSIO de Historicis Lat. III, 12: FABRICIO Bibl. Lat. l. XI, p. 788. Patria fuit Venetus, discipulus DEMETRII CHALCOCONDYLAE ac BARTHOLOMAEI THOMAEI, unde ipse *Thomaeus* cognominatus est: obiit anno 1533, aetatis 76, Patavii, ubi per multos annos Peripateticam Philosophiam, idque primus, docuit: Graecarum Latinarumque Literarum in primis peritus ac Latinae orationis elegantia et puritate probatus.

§. 3.

De Basileensi Editione. A. 1542.

Aldina Editio recusa est Basileae: *Vitae*, anno 1533: *Moralia*, 1542: illae apud ANDREAM CRATANDRUM et JOHANNEM BEBELIUM: haec ex officina Frobeniana per HIERONYMUM FROBENIUM et NICOLAUM EPISCOPIUM. *Moralibus* nulla est praemissa vel praefatio, vel admonitio; ut cum his quoque SIMONIS GRYNAEI ad JOANNEM OPORINUM praefationem *Vitis* praefixam, communicare voluisse videantur editores. Sed in illa GRYNAEI praefatione nil est quod ad Plutarchum pertineat, cujus adeo ne nomen quidem memoratur; ut eodem jure nullius non Scriptoris Editioni praemitti potuisset. Neque vero aliunde comperire potui, quis huic editioni praefuerit, quibus copiis instructus ad eam faciendam accesserit. Quidquid ejus rei cognovi, ipsius cognovi editionis usu, ac totum fere huc redit, ut affirmare possim corrigendae scripturae provinciam diligenter administratam esse idque ab homine haud indocto: typographica Aldinae menda, exceptis paucissimis, sublata: graviora vetera menda, quae quidem unius aut paucorum depravatione verborum constarent, non nulla, nec multa tamen, correcta: lacunas vero expletas nullas. Locos, quibus haec sententia nostra confir-

me-

metur, cum praebet Annotatio Emendationum a nobis Graeco subjecta contextui, tum praebebit Index Variarum Lectionum. Sed ut res, nisi quanta, at qualis sit, intelligatur, paucis nunc defungemur exemplis, iisque non magno ex spatio collectis, sed ab una fere ac dimidia pagina oblatis. *Symposiacorum* lib. VI. *Quaest.* II. Editionis Basil. p. 716. Gr. Latinae p. 688, E, Aldina habet *μέχρι οὖν*· Basileensis, *μέχρι οὗ*. Ibidem, Ald. *ὁμαλισμός*· Basil. *ὁμαλισμόν*. Hujusmodi sunt leviora. E graviorum genere haec apponimus: eadem pagina proximo versu, Aldina habet, *ἐγὼ μὲν γὰρ οὐχ ὁρῶ περὶ πόρου ἢ πόρων διαφορᾶς· ἀλλὰ κατὰ πλῆθος*· Basileensis rectius, *ἐγὼ μὲν γὰρ οὐχ ὁρῶ τῶν πόρων διαφορὰς ἄλλας ἢ κατὰ πλῆθος*· atque item dedit STEPHANUS. *Quaest.* IV. Edit. Basil. p. 717. Gr. Lat. p. 690, C, in Aldina est *μαλαττόμενον*· in Basileensi rectius *μὴ ἀπτόμενον*, quod item ex LEONICO et SCHOTTO exhibuit STEPHANUS. Ibidem est exemplum mutationis ejusmodi, qua in locum corruptae lectionis alia ponitur lectio aeque corrupta: Aldina sic habet, *ἡ γὰρ ὑπὸ τῆς θερμότητος ἄνεσις πολύπορον τὰ σώματα μανὸν ἀπειργασμένη*· Basileensis, *ἡ γὰρ ὑπὸ τῆς θερμότητος ἄνεσις πολύπορον τοῦ σώματος, μανὸν ἀπειργασμένη*· STEPHANUS recte, *ἡ γὰρ ὑπὸ τῆς θερμότητος ἄνεσις πολύπορον τὸ σῶμα καὶ μανὸν ἀπειργασμένη*· item exstat in codice scripto Palatino, LEONICI exemplo, et Anonymo. Neque vero per totum Opus *Moralium* item tam brevi spatio tam fre-

quen-

quentia sunt Aldinam inter et Basileensem differentiae exempla. Immo rara sunt: at sunt tamen. Et in his omnibus rarissime consentit cum lectionibus iis quas multas ex multis codicibus et collationibus habeo. Cumque consensus codicum in locis corruptis, praecipuum sit indicium eos ex communi fonte fluxisse: neque, quod sciam, Basileensis in iis corruptelis, in quibus ab Aldinis corruptelis dissentit, consentiat cum meis lectionibus; hoc equidem argumento ductus credam, correctiones mutationesque Basileensis Editionis potius ab ingenio correctoris profectas, quam e veteribus libris petitas esse. Nam ubi Basileensis in veris correctionibus consentit cum codicum meorum lectionibus, hi sunt ejusmodi loci quorum et corruptela et emendatio tam sit manifesta, ut neminem mediocriter doctum lateat, atque adeo iste consensus non a communi codicum scriptorum auctoritate, sed ab ipsa corrigendi facilitate ac probabilitatis vi repetendus sit.

Librorum *Moralium* ordo idem est qui in Aldina: nisi quod *Galbae* proxime subjicitur *Otho*: quod item fit in codicibus A et E. Nam hae duae *Vitae* ab antiquis librariis fere *Moralium* volumini addebantur. Πίναξ denique, seu Index Graecus librorum *Moralium* idem est qui in Aldina.

Caeterum proximo, ante factam hanc Graecam editionem, anno, qui fuit 1541, *Moralia* edita sunt pleraque Latine fere quadraginta duo, item Basileae, apud MICH. ISINGRINIUM forma ma-

maxima, eadem qua Graeca editio. Tituli prima ac praecipua pars, nam totum apponere non attinet, haec est: *Plutarchi Chaeronei, Philosophi et Historici Clarissimi, Opera Moralia, quae in hunc usque diem Latine exstant, universa.* Harum nobis interpretationum fuit subinde aliquis usus ad verae lectionis investigationem. Qui sint Plutarchei libelli, qui interpretes, intelligetur ex Indice II, huic nostrae praefationi subjuncto.

§. 4.

De Collectionibus Variarum Lectionum et Emendationum adscriptis in margine exemplorum Aldinorum et Basileensium, a Jannotio, Turnebo, Junio, Mureto, Anonymo, item de Collectione Schotti, ab A. 1542 *ad* 1559.

Igitur Basileensis editio regnare coepit apud Transalpinos, maxime Germanos; non item apud Italos, quippe quibus nec parabilis nec emendata ita videretur, ut Aldinam a vetere auctoritatis possessione dejiceret. Caeterum, mox fuerunt qui melioris etiam editionis conficiendae et consilium caperent, et materiam colligerent. Ac LEONICI quidem institutum persecutus DONATUS JANNOTIUS, acceptum ab illo Aldinum exemplum, insigni lectionum e codicibus antiquis excerptarum copia locupletavit, et cum M. A. MURETO, aliisque, ut opinor, hominibus doctis, com-

communicavit. MURETI exempla Aldina cum *Moralium* tum *Vitarum* hodieque servantur Romae inter eos libros qui quondam Collegii Jesuitarum fuerunt: iisque exemplis adscriptas LEONICI JANNOTIIQUE lectiones et emendationes mihi roganti descripsit JOSEPHUS SPALLETTI, vir doctissimus, quem supra laudavi. Sed quae ad notitiam hujus Collectionis valet admonitio scripta, ut videtur, manu MURETI, hoc loco non est praetermittenda. *Moralium* Volumini, in fronte haec adscripta sunt: *Collatus est cum codice, quem Nicolaus Leonicus diligentissime castigarat: hic codex litera* L *significatur. Litera* R *significantur antiquissimi codices, tum ex Vaticana, tum ex Cardinalis Rodulfi Bibliotheca.* Δ *litera Donati Poli codicem significat. Sed castigationes fere omnes quae erant in Poli codice, erant etiam in eo quem Leonicus olim castigaverat. Quare Leonici castigationibus apposita est litera* Δ, *cum hae ab illo acceptae videantur. In postremis quidem libellis paucae admodum castigationes inventae sunt, eae scilicet, quae ex Leonici codice acceptae sunt. Harum autem castigationum copiam mihi fecit Donatus Jannotius Florentinus, vir morum probitate et doctrina praestans.*

In *Vitarum* Volumine haec scripta exstat annotatio: *S. T. R. codices Cardinalis Rodulfi.* U, *codex ex Vaticana.* Π, *codex Patavinus.* ω, *codex ex eadem Vaticana.* q, *codex ex Bibliotheca*

Gri-

Grimanorum, quae est in coenobio S. Augustini Venetiis — pag. 185: ubi non est ullus character, significatur codex Venetus. Π *significat codicem Patavinum.* T, *codicem Cardinalis Rodulfi Venetum.* R, *codicem Cardinalis Rodulfi Romanum.* S, *codicem alium Cardinalis Rodulfi.* U, *codicem ex Vaticana bibliotheca.* q, *codicem significat ex bibliotheca S. Antonii Venetiis. Harum castigationum copiam mihi fecit Donatus Jannotius Florentinus, vir morum probitate et doctrina praestans. Coll. Rom. Jesu lat. inter —. Vincentii Laurei et amicorum manu scriptum.* Haec annotatio, licet nonnulla bis dicta habeat, tamen iisdem, quibus scripta est, verbis referenda nobis videbatur.

In Bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae, inter libros Vossianos num. 159, est exemplum Aldinum *Moralium* cujus margini adscriptae sunt saeculo, ut videtur, decimo sexto, variae lectiones emendationesve Jannotianae, quarum compluribus adjecta est litera λ, quas LEONICI esse apparet. In titulo scriptum legitur *Donati Jannocti*: in calce ab eadem manu haec addita est nota,

Loca a Nicolao Leonico emendata:

In Symposiacis Quaestionibus	— —	617.
De facie in Luna apparente	— —	108.
		725.

Ex pag. praec.	725.
Quod non respondeat versibus Pythia	64.
Adversus Colotem — — — —	75.
De communibus notitiis adv. Stoicos	110.
De Socratis Daemonio — — —	131.
De morum perversitate Herodoti —	110.
	1215.

Jannotiani codicis *Vitarum* mentionem facit D. LAMBINUS ad Horatii Carm. III, 5. emendans locum Plutarchi *Caton. Min.* p. 764, C: *οὕτως οὐ τῷ ξίφει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ γραφείῳ τὸ ἀνυπεύθυνον καὶ τὸ ἀνυπόδικον ἐπίστευεν·* igitur haec addit: *Sed ne virum doctissimum eundemque mihi amicissimum, Gulielm. Sirletum merita laude fraudem ac spoliem, is hunc Plutarchi locum sic scriptum in codice manuscripto mihi Romae ostendit: quam scripturam postea mihi confirmavit codex Donati Jannoctii manuscriptus.* Alius LAMBINI locus, qui ad rem praesentem faciat, exstat in praefatione: *Donatus Jannoctius Florentinus unum (Horatii codicem) qui fuerat amplissimi atque ornatissimi Rhodolphi Cardinalis, eoque mortuo, cum aliquot aliis Graecis ac Latinis ad ipsum testamento pervenerat, mihi commodavit.*

Caeterum ex duobus illis Jannotianae Collectionis apographis, plenius ac refertius est Muretianum quam Lugduno-Batavum; quandoquidem hoc descriptum videtur ex Jannotiano exemplo nondum au-

aucto ac locupletato multorum codicum scriptorum comparatione. At vel sic tamen habet complures lectiones quae in Muretiano desiderantur.

DONATI JANNOTII, sive JANNOCTII, nam alii aliter scribunt, mentio, cum eadem scripturae varietate, exstat in mutuis MURETI et LAMBINI Epistolis, p. 391 et 397, edit. D. Ruhnk. t. I. unde apparet eum communem utriusque fuisse amicum et per aliquod tempus in Gallia degisse. MURETUS tamen nusquam, quod quidem sciam, in scriptis suis editis, hanc ab JANNOTIO sibi datam Collectionem memorat; quamvis loco ipso, ut videtur, postulante vel certe invitante. Veluti in Scholiis ad Senecam, Ep. 114, quod ultimum ei operum fuit, scriptum paulo ante obitum, quo tempore dudum jam in libris suis habebat illam Collectionem, locum Plutarchi *Sympos. Quaest.* VIII, 9. p. 733. fin. tentat per conjecturam quae in Jannotiana collectione non exstat: *Legendum autem*, inquit, ὥσπερ ἐλαφρῶν ὁπλιτῶν· *Haec et ejusdem generis alia plurima jam pridem in Plutarcho emendavi: quae, si Deus volet, suo tempore edentur.* In epistola ad Christoph. Plantinum, lib. III, t. I. p. 636, scribit: *Habeo et notas in Thucydidem et Plutarchum sane multas: quas ad Te mittam, si tanti mea esse putaveris.* MURETI conjecturae non nisi paucae sunt inter lectiones Collectionis Jannotianae, nec illae admodum luculentae; ut credibile sit, auctiores lo-

cupletioresque notas, quarum editionem cogitabat, vel adhuc latere aliquo in angulo illius Bibliothecae Jesuitarum, vel jam intercidisse. MURETUS certe, quod ex editis ejus scriptis apparet, Plutarchum diligenter lectitaverat, et sensum etiam sibi conformaverat ad intelligentiam rationis et consuetudinis Plutarcheae, ut libros quosdam, qui ab eruditissimis adeo hominibus germani habebantur, spurios esse animadverterit, veluti *De Educatione*, *Apophthegmata*, *De Placitis Philosophorum*. Habuit profecto MURETUS ab ipsa natura admirabilem quamdam facultatem et facilitatem ad omnes in omni orationis genere percipiendas notandasque formas ac varietates: neque tamen de istis libellis tam vere judicasset, nisi ad naturalem ingenii dotem, accuratum ac frequentem adjunxisset Plutarchi usum.

Ab eodem vel simili Italicorum codicum fonte manavit Collectio SCHOTTI, minoris illa quidem ad emendandum ubertatis: nam et *Moralia* sola complectitur, et in levioribus vitiis versatur: neque tamen ullo modo spernenda, quippe quae nonnullis locis sola veram lectionem servet. SCHOTTI nomine eam appellavimus, non quod is eam aut collegerit aut descripserit, sed quod manu sua nomen ipse suum libro adscripsit, seque ejus dominum esse significavit. Modus libri est, qui vulgo dicitur, in folio: unaquaeque pagina aequaliter a supremo ad imum marginem in duas partes sive columnas distincta est, quarum in altera sunt

le-

lectiones Aldinae, in altera earumdem correctiones: utraeque eadem lineae regula. Quinque prima folia mutila et truncata sunt exteriore sua parte; ut tituli, vetustiore manu scripti, tantummodo haec verba, his lacunis interrupta supersint: *Emendationes .... Opuscula, Copia ... lis ... Car. Amulii qu ... Romae.* In parte interiore ejusdem paginae, recentior manus haec apposuit, *Plutarchi Moralium, Editionis Ald. fol.* 1531. Quo sane in numero erravit annotator. Inferius, adscriptum est, *Ex bibliotheca Cardinalis Granvellani. Sum Andr. Schotti Antwerp.* Servatur in Bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae, inter libros Vossianos. Num. 15.

Longe majoris momenti et praestantiae sunt lectiones *Exempli Turnebiani.* Hoc nomine significamus exemplum Aldinum *Moralium* cujus in margine ADRIANUS TURNEBUS correctiones et varias lectiones adscripsit. Est hoc idem exemplum quo usi sunt editores Graeco-Latinae editionis *Vitarum* et *Moralium* Francofurtani anno 1599: quos negligenter eo usos esse, plurimarum lectionum vel omissione vel vitiosa descriptione, infra ostendemus. In titulo scriptum exstat, *Adrianus Turnebus, moriens Stephano Turnebo V. C. F. reliquit: hic Jo. Bourdelotio D. D.* Sed in hac inscriptione, ab alia manu est nomen *Adrianus Turnebus*, ab alia et posteriore sunt sequentia. Margo tam interior, quam exterior, repletus est notis, quae utrum sint conjecturae an codi-

cum lectiones, non significatur nisi paucissimis locis, *ἐν παλαιῷ·* veluti ab initio ad libellum *De Educatione*, annotatur *ἐν παλαιῷ οὗτος ὁ λόγος β'ος ἐστίν*: quod in Francofurtanae editionis Indice item exstat addito nomine *Vulcobii*. Est ubi Γερμ. adscribitur, id est editio Basileensis: est etiam ubi Βουδαῖος legitur. Triplex apparet manus: una concinna, quae ipsius videtur esse A. TURNEBI, reliquae non item. In lectionibus illa meliore manu scriptis apparet doctrina correctoris: saepissime vero tanta probabilitas, ut dubium sit utrum ad codicis antiqui bonitatem an ad ingenii felicitatem referri debeant. Habui hunc librum beneficio Cl. DESAUNOISII Abbatis, qui illo tempore, quo in Parisiorum urbe degi, custodiae impressorum librorum in Bibliotheca regia, praefectus erat.

Exemplum Basileense, *Vitarum* 1533, *Moralium* 1542, *Hadriani Junii*, cujus et nomen titulo inscriptum ipsius manu, et notae eadem manu margini adscriptae sunt, in *Vitis* quidem non fere habet, nisi nomina rerum et hominum de quibus in Graeco contextu agitur: at in *Moralibus* frequentes intersunt correctiones, pleraeque, ut videtur, ex conjectura; nonnunquam paucis verbis ratio redditur correctionis; plerumque simpliciter positae sunt: liber antiquus bis aut ter memoratur: semel NICOLAUS LEONICUS, ad librum *De Primo Frigido* Ed. Bas. p. 526: Graeco-Lat. 954, F, ubi in Graeco libro

bro est *κλίττα*, haec notula exstat, *Nicol. Leonic. πίττα legit:* atqui in mea Collectione Leonicena legitur *στύγα*: multae sunt peculiares, id est tales, quae in aliis meis Excerptis non reperiantur: frequentiores in libris cum Medica arte conjunctis cum aliis, tum *Symposiacis Quaestionibus* compluribus, quas Latine redditas separatim edidit JUNIUS, 1547. Fuit sane homo in primis eruditus, sed emendandi facultate non in principibus. In titulo *Vitarum* sua ipse manu scripsit, *Sum Hadriani Junii, Hornani Medici.* Servatur hoc exemplum in Bibliotheca publica Amstelodamensi.

Anonymus, qui a nobis appellatur, est item *Moralium* Basileense exemplum refertum scriptis in margine correctionibus, partim probabilibus, partim temerariis, diversis cum tempore tum manu, aliis ante Stephanianam editionem factam, aliis post eam, scriptis, plurimis tamen cum hac consentientibus. Quis earum sit auctor, qui scriptores, nescio. Neque enim vel conjectura vel testimonium, aut ex ipso libro aut aliunde, suppetit. In titulo scriptum est *Tomi Medici.* Ego *Anonymum* appellavi.

§. 5.

De Gallica interpretatione Amyoti.

Neque vero intra privatam tantummodo ac domesticam annotationem continebantur doctorum

hominum erga Plutarchum studia; sed jam ejusdem libris denuo vulgandis, in publicam lucem proferebantur. Nam eadem haec, de qua modo exposuimus, aetas intra quindecim annos, ab 1559 ad 1574, tres protulit Interpretationes, Gallicam AMYOTI, Latinas CRUSERII et XYLANDRI: duas etiam Graeci operis editiones, Stephanianam universorum librorum, et *Moralium* Xylandream. De singulis deinceps dicemus.

JACOBUS AMYOTUS, Graecarum Latinarumque Literarum non quidem peritissimus, sed studiosissimus tamen, multis ingenii animique dotibus ornatus, Gallicae orationis elegantia et facultate, pro illius saeculi captu, princeps: institutioni filiorum Henrici II, regis, praefectus, huic regi *Vitas* Plutarcheas Gallice, a se redditas, inscripsit anno 1559, *Moralia* postea Carolo IX.

Sane, per hanc Interpretationem nonnulla ad emendatiorem scripturam facta est progressio. Nam, licet animadversiones explicandis locis difficilibus nullas addiderit: et licet assentiar BACHETO MEZIRIACO (*), judicanti AMYOTUM mediocriter instructum fuisse Graecae Linguae scientia et leviter bonis Literis tinctum, dictis Plutarcheis frequenter additamenta de suo ipsum ingenio immiscuisse, in multis locis a vera sententia aberrasse: haec igitur ut assentiar, quippe meo

(*) Discours de la Traduction, p. 30, 33, 37, 40, et sequ.

meo mihi usu cognita: haud tamen inficiandum, quod item usu cognovi, locos corruptos complures ita versos esse ab AMYOTO, ut appareat eum emendationes probabiles expressisse, sive ex conjectura profectas illas, sive ex libris scriptis petitas. In praefatione *Vitarum* ipse profitetur, se codicum Italicorum collationes habuisse. In epistola ad Carolum regem *Moralibus* praemissa, scribit, *se usum esse codicibus manu scriptis et conjecturis virorum quorumdam doctissimorum.* Ex his viris praecipuum fuisse ADRIANUM TURNEBUM, ut ab aliis monitum est, ita ego intellexi comparatione Interpretationis Amyotianae cum exemplo Turnebiano. Codices antiquos eum accuratissime evolvisse, testatur gravis sane et aequalis testis B. BRISSONIUS (*). Hodieque in Parisiorum urbe apud Patres Oratorii servantur edita exempla, *Vitarum* Aldinum, *Moralium* Basileense, referta in margine scriptis ab AMYOTO notis et correctionibus. De his exemplis et alii prodiderunt, et novissimus *Moralium* Gallicus interpres RICARDUS (†), cujus ver-

(*) De Ritu Nuptiarum, p. 313.

(†) Oeuvres *Morales* de Plutarque par M. l'Abbé RICARD, Tom. II, à Paris 1784. Avertissement: p. 9. „ Je dois aussi au R. P. JANNART, Bibliothécaire „ de la Maison de l'Oratoire de S. Honoré, la communi„ cation d'un exemplaire précieux des Oeuvres *Morales* „ de Plutarque imprimé à Bâle chez Froben en 1542, le-

 „ quel

verba huic paginae subjecimus: qui, quandoquidem hoc exemplum ipse ad usus suos commodatum habuit, vellem diligentius eo usus esset, codicum ab AMYOTO adhibitorum notitiam prodidisset, in locis corruptis correctiones illius sedulo

„ quel a appartenu à AMYOT, et dont les marges sont „ chargées de corrections faites par ce célebre Traducteur „ et par un autre Savant, qui paroît l'avoir possédé avant „ lui. La date de 1570, qui se trouve à la fin du livre, „ porte à croire, qu'il en devint possesseur cette année-„ là. M. l'Abbé BROTIER, dans le second Volume „ de sa nouvelle édition des Oeuvres de Plutarque, tra-„ duites par AMYOT, a déjà fait connoître le Volume „ des *Vies*, imprimé à Venise par ALDE en 1519. Il „ contient comme celui des Oeuvres *Morales* beaucoup „ de Notes Grecques et Latines, qui sont des variantes ti-„ rées des manuscrits, des conjectures sur les endroits du „ texte obscurs, ou altérés, soit celle du Traducteur „ lui-même, soit celles de divers Savans, qu'il a pris „ la peine de recueillir. Ils furent apportés l'un et l'au-„ tre de Melun par PIERRE REGNAULT, Procureur „ du Roi au siege Présidial de cette ville, qui déclare, „ qu'ils appartenoient à *Messire Jacques Amyot, vivant* „ *Evêque d'Auxerre et grand Aumonier de France.* Le „ Volume des Oeuvres *Morales* contient un plus grand „ nombre de notes que celui des *Vies*: et je dois dire „ ici à la louange d'AMYOT, que les leçons diverses „ du texte de Plutarque, qu'il a rassemblées avec tant „ de soin, sont une preuve de ses grandes connoissan-„ ces dans la langue Grecque —" Sed de hoc postremo „ loco MEZIRIACUS certius judicare poterat.

lo memorasset, nec satis habuisset ejus mentionem bis terve injecisse. Caeterum, quod VILLOISONUS ait (*), AMYOTUM ex optimo codice, nunc in Parisina Oratorii Patrum Bibliotheca servato, hanc Interpretationem confecisse: credo, haec ipsa exempla, Aldinum ac Basileense, nec peculiarem codicem scriptum, significavit. Mihi in illa urbe degenti non vacavit AMYOTI exempla vel inspicere vel excutere: primum et antiquissimum mihi fuit, praestantissimos codices, a nemine adhuc editore adhibitos, excutere; et omissis rivulis ab ipso fonte haurire. Interpretationem quidem postea cum Graeco contuli opere, neque id sine emendationis fructu: ut ex Annotatione et Animadversionibus nostris intelligetur.

§. 6.

De Latina Interpretatione Cruserii.

De hac pauca, quae dicam, habeo. HERMANNUS CRUSERIUS, Campensis Transisalanus, *Vitas* Latine a se versas edidit anno 1561, certe hic annus subscriptus est ejus Epistolae ad Lectorem, at ejusdem dedicationi ad Philippum II, annus 1564. Sed de *Vitis* hoc loco non agimus. *Moralium* Interpretationem non memorat FABRICIUS in Biblioth. Graec. vol. III, p. 372: ubi ejus

(*) Prolegomen. ad Longi Pastoralia, p. 73.

ejus memorandae erat locus. BURETTUS, editor libri de Musica, negat eam umquam fuisse (*). Sane est illa valde infrequens, nec ego eam vidi: cognovi tamen e descriptione ejus in Historia Bibliothecae Fabricianae, P. III, p. 66: praeterea memoratam inveni a BAILLETO (†): et a viro docto in Narratione de Vita et Scriptis MEZIRIACI (§): item in Catalogis Bibliothecarum quarumdam, cum aliarum, tum Francofurtanae, ubi duae perhibentur editiones, Basileensis an. 1573, et Francofurtana 1580. Ego carui ea, nec iniquo animo carui; quandoquidem de ejus utilitate conjecturam ex *Vitarum* Interpretatione feci: quae, ut probabilem habet Latinae orationis elegantiam, ita non eandem diligentiam in Auctoris sententia accurate reddenda: quod equidem non tam cum HUETIO (**) ab ignoratione Graecae Linguae, quam a nimio elegantiae studio profectum dicam. *Vitarum* Interpretatio, in Stephaniana, et tribus Graeco-Latinis editionibus repetita est: *Moralia*, non item repetita, ex hominum usu et notitia fere evanuerunt. (CRUSERII interpretationem Latinam postea nacti su-

(*) Memoires de l'Acad. des Inscriptions et Belles Lettres, T. VIII, p. 51.

(†) Jugemens des Savans, T. II. P. III, p. 365.

(§) Praemissa est Gallice scripto Commentario MEZIRIACI in Epist. Ovid. p. 14.

(**) Apud BAILLETUM, loco dicto.

sumus, nostramque de ea suspicionem confirmatam reperimus: ut diximus supra. Nil pertinet ad criticum usum.)

§. 7.

De Xylandri opera.

Sequitur ut de GULIELMO XYLANDRO dicamus, qui in Plutarchi interpretibus haud dubie censendus est princeps. Hujus opera tribus continetur partibus; Latina Interpretatione, seu, Versione: Annotationibus ad locorum cum corruptorum emendationem, tum difficilium explicationem, accommodatis: Graeca *Moralium* Editione. Harum partium quaeque quam vim habeat, deinceps exponamus.

Versionis duo sunt officia: primum, fides, id est, ut congruat exemplari: alterum, orationis bonitas, seu, Latinitas. Utroque officio cum laude functus est XYLANDER. Ac fidem quidem attulit eam quae cum ingenio ac doctrina conjuncta esset; ut Auctoris sententiam diligenter et accurate redderet in locis integris et sanis, probabiliter in corruptis et obscuris, quippe horum magnum numerum et emendavit et illustravit vertendo. Emendationes plerasque suo ipse peperit ingenio et usu Plutarchi. Scriptum codicem non adhibuit nisi unicum, ab EPISCOPIO acceptum, *Moralium* eos tantummodo libros complectentem qui in editis exemplis minus, quam reliqui, laborant. Qui qui-

quidem codex subinde ad emendandum profuit, et multis partibus consentit cum codice Parisiensi D, et ex communi fonte fluxisse videtur. Illud saepe miror, nullos a XYLANDRO adhibitos esse codices scriptos ex Bibliotheca Heidelbergensis Academiae in qua professorium gerebat munus; nisi forte codices Plutarchei, quos complures et bonos habuit illa Bibliotheca, post XYLANDRI obitum in eam illati sunt. Jam orationis est bonitas probabilis: in qua si Latinitas subinde negligitur, hoc totum a perspicuitatis studio profectum est. Hujus rei ipse caussam dicit ad LUDOVICUM Comitem Rheno-Palatinum, cujus nomini *Moralia* inscripsit: *Quo minus*, inquit, *curo eorum morositatem, qui nisi Ciceronianum, tersum, politumque, et nescio quo tandem instrumento limatum, nihil probant. Ego perspicuitati operam dedi, qua nihil debet esse antiquius interpreti. Verba usitata et diserte significantia multo malui suis locis adhibere quam obscurare studio nescio cujus Latinitatis res ipsas. Ausus sum etiam uti nonnumquam in philosophicis explicandis licentia confingendorum verborum, ut intelligi sententiae possent —.* Equidem hanc Versionem ita retinui, ut eam cum ad Plutarchi habitum compositionemque, tum vero ad Latinam rationem, et majorem etiam perspicuitatem, conformarem.

Annotationes primus Plutarcho adjecit XYLANDER. Earum numerus in *Moralium* volumine hinc aestimari potest, quod et breves sunt et minu-

nuto typorum modo excusae, et sex supra quinquaginta paginas formae maximae explent. Plurimae ad emendationem corruptorum locorum referuntur, pauciores ad illustrationem obscurorum. Utrarumque bonitas ac praestantia intelligitur ex ipsius facultate XYLANDRI, qui in omni Plutarcheorum librorum argumento egregie versatus, doctrinarum haud vulgarem scientiam mente complexus, valebat exquisita Graecae Linguae scientia et usu Plutarchi. Sed emendationes plurimas in Versione expressas, in Annotationibus non commemoravit; quod et per operis festinationem, et per quamdam animi modestiam, nollet singula quaeque bene facta, sigillatim etiam annotare et quasi ostentare. Quo minus quisquam dubitabit, insignem inesse in XYLANDRI hac opera copiam et apparatum ad Plutarchi manum ac scripturam restituendam.

Vitas edidit anno 1560; *Moralia*, anno 1570, et iterum 1572. Ergo poterat AMYOTI Versione uti, quam in praefatione *Vitarum* memorat. Poterat uti Stephaniana editione, quae anno 1572 prodiit et verno mercatu Francofurtum est allata; unde XYLANDER eam nactus cupide perlustravit, ejusque dotes sua ipse exspectatione minores deprehendens, ejusdem anni mense Augusto Versionem suam denuo edidit, additis tunc primum Annotationibus iis de quibus modo diximus, ita quidem ut e Stephaniana nil assumeret: quod ipse et affirmat, et vere affirmasse videtur. Neque, ab

ab AMYOTO quid eum accepisse et in Versionem Annotationesve suas retulisse, dicam.

Biennio postea, Basileae apud Episcopium, anno 1574, *Moralia* Graece edidit, jam ante vulgatam Stephanianam ab ipso ad editionem parata, ut testatur in praefatione ad Versionem Latinam iterum editam anno 1572.

Hujus Graecae editionis perpauca ad nostram aetatem pervenerunt exempla; sive quod ab initio non nisi pauca excuderentur, sive quod postea Stephanianorum et Graeco-Latinorum exemplorum multitudine ac frequentia obruerentur. Hanc quum et privatim diu, et publice, prodito ejus rei indicio in Bibliothecae Criticae Voluminis tertii, Parte secunda, frustra quaesivissem, ultro ad me Oxonio misit, is cui plurimum nostra editio debet, JOHANNES RANDOLPHUS, vir eruditissimus idemque humanissimus. Titulus hic est: ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ ΤΟΥ ΧΑΙΡΩΝΕΩΣ φιλοσόφων τε καὶ ἱστορικῶν ἐξοχωτάτου ΜΙΚΤΑ ΣΥΓΓΡΑΜΜΑΤΑ, ΗΘΙΚΑ τοῖς πολλοῖς λεγόμενα· PLUTARCHI CHAERONENSIS, *Philosophorum et Historicorum principis*, VARIA SCRIPTA, *quae* MORALIA *vulgo dicuntur, vere autem bibliotheca et penus omnis doctrinae appellari possunt. Incredibili cura ac labore, et fide summa multis mendarum millibus expurgata, Indicibus locupletissimis instructa*, a GUIL. XYLANDRO *Augustano, et inclytae ac florentiss. Basileae honoris gratia dedicata. — Cum privilegio Caesareae Majesta-*

statis ad annos X. BASILEAE *per Eusebium Episcopium et Nicolai Fr. haeredes* MDLXXIV. Addita est Epistola dedicatoria ad Civitatis Basileae Proceres Senatumque, ex qua intelligitur, ad hanc Graecam Editionem nova subsidia, praeter ea quae ad Versionem conficiendam adfuerant, a XYLANDRO adhibita esse nulla. *Itaque ergo*, inquit, *hunc Plutarchum nihil sum veritus meum appellare: cum totius operis praestantia meae potissimum curae, fidei, industriaeque debeatur: qui unam mendorum chiliadem expurgavi, et permulta vulnera sanavi, et ut lectores omnis generis eum haberent usibus suis accommodatum, ingenti molestissimoque labore effeci. Quo in negotio cum nihil esset a codicibus auxilii (Episcopianus enim neque semissem operis continet, et iis praesertim caret, qui et obscurissimi sunt et depravatissimi) necessario ad solicitae diligentiae opem confugi. Itaque volutari me oportuit per varios scriptores, varias disputationes omnium philosophiae partium excutere, versiones aliorum hinc inde editas perpendere et conjecturis multiplicibus inhaerere, ac propemodum τὰ πετώμενα, quod dicitur, διώκειν. Quae omnia eo alacrius obivi et sustinui, quod quasi fato quodam meo animadverterem Plutarcho me consecratum: cujus omnia scripta, quae ad nos pervenerunt, primus Latine cum reddidissem, etiam Graecorum emendationem me ei reipublicaeque debere existimavi.* Annotationes huic editioni nullae sunt additae; quod satis esse duceret XYL-

ANDER eas Versioni adjecisse. *Galbam* et *Othonem*, quos priores editiones *Moralibus* adjunctos habuerant, omisit; ut jam in Latina Interpretatione ex *Moralibus* ad *Vitas* eos transtulerat. Graeca Plutarchi scriptura emendatior reddita est receptis melioribus lectionibus multis, cum e codice Episcopiano, tum in primis correctionibus compluribus quae jam in Versione expressae erant: paucissimis, iisque levibus, in mutationibus cum Stephaniana editione consentit: quas utrum ab illa assumserit, an ex suo ipse apparatu expromserit XYLANDER, statuere non ausim: plurimarum certe et maximarum quae in explendis lacunis versantur, cujusmodi permultae sunt Stephanianae mutationes in *Symposiacis Quaestionibus*, rationem nullam habuit. Equidem Stephanianam editionem emendatiorem dicam; Xylandream sinceriorem; siquidem et *emendationis* nomine appellare liceat omnes mutationes quibus sententia et oratio melior aptiorque fit, quam antea fuit, non eas sólas quibus ipsa manus et scriptura Auctoris idonea probabilitate et auctoritate restituitur: et *sincerum* dicamus non solum id quod ita suis partibus constat ut ab Auctore profectum est, sed illud etiam in quo, quamquam corrupto, nil ab editore mutatum est, quum idonea probabilitas et auctoritas mutationis nulla exstaret. Habet tamen Xylandrea haud paucos locos emendatos, quorum vetus mendum retinuit Stephaniana.

Biennio post vulgatam hanc Editionem, id est an-

anno 1576, aetatis quinto et quadragesimo, mortuus est bonus XYLANDER; ut facile sit ad existimandum, quantam ejus obitu jacturam fecerint cum universae bonae Literae, tum vero Plutarchi scripta, interceptis secundis curis quas haud temere putes fructuosissimas futuras, quando priores curae tantam ubertatem abundantiamque habuerant. Ego sane si quibusdam in locis plus vidi XYLANDRO, hoc magnam partem ipsi debui XYLANDRO, qui viam ad Plutarchi intelligentiam primus posteris patefecit: debui etiam rerum mearum conditioni, quae mihi non eandem, qua ille tenebatur, festinandi necessitatem imposuit. XYLANDER si in eadem conditione fuisset, tantum effecisset ea, qua valebat, doctrina, ut, mihi quidem quod hac mea mediocritate in Plutarcho agerem nil relicturus fuisse videatur. Caeterum, alios Plutarchi editores et interpretes diligo, propter studii communionem: XYLANDRUM etiam amo, propter animi ejus candorem, probitatem, honestatem, quarum virtutum manifesta exstant indicia, cum in scriptis viri, tum in tota ejus vita. Accedit commiseratio, quae saepe, ut aiunt, conciliatrix est amoris. Doleo virum tam doctum, tam bonum, in tanta semper fuisse rei familiaris angustia, ut ne ipse quidem scripto eam ad omnium notitiam prodere dubitaret. Veluti in dedicatoria epistola ad LUDOVICUM Comitem Palatinum, ut ejus auxilium implorat, ut ejus liberalitatem omnibus precibus efflagitat: atqui tunc per

quatuordecim annos Professoris munus Heidelbergae gesserat. Quae liberalitas, sive fuit ulla, sive sera fuit, non valuit ad recreandum hominem afflictum; ut ipse significare videtur in Epistola ad Basileenses: certe fractis, per continuas aerumnas et nimias studiorum lucubrationes, corporis viribus, biennio postea diem obiit. Quo magis nostrum est, talis tantique viri, et in hoc Plutarcheo studio quasi decessoris ac doctoris nostri, memoriam cum benivolentia et grato animo usurpare.

§. 8.

De Stephani Editione Anni 1572.

Venimus ad Stephanianam Editionem, quae, ex quo prodiit, emendatissima Editionum habita est; ut ab eo inde tempore et nomen vulgatae et auctoritatem obtinuerit. Sane, multae in ea priorum Editionum corruptelae in melius mutatae sunt. Sed ut in corporum morbis Medici sanationem vocant non omne levamen quo aegrotanti meliuscule fit, sed illud quo sanitas restituitur: ita Critici emendationem appellant non omnem mutationem qua locus vitiosus melior fit quam antea fuerat, sed qua ita melior fit ut Auctoris scriptura restituta videatur. Atqui hanc laudem Stephanianae editioni non item tribuere possumus. Nam quum omnis emendationis duplex sit fons, ve-

veteres libri et conjectura, ac STEPHANUS utroque sit usus; quid ab utroque sumtum sit raro memoratur; mutationes multae nulla idonea de caussa receptae; plurimae, nulla in Annotationibus facta mentione: libri veteres non diserte ac perspicue ad legentium notitiam significati ac designati, sed universe et obiter, si quando, *veterum librorum* nomine notati, ut totus hic in Stephaniana Editione fons dubiam et obscuram habeat auctoritatem. Sed haec quo plenius accuratiusque intelligantur; primum de externa, tum de interna, libri ratione ac dote dicamus.

Prodiit haec editio Genevae, anno 1572, forma octava, tredecim voluminibus: quorum sex sunt Graeca, ut prioribus tribus contineantur *Moralia*, posterioribus *Vitae:* septem reliqua sunt Latina, tria *Moralium*, quatuor *Vitarum;* nam quarto in volumine sunt *Vitae* ab aliis Latine scriptae, *Hannibalis* et *Scipionis* a DONATO ACCIAJOLO, tum a Cornelio Nepote quae supersunt, denique *Julii Agricolae* auctore Tacito. Accedunt in eodem volumine duo libelli Animadversionum ad *Vitas;* prior XYLANDRI et CRUSERII in unam seriem conjunctarum ad quemque Plutarchi locum; alter, STEPHANI. Sed de *Moralibus* hic peculiariter dicendum. His praemittitur praefatio totius editionis; at nil dicitur de ejus consilio et subsidiis librorum. Ordo *Moralium* libellorum novus est ac diversus ab Aldino ac Basileensi: alius etiam in Latinis: neuter cer-

to judicio factus, sed e tempore natus, ut STEPHANUS, prouti cujusque libelli emendationem absolvisset, ita eum chalcographo excudendum daret. *Galba* et *Otho*, licet jam a XYLANDRO in Latina interpretatione ad *Vitas* relati, in *Moralibus* relicti sunt. Graecum ordinem, licet nullo judicio factum, nos tamen cum judicio secuti sumus. Latinae Interpretationes paucae sunt XYLANDRI: pleraeque priorum interpretum, quas infra memorabimus in *Indice subsidiorum ad unumquemque libellum a nobis adhibitorum.* In fine tertii voluminis Latini est Index Rerum et Hominum accommodatus ad numeros paginarum Latinae Interpretationis. Indici subjiciuntur Annotationes STEPHANI a pagina 137 ad 215, ad nonnullos *Moralium* libros: illarum non nisi quadraginta fere paginae constant notatione emendationum: reliquae continentur Interpretationibus Latinis quorumdam libellorum *Moralium* a STEPHANO factis. Harum omnium Stephanianarum scriptionum series et argumenta haec sunt: *Plutarchi de Virtute et Vitio liber: De Carnium Esu, duo libri: In eosdem Annotationes: Liber de Amicorum Multitudine: In eundem Annotationes.* Porro *Annotationes in librum de Virtute et Vitio, in Apophthegmata Lacaenarum, in librum qui inscribitur Virtutem doceri posse, in librum De Invidia et Odio:* denique *in Quaestiones Symposiacas.* Proxima est STEPHANI admonitio de hac editione et emendationibus suis. Adduntur postre-

mo loco sparsim miscellaneae paucae animadversiones de vita, rebus, scriptis, Plutarchi; et Index ille Plutarcheorum librorum, qui postea sub Lampriae nomine repetitus est in Graeco-Latinis Editionibus ex HOESCHELIANO exemplo auctiore. Sed admonitionem illam hoc loco referre operae pretium est: *Haec sunt, Lector, quae in aliquot Plutarchi opuscula in Latinam linguam a me versa, pariterque in Symposiaca Problemata, annotare visum est. In reliqua nihil nunc annotavi, non quod in ea aut saltem eorum pleraque nullas ex veteribus libris vel ex conjectura emendationes haberem, praeter eas quae ipsi, ut vulgo loquuntur, contextui adhibitae fuerunt, sed quod multo plurium et meliorum spes mihi facta esset: quae si non vana fuerit, non minus illas quam istas tecum communicabo: simulque et aliorum quorumdam opusculorum interpretationes iis quas nunc edo, fortassis etiam aliquid lucubrationum in hunc scriptorem adjungam. Interim autem si meam editionem cum superioribus conferas, tuo desiderio magna ex parte jam nunc satisfactum esse, nisi me animus fallit, dicturus es.* Haec satis produnt, totam hanc Editionem subiti ac tumultuarii fuisse consilii. Quum ex octoginta fere libellis non nisi quinque sint quibus Annotationes addiderit, in his ipsis factas a se mutationes plerasque silentio praeteriit, nec nisi de iis dixit quas, praeter illas, adhuc faciendas judicaret. Nam de iis quae factae sunt in reliquis omnibus libellis *Mo-*

ralibus quibus nullas addidit Annotationes, de iis igitur mutationibus cum sigillatim nil monuisse, per se intelligitur.

Equidem viam, quae una mihi relinquebatur hujus indagandae notitiae, ingressus, tractatione Editionis Stephanianae, ejusdemque cum caeteris Editionibus, variarum lectionum Collectionibus, et codicum scriptorum excerptis, comparatione, satis mihi certa ratione comperisse videor unde et quibus e fontibus manaverit haec Stephaniana scripturae Plutarcheae constitutio.

Ac primo quidem illud omni dubio caret, STEPHANUM secutum esse ac reddidisse Aldinam Editionem, ejusque exemplum mendis quoad ejus fieri poterat purgatum chalcographo recudendum tradidisse. Nam, ut omittam, quod vel per se solum intelligenti cuique haud levem moveat suspicionem, Aldinas paginas editioni Stephanianae ad marginem appositas esse: typographica nonnulla menda, quae STEPHANI diligentiam in corrigendo Aldino exemplo effugerant, in Stephaniana editione relicta repetitaque sunt: veluti p. 244, A, *συγκατῴνησαν* pro *συγκατῴκησαν*· p. 535, F, *ἡ Λύσις* pro *ὁ Λύσις*· p. 689, E, *μὲν αἰτίαν* pro *τὴν αἰτίαν*. Haec ex multis tria sufficiunt; quippe quae, quum in Basileensi correcta sint, manifesto produnt non hanc sed Aldinam a STEPHANO repetitam esse. Accedunt alia etiam argumenta. STEPHANUS plurimas, quas in *Moralium* contextum intulit, mutationes sumsit ex Jannotianis,

Tur-

Turnebianis, ac Schotti correctionibus. Atqui hae adscriptae erant exemplis Aldinis. Ergo, si laboris ac temporis compendium, ut credibile est, facere voluit, ita egit ut has correctiones aut relinqueret in Aldino exemplo, si quidem instructum iis ad usum repetitionis chalcographicae nactus erat, idque locupletaret suis et aliorum aliis correctionibus: aut, si tantummodo apographum Jannotianarum correctionum seorsim descriptum habebat, eas potius in Aldinum quam Basileense exemplum transcriberet.

Sed, quod diximus, plurimas mutationes a STEPHANO in *Moralia* Graeca illatas esse ex Jannotianis correctionibus, demonstrat mirificus utrarumque consensus omnibus in locis cum probabiliter tum perperam mutatis. Ex hoc postremo genere locos hic excitemus. Illustre exemplum protuli supra, Capite II hujus Praefationis, ex libello Περὶ τοῦ Λάθε βιώσας, p. 1130, D, quod hic repetere nil attinet. Alia exstant non minus illustria.

De Solertia Animalium, p. 990, B, vox ὄνομα perperam in ἀνόμοια mutata, ex Jannotiano maxime exemplo.

De Facie in Orbe Lunae, p. 941, D, Editiones Aldina ac Basileensis, item codices scripti nostri habent, ἐξεῖναι μὲν γὰρ ἀποπλεῖν οἴκαδε τοὺς τῷ θεῷ τρισκαιδεκάτῳ συλλατρεύσαντας. LEONICUS in margine exempli sui Aldini illud τρισκαιδεκάτῳ corrigere tentavit adscripta hac notula τρισκαίδεκα ἔτη

ἢ τριάκοντα· STEPHANUS non animadvertens particulam ἢ illud sibi velle alterutro modo corrigendum esse, utrumque cum ipsa particula ἢ, ut veram lectionem, in contextum intulit.

Ergo principem Stephanianae lectionis fontem censeo Aldinum exemplum correctionibus Jannotianis instructum: reliquos fontes, reliquos appello libros unde Stephanus correctiones sumsit suas. Igitur secundo loco ponenda videtur SCHOTTI Collectio; quippe cujus permultas lectiones in toto *Moralium* Opere a STEPHANO receptas deprehendi. Tertio, Exemplum Turnebianum, praesertim in *Symposiacis Quaestionibus*; quibus non alius Plutarcheus liber magis mutatus est a STEPHANO, susceptis plurimis et lectionibus et lacunarum supplementis, quae in uno notata Turnebiano Exemplo, et ab AMYOTO versa deprehendimus. Quarto loco censenda est Interpretatio Gallica AMYOTI. Hujus mentionem facit in Annotationibus ad *Vitas*, p. 463: *Caeterum*, inquit, *earum quae in contextum receptae fuerunt emendationum et aliarum etiam*, *quas in Annotationibus habes*, *pleraeque in doctissima et elegantissima interpretatione Gallica observatae fuerunt*, *ex iisdem exemplaribus petitae.* In *Moralibus* nil hujusmodi dicit; potuit tamen AMYOTI Interpretationem, sive jam editam, sive nondum editam, certe apparatum ejus, consulere. Quinto loco memoranda est Basileensis editio, non quidem ut omnes ejus meliores lectiones reciperet;

ret; sed ut eam, negligentius quidem, adhiberet tamen multis locis. Veluti neglectae exemplum exstat *De Fortuna Rom.* p. 326, A; ita legitur in Aldina: Ἀλλὰ τί δεῖ περὶ ταῦτα διατρίβειν; ἀσαφὲς οὐδὲν οὐδὲ ὡρισμένον ἔχει. STEPHANUS, ut saltem quid daret quod sensum haberet, exhibuit σαφὲς pro ἀσαφές. At veram lectionem Basileensis jam dederat ἃ σαφὲς, quacum nostri consentiunt scripti. Sunt vero etiam plurima exempla neglectae utriusque cum Aldinae tum Basileensis, et falsae simul inductae correctionis. Veluti ubi vitiosae sunt priores editiones, *De Iside et Osiride*, p. 583, F, κινούμενον δεῖ ὡς, quod omnes libri habent, STEPHANUS, ut sententia saltem quaedam exstaret, mutavit in κινούμενον ὡς δεῖ· at vera lectio obliterata erat κινούμενον λείως, quod etiam REISKIUS viderat. Ubi sanae sunt priores editiones, tamen aliquoties aut corruptela aut falsa correctio inducta reperitur: ut *de Sera Numinis Vindicta*, p. 548, B, invectum est ἐὰν pro ἐᾷν· et p. 556, A, Οἰνοῦς pro Ἰνοῦς.

Paucae sunt Stephanianae lectiones quin eas ex quinque illis modo memoratis fontibus petitas intellexerim. Exempla ac documenta nostri judicii, unaquaeque fere nostrae Editionis pagina iis qui plura desiderent, praebebit. Nam sedulo operam dedi ut nec verbum, nec syllaba, nec una adeo litera in hac nostra Graeci Operis Editione exprimeretur, quin de iis mihi constaret utrum a STEPHANO aliisque correctoribus an ab antiquis libris essent profe-

fectae, et qualem omnino quantamque haberent auctoritatem. STEPHANUS nullam rationem ducebat, ex librisne scriptis an conjectura manaret nova lectio; modo probabilis videretur. Veluti illa lacunarum supplementa in *Symposiacis* maximam saepe habent verisimilitudinem, saepe ejusmodi sunt, ut eorum loco alia longe verisimiliora excogitari possint. Quare in eam inducor sententiam ut credam illa supplementa ex ingenio TURNEBI fluxisse; praesertim quum in istis lacunis nostri codices scripti, quos et complures et antiquos adhibuimus, consentiant.

Igitur eorum, quae diximus, summa et conclusio haec est: STEPHANUM multos locos bene correxisse, multos perperam mutasse, utrorumque locorum ac fontium diserta significatione omittenda scripturam Plutarcheam dubiam reddidisse. Neque vero secus factorum reprehensio laudem bene factorum apud nos obruere debet. Quod contra solent multi qui nostra aetate Graecorum Auctorum scripta post STEPHANUM edunt: quorum in praefationibus jam fere loci communis frequentiam obtinuit STEPHANI reprehensio, ut pauci sint quin eum male mulctatum dimittant ac notatum crimine jactantiae, malae fidei, fraudis. Equidem in Plutarchea illius opera nil istiusmodi agnovi. Si quid perperam fecit, ignoscere debemus et compensare aliis magnis multisque viri laudibus: fecit enim partim consuetudine saeculi sui, quo conjecturae et codicum lectiones eandem auctori-

ta-

tatem habebant, earumque receptarum commemoratio non tanta, quanta nostro saeculo, religione coleretur a Criticis: partim fecit festinatione ac studio rei gerendae ac multorum Auctorum editionibus de bonis Literis bene merendi. Fuit enim hic vir unus omnium idem et laboriosissimus et efficacissimus et eruditissimus, qui plures Auctores antiquos tractavit et edidit, quam isti reprehensores legerunt, plura scripsit, quam isti fando audiverunt, majorem doctrinam animo perceptam tenuit, quam isti suspicione attingere potuerunt. Nobis, post eum idem spatium ingressis, non illaudatus abibit: eaque nobis erit laudatio et frequens in hoc opere et verissima, ut viri bene dicta ad legentium cognitionem proponamus et celebremus, secus dicta, si quidem memoranda videantur, memoremus sine superbia et ostentatione, ut illis erudiantur legentes, his admoneantur.

§. 9.

De tribus Editionibus Graeco-Latinis. A. 1599, 1620, 1624.

Stephanianus contextus deinceps propagatus per tres Graeco-Latinas Editiones tantam assecutus est auctoritatem, ut solus certus et germanus haberetur. Continentur hae Editiones duobus voluminibus formae maximae, quorum primum est *Vitarum*, additis jam *Vitis Galbae* et *Othonis*:

al-

alterum, *Moralium.* De hoc nobis nunc dicendum.

Prima prodiit *Francofurti, apud Andreae Wechelii heredes, Claudium Marnium et Joannem Aubrium, Anno* 1599. Graeco contextui Stephaniano iisdem paginis, interiore latere apposita et continuata est Latina XYLANDRI interpretatio, ab illo saepe dissentiens, modo in meliorem, modo in deteriorem partem, certe ita facta ut Xylandreo contextui Graeco anni 1574, non Stephaniano accommodata esset. Ad calcem Graeco-Latini operis, accedunt Notae XYLANDRI, sed ordine librorum Aldino et Basileensi, quem ipse XYLANDER in Latina interpretatione et Graeca Editione secutus erat: quae diversitas ordinis perquam est molesta legentibus Plutarchum et inter legendum subinde Notas XYLANDRI consulentibus. Sequuntur STEPHANI Annotationes illae de quibus supra diximus. Subjicitur Index variarum lectionum ex editionibus Aldina et Basileensi, item ex libris T. V. B. P. id est, TURNEBI, VULCOBII, BONGARSII, PETAVII. Hoc variarum lectionum apparatu quum aliquantum ad emendationem Graeci contextus profectum sit; operae pretium est exponere cujusmodi sit et quibus ex fontibus fluxerit. Primum igitur ea referemus quae ab ipsis Editoribus monita reperimus: tum ea, quae nostro ipsi usu observavimus, subjiciemus. Indici haec est praefixa inscriptio: *In Plutarchi Chaeronensis Opuscula Variae Lectiones. Lectori.*

ri. Varias Lectiones addidimus, quae, partim ex doctissimorum virorum, Turnebi videlicet, Vulcobii et Bongarsii codicibus, prout eas in margine annotaverant: partim etiam ex codicum Aldinae et Basileensis Editionis cum hoc nostro collatione fideliter sunt excerptae. Eas tibi examinandas proponimus. Quanto autem tibi sint futurae usui penes te esto judicium: ex ipsa enim lectione percipies. Literae hae majusculae T. V. B. Turnebum, Vulcobium, et Bongarsium indicant: haec vero, cod. Ald. et Bas. codicem Aldinum et Basileensem. — Accessit his codex msc. notae optimae ab amplissimo et humanissimo viro Paulo Petavio in senatu Parisiensi Consiliario regio, qui opuscula aliquot Moralium continebat. Ex eo variantes lectiones his Notis inseri curavimus sub nota P. Utere, Lector, et fave. Huic Indici subjungitur alius isque brevis Index duarum paginarum ac dimidiae: cujus hic est titulus: *Sequuntur quaedam inter Tomi hujus posterioris excusi cum exemplari Petavii manuscripto collationem, observata, lectori non inutilia futura. Continent enim cum mendarum quarumdam typographicarum correctionem, tum judicium de locis quibusdam aliter legendis.* At mendarum quidem typographicarum minima pars correcta est: nec judicia de locis quibusdam aliter legendis, quidquam magnopere habent exquisiti ac diligentis judicii. Alia etiam de hoc argumento proditur notitia in Editorum Cl. MARNII et JO-

AU-

AUBRII ad VULCOBIUM praefatione quae in principio voluminis *Vitarum* exstat: cujus praefationis initium, ut quaestioni propositae accommodatum, hec loco reponendum est: *Amplissimo viro, Dn. Joanni Vulcobio in Sacro Consistorio Regis Christianissimi Consiliario et apud Caesarem Exlegato S. D. Plutarchum tibi cum inscribimus, Vir Amplissime, tuum tibi reddimus. Quidquid enim est nostra in editione praecipuum, tuum id est. Codices tu nobis, ad veteres manuscriptos diligentissime comparatos ultra obtulisti tuos; impetrasti alienos: nempe a Cl. viro Lodoico Servino, fisci regii in senatu advocato, viro et literis et Reip. a Deo dato: ab Stephano Turnebo senatore; ab Joanne Pelerino Professore regio: quorum magni merito Turnebi, ille nomen, filius; hic cathedram, professionis successor, possident. Contulit interim et Jac. Bongarsius, elegantissimum manu exaratum exemplar bonae partis opusculorum, quae dicunt Moralia, ab Amplissimo Viro, regio item senatore, P. Petavio, et Aldinum suum, cujus in ora variae ex MSS. lectiones.*

Haec ab ipsis Editoribus exposita, cujusmodi re ipsa et facto sint satis equidem cognovisse mihi videor usu ac tractatione Editionum codicumque scriptorum Plutarchi.

Igitur illi libri Ald. Bas. T. V. B. P. collati sunt non ad exemplum Stephanianum, sed ad hanc ipsam Francofurtanam. Hoc et ipsi dicunt Editores,

res, et apparet multis ex locis. Variae lectiones illorum librorum perquam sunt mendose expressae in Francofurtano hoc Indice: lectiones plurimae eaeque gravioris momenti, omissae. Utrumque intellexi comparatione librorum eorum, quorum mihi aderat copia, *Aldini*, *Basileensis*, *Turnebiani*. Multis etiam locis omissa est nota libri e quo lectio petita est. *Basileensis* liber est editio anni 1542; nam secundam Basileensem, id est, Xylandream anni 1574 ignorasse videntur Editores. De *Turnebiano* libro supra exposui; hujus lectiones ab Aldina dissentientes, quas STEPHANUS jam in contextum receperat, in hoc Indice omissae sunt: illae tantum quas STEPHANUS non receperat, memorantur, omissis tamen et harum plurimis. *Bongarsianus* habet ille quidem bonas lectiones, sed consentientes fere cum reliquis codicibus hujus Indicis; ut nulla ejus propria ac peculiaris censenda sit dos. Nisi nota B apposita esset lectionibus multo plurium libellorum *Moralium* quam octo eorum qui sunt in Bibliotheca Bernensi, in quam libri Bongarsiani pervenerunt, dicerem eadem esse exempla et Bernensia et Francofurtani Indicis. Sed hoc cujusmodi sit, exquirere nil attinet; quando plenior ille et elegantissime scriptus codex haud peculiare emendationis momentum attulit.

Vulcobianus nec ipse, nec ejus dominus, aliunde mihi quam ex hac Editione innotuit: variae ejus lectiones maximam partem cum Jannotianis consentiunt, et ab iisdem fontibus manasse viden-

tur. Sed quandoquidem Turnebianum Exemplum; quid ex codicibus quidve ex conjectura habeat non satis constat: at Bongarsianae, Vulcobianae, Petavianae lectiones ejusmodi sunt, ut liquido appareat eas ex veteribus codicibus sumtas esse: ex tribus his libris plurimum tribuam auctoritatis *Petaviano* bonarum lectionum copia, quippe quarum longe maximam partem optimorum consensu codicum, quibus ipse primus Editorum usus sum, confirmatam deprehendi. Neque vero quod in praefatione libelli *de Sera Numinis Vindicta* suspicatus sum, idem est atque Vossianus, quem ex Bibliotheca Lugduno-Batava habui. Fuit quidem uterque PAULI PETAVII: sed hic, cum Francofurtanis Editoribus communicatus, cum antiquior videtur, tum vero plures et Plutarcheos libellos et bonas lectiones continet.

Ergo minime contemnendus est hic variarum lectionum Index, nec abjiciendus tamquam farrago quisquiliarum, ut facere ac dicere nonnulli solent. Sed hi fere sunt ii qui subito editionis emendationisve consilio in hunc Indicem tamquam in segetem se conjiciunt ubi pabulentur ac brevissimo tempore collectam scriptionis materiam auferant. Enimvero campus hic est horridus et incultus ubi sub herbis ac spinis lateant semina, quae cum judicio delecta et curata, haud contemnendum ferant emendationis fructum. Haec Editio bis deinceps repetita est, eodem exemplo, eodem paginarum ac versuum numero, eadem typorum for-

forma; nisi quod utraque repetitio aliquid novae accessionis habuit.

Prima repetitio facta est, *in officina Danielis ac Davidis Aubriorum et Clementis Schleichii, Francofurti, anno* 1620. Omissa est, in meo quidem exemplo, praefatio ad VULCOBIUM: ejusque loco alia addita ad Senatum Civitatis Francofurtanae. Additus est etiam, nimirum ut haec Editio priorem aliqua dote superaret, spurius, qui sub Plutarchi nomine fertur, libellus *de Fluminibus*, cum *Maussaci Notis* et *Judicio de Plutarcho et ejus scriptis*. In hoc Judicio, quod praefationis instar Notis praemittitur, docta quidem est loquacitas, judicium, criticum certe, valde mediocre. Prodierat haec MAUSSACI editio, cum *Vibio Sequestro*, ac *Psello de Lapidibus*, Tolosae 1615.

Altera repetitio prodiit Parisiis anno 1624: addito JOANNIS RUALDI libro *de Vita Plutarchi* et *Animadversionibus* ejusdem in Plutarchum; ut scilicet haec etiam repetitio priorem nova quadam accessionis laude obrueret. Quis huic repetitioni adornandae a bibliopolis fuerit praefectus, utrum ipse RUALDUS, an alius homo doctus, equidem nescio: REISKIUS RUALDUM fuisse suspicatur: quod ego nullo adhuc satis idoneo documento judicare potui. Multa habet vanitatis et ostentationis indicia haec repetitio. Titulus, quatenus mutatus est, sic habet: — *Ejusdem Plutarchi liber de Fluviorum Montiumque nominibus, antehac non editus: cum versione et notis Maussaci.*

 Ac-

Accedit nunc primum Plutarchi Vita ex ipso et aliis utriusque linguae Scriptoribus, a Joanne Rualdo collecta digestaque. Ejusdem Rualdi Animadversiones ad insignia Plutarchi σφάλματα sive lapsiones II et LXX. Lutetiae Parisiorum. Typis Regiis, apud societatem Graecarum Editionum MDCXXIV. In eodem titulo exstat imago Plutarchi, scilicet! chalcographico picturae artificio expressa; inficetum negotium et ploranti monacho simillimum. Sequitur imago Ludovici XIII, equo insidentis et hostes in pugna sternentis. Tum vero etiam Dedicatio, *Francorum et Navarraeorum Regi Christianissimo Ludovico XIII, Justo, Invictissimo, semper Augusto:* plena mendacissimae adulationis: subscriptum est in fine nomen bibliopolae *Tuae Majestati addictissimus, humillimus ac fidelissimus subditus, Antonius Stephanus, suo et Societatis nomine.* Quid quod ipse titulus in loco de MAUSSACO duplex mendacium jactat? quum libellum de Fluminibus *antehac non editum* prodit; qui jam superiori repetitioni adjectus, prius editus erat, nec tamen primum ab ipso MAUSSACO. Jam hoc festivum est, sed tamen isti cum priore repetitione commune, quod in *Moralium* volumine ille minor index mendorum typographicorum emendationumque addititiarum simpliciter denuo redditur; qui omitti debuerat, suo quibusque loco mendis corrigendis et emendationibus apponendis. Jam vero menda typographica in quavis deinceps repetitione non quidem omnia sunt

sunt relicta, nec tamen omnia sublata, immo novis etiam aucta.

Stephanianus contextus aliquot locis in duabus prioribus Graeco-Latinis, multis in postrema, mutatus, partim meliorem in scripturam, partim deteriorem. Veluti, p. 322, B, pro Καντaύρων, omnes tres Κενταύρου, perperam. P. 448, D, συνεπιδόντος, pro συνεπιδιδόντος, omnes tres, errore. P. 520, B, προφέρουσιν, pro περιφέρουσιν, postrema, male. P. 616, A, τῷ δὲ ἕκαστον, pro τὸ δὲ ἕκαστον, tres, recte. P. 678, E, κλήσεις, pro κλίσεις, tres, recte. P. 679, B, τραγῳδίαι, pro τραγῳδία, tres, male. P. 869, E, ἦν πῶς, pro ἦν κως, postrema, male. P. 897, A, τὸ δ' ἀπὸ γῆς, pro τὸ δ' ἀπὸ τῆς, postrema, recte. P. 901, C, ἐκ τοῦ κατόπτρου, pro ἐκ τῆς κατόπτρου, postrema, recte. Ibid, E, τὸν παρακείμενον, pro τὸ παρακείμενον, postrema, recte. P. 921, D, ἐπιτυγχάνειν, pro ἐπιθιγγάνειν, postrema, errore. P. 939, συμφέρεσθαι, pro συμφύρεσθαι, tres, recte. P. 962, B, Σωκράτεις, pro Σωκράτους, postrema, recte. P. 995, A, ἃ ἐσθίουσι, pro ὡς ἐσθίουσι, postrema, temere. P. 1048, E, κατ' ἀρχὴν, pro κατ' ἀρετὴν, tres, temere. P. 1052, B, κατὰ τὸν αὐτῶν λόγον, pro κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, tres, errore. P. 1142, F, ἐν μούσοις postrema mutavit in ἐν μέτροις, temere.

Haec ex multis pauca: unde apparet duas posteriores non e Stephaniano sed priore Francofurtano exemplo expressas esse. Postrema quidem plus si-

bi licere putavit in mutando Graeco contextu; quod non reprehenderemus modo cujusque mutationis mentionem fecisset, et auctoritatem prodidisset: nam quod Latinam interpretationem saepissime corrigendo pervertit, est illud quidem minoris negotium religionis, sed tamen temeritatis nomine vehementer culpandum.

JOANNIS RUALDI scriptio paginas explet 150: eaque bipertita est, ut prior pars *Vitam Plutarchi* contineat paginis 66, reliqua *Animadversiones*. De vita, rebus, scriptis, RUALDI nil mihi innotuit, nisi quod ex ejus praefatione, et conjectura aliunde ducta, suspicari licet. Quod quale sit, nil attinet hoc loco explicare. Haud contemnenda in homine apparet scientia Antiquitatis et Historiae in primis Romanae; Graecorum etiam auctorum lectio, et linguae intelligentia probabilis, nec tamen illa ad Criticam rationem exacta; multa loquacitas et alienarum a proposita quaestione rerum jactatio. Atque haec quidem in utraque scriptionis parte insunt. In Animadversionibus vero etiam maxima reprehendendi non solum voluntas, sed etiam cupiditas; ut reprehensionis et occasionem dedita opera quaesivisse, et materiam ipse sibi subinde finxisse videatur, quum Plutarchi verba prius interpretando in alienam sententiam detorquet, quam deinde eo facilius refellat. De istis Plutarchi reprehensoribus semper mihi placuit quod RUHNKENIUS noster dicere solet, *Odi censores nimium nasutos*. Sed hunc lo-

cum

cum non est quod nunc latius persequamur; quandoquidem subinde nobis et attingendus et tractandus erit in Animadversionibus et Narratione de Vita et Scriptis Plutarchi: quas huic nostrae Editioni adjicere constituimus, modo vires nobis et vitae usum concedat Deus. (De rebus et vita JOANNIS RUALDI nec in aliorum libris, nec ex eruditissimis Parisinis, quid resciscere potuimus.)

Caeterum praeter illas de quibus diximus tres Graeco-Latinas Plutarcheorum operum universorum Editiones, FABRICIUS Biblioth. Gr. vol. III. p. 371, mere Graecam Francofurtanam memorat his verbis, *Plutarchus eleganter et emendate editus, Francofurti, 1605, fol. apud Wechel.* Eandem memorat BURETTUS in Disputatione de libro de Musica, Memoriar. Academiae Inscript. t. VIII. p. 41: sed is quidem, ni fallor, magis FABRICII auctoritate, quam sua ipse experientia. Ego nec ipse eam vidi, nec ab alio quoquam, praeter illos, mentionem ejus factam comperi; ut nondum mihi liqueat, verene illam esse et exstare, an errore et falso ferri, dicam. Sed hoc cuicuimodi sit, ea, ut interjecta tribus illis Graeco-Latinis, non peculiarem quamdam emendationis dotem habere, sed mere repetitio Stephaniani contextus esse, videatur.

§. 10.

De Bacheti Meziriaci emendationibus.

Jam licet ad emendatam scripturam Plutarcheorum librorum non magnopere profectum esset, exempla tamen eorum adeo erant multa, adeo frequentia, ut ab illo tempore ad nostram aetatem nemo bibliopola novam Editionem, Graecam quidem, universorum Operum moliri auderet, et viri docti si qui hoc agitarent, ob eandem caussam ab incepto desisterent. Ergo ad vertendum in vulgares linguas Plutarchum nonnulli se dederunt. Sed horum, quod equidem sciam, non nisi duo fuerunt qui aliquid incrementi adferrent emendationi ac scripturae, uterque Gallus, CLAUDIUS BACHETUS MEZIRIACUS, et ANDREAS DACERIUS. Ac de DACERIO, quando non nisi *Vitas* vertit, non est quod hoc loco dicamus. MEZIRIACUS utrumque agitavit, neutrum perfecit, sed tamen ea in commentariis scriptis annotata reliquit, ut haud postremo sit loco ponendus in *Moralium* Plutarcheorum emendatoribus. Fuit hic excellens doctrina vir, omnis Antiquitatis et Historiae item Philosophiae peritissimus, Graecae linguae accurate intelligens, fabularis rationis, seu Mythologiae, omnem omnino copiam et ambitum mente complexus: huc accedebat egregia rerum Mathematicarum scientia, ut haud sciam an nemo post

post eum in utroque genere tantum valuerit. Testis est Diophanti Editio, testis Commentarius in Ovidii Epistolas, testis Narratio de consilio ac specimine novae Interpretationis Gallicae operum Plutarcheorum: testes sunt aliae multae eaeque eruditissimae scriptiones, partim repetitae partim memoratae in editione Commentarii Ovidiani facta Hagae anno 1716. Sed quod ad Plutarchum spectat, ejusmodi est. MEZIRIACUS anno 1635 lectus Academiae Francicae recens institutae sodalis, ex lege Disputationem in Sodalium conventu legendam scribere aggrediens, argumentum sibi sumsit *de Interpretatione* (*), id est de bonae Versionis officio: qua in Disputatione Versionem AMYOTI recenset, innumerabilia ab eo vitia admissa, docte accurateque ostendit: seque ipse Plutarchi Opera denuo Gallice redditurum profitetur. Hoc ejus consilium irritum fecit immaturus obitus anno 1638, aetatis, ut videtur, quinto supra quadragesimum. Emendationes ejus et Animadversiones adscriptae tribus *Moralium* voluminibus editionis Stephanianae exstant inter libros ISAACI VOSSII in Bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae, sub numero 164. MEZIRIACI has esse Emendationes in Catalogo illius Bibliothecae scriptum est: nomen viri in ipso libro nusquam adscriptum deprehendi. Vere tamen MEZIRIACO eas tribui, haud temere colligere mihi videor, ex

(*) *Discours de la Traduction.*

ex ipsarum ratione atque argumento: nam et acuminis eam habent formam quae in aliis MEZIRIACI conjecturis apparet, et subinde referuntur ad locos Mathematicos et Mythologicos. Maximam correctionum partem ab ingenio et conjectura profectas existimem. Est tamen ubi *librum veterem* appellat: veluti p. 466, B, in supplemento loci Menandrei, quod supplementum item notatur in Collectionis Jannotianae exemplo MURETI. Aliis locis adjectae sunt literae *l. v.* quibus utrum *liber vetus* an *liber Vaticanus* significetur incertum est. At p. 797, C, pro μὲν, ἐκράτει, notat lectionem Μενεκράτει addito diserte *lib. Vat.* quae item lectio in Jannotianis exstat. Libros scriptos veteres nondum habuisse videtur MEZIRIACUS illo certe tempore quo hanc disputationem in Sodalium conventu legendam conscripsit, ut ipse quidem sub finem disputationis prodit. In libris Plutarcheis quibusdam nil annotationis adjectum reperitur: hi sunt, *De Fato*, *De Genio Socratis*, *De Vultu in orbe Lunae*, *De Animae Generatione*, *Epitome ejusdem:* is *De Musica* non nisi unicam habet notam. Atqui in hunc librum BURETTUS (*) testatur se habuis-

(*) Memoires de l'Acad. des Inscriptions et Belles Lettres, T. VIII, p. 41, dicit secum fuisse communicatum — „le fameux et précieux Manuscrit des Notes de „ MEZIRIAC sur Plutarque: Manuscrit, dont on a tant „ parlé, et qui fait aujourd'hui partie du Cabinet de „ Mes-

buisse longe pleniorem MEZIRIACI Commentarium; qui an in caeteris libellis Plutarchi locupletior sit nostro exemplo, definire non ausim. Illud quidem vellem fecisset BURETTUS, ut MEZIRIACI correctiones notasque non paucis locis universe memorasset, sed descriptas diserte pleneque exhibuisset: vellem etiam SEVINUS et SALLERIUS, quorum opera in nonnullis Plutarcheis libellis versata est, quandoquidem ipsos illius Commentarii dominos prodidit BURETTUS, eum ad doctorum hominum cognitionem vel memorando vel excerpendo celebrassent. Nunc, quando non satis certa videtur esse de locupletiore apud duumviros illos servato scripto, nos Vossia-

„ Messieurs les Abbés SEVIN et SALLIER. Comme CLAUDE GASPARD BACHET DE MEZIRIAC non-seulement excelloit dans la Littérature Grecque, mais qu'outre cela il étoit un Mathématicien du premier ordre, il semble réunir dans sa personne toutes les conditions requises pour fournir un excellent Commentaire au Dialogue sur la Musique. Ses Remarques sur cet Ouvrage sont au nombre de près de quatre vingt, et autant que j'en ai pu juger en les parcourant (car elles sont écrites d'un caractere si fin et si mal formé, que ce n'est pas un médiocre travail que d'en pouvoir déchiffrer quelqu'une) il y en a plusieurs qui roulent sur la correction du texte Grec, précisément dans les passages qui présentent les grandes difficultés par rapport à la théorie de l'ancienne Musique."

siano contenti fuimus exemplo; idque multis locis medelam ac lucem attulisse, plurimae in nostra Editione paginae ostendunt.

§. II.

De iis qui postea fuerunt, praecipue de J. J. Reiskio.

Fuerunt deinceps in Gallia qui Plutarchum edere, certe animadversionibus emendare atque illustrare, possent, eruditissimi viri quorum cum studiis hoc negotium plane conjunctum videretur, PETAVIUS, SALMASIUS, FABER, GASSENDUS, VALESIUS, MENAGIUS, BULLIALDUS. Sed, quod quidem sciam, nec opus aliquod eorum de hoc argumento editum est, nec mentio de capto operis consilio prodita exstat. Nam SALMASII emendationes non ea sunt multitudine, ut suspicemur eum de commentario aut editione cogitasse. Exemplum Stephanianum *Moralium* et *Vitarum*, cui sua ipse manu has adscripsit emendationes, ad me pervenit ex auctione Bibliothecae Gronovianae. EMERICI BIGOTII apparatum novae editionis ex scriptis Italicis codicibus collectum, servari in regia Parisiensi Bibliotheca, audiveram aliquando nescio quo auctore. Hunc apparatum frustra quaesivi. Collectionem Bigotianam quae multis parvulis manu scriptis libellis continetur, in illa Bibliotheca nactus sum: sunt in ea variae lectiones ex Italicis

cc-

codicibus excerptae, aliorum quidem Auctorum bene multae, Plutarchi nullae. Instituta est, BIGOTII tempore, Academia Inscriptionum. Heroum illa in Literis apud Gallos successio ac disciplina paulatim defecit. DACERIUS *Vitas* vertit, nec jam heroicum, sed plane mortale et infirmum sonavit.

Nostro saeculo fuisse idoneos huic editionis negotio viros, apud Batavos, Britannos, Germanos, quis ignorat? Sed qui hoc agitaret, certe cogitaret, neminem equidem novi excepto L. KUSTERO; qui in Notis ad Aristophanem Equit. vers. 1096, laudans locum Plutarchi *De Praeceptis Reip. Gerendae*, p. 807, haec addit: *Sed locus hic mendo non vacat, ut ad ipsum Plutarchum, si fata siverint, aliquando ostendemus.* At de consilio effecto nil comperi. In Britannia *Vitarum* editionem BRYANUS inchoavit, SOLANUS absolvit: de qua hic non est dicendi locus. Nostra demum aetate qui de *Moralibus* bene mereri conaretur fuit JOANNES JACOBUS REISKIUS.

De hoc ego viro dicere ingrediens, vereor ne sint quibus inique potius quam vere judicasse videar. Ego vero nil habeo caussae quare de REISKIO minus quam de prioribus Interpretibus, quid sentiam, libere pronunciem. Et vero REISKII ea fuit facultas ac doctrina, quae suis ac veris contenta laudibus, non desideret falsas et alienas. Nec mihi hoc loco dicere propositum est quid universe in Graecis Literis, sed quid proprie in Plutar-

tarcheis *Moralibus* ab eo effectum sit. Sed quum de ejus in Plutarcho navata opera dico, eam dico quam *Animadversionum ad Graecos Auctores* Volumine II vulgavit, non editionem illam Lipsiensem, quae fertur, universorum operum, inchoatam anno 1774, forma octava. In ista REISKIUS magis bibliopolae quam suum opus fecit, neque vero fecit, sed affecit. Subsidia librorum inedita quidem non habuit: *Vitas* edere aggressus, his nondum absolutis, diem obiit eodem anno: reliquam illarum partem, et *Moralia* cum illis antea editis REISKII Animadversionibus addidit bibliopola, totamque editionem absolvit duodecim voluminibus. Haec, ut narrant, hoc ipso tempore, a Tubingensi bibliopola ad minorem molem redacta, repetitur: εἰδώλου εἴδωλον, majoris minus. Hujusmodi ego repetitiones non improbo, modo sint bene emendateque excusae, parabiles pretio, habiles tractatu mediocritate molis, nec se pro denuo recensitis scripturae constitutionibus et germanis editionibus gerant. Sed ad REISKIUM redeamus.

REISKIUS *Moralia* legendo tractavit aestate media, ut ipse ait, anni 1756, et quas per hanc lectionem fecisset annotationes ad corrigendos illustrandosque locos difficiles et vitiosos comparatas, eas *Animadversionum ad Graecos Auctores* Volumine II, Notis ad Lysiam subjunctas, edidit. Plutarcheae animadversiones explent paginas ultra quingentas, et sunt numero permultae; quippe, pro

REIS-

REISKII consuetudine, breviter et verbo plerumque significatae. Praefationis loco et nomine praemittitur disputatiuncula de ingenio et scriptis Plutarchi atque de opera priorum Editorum. Quam praefationem si non addidisset REISKIUS, minime desideraremus. In Plutarchi lectione novus erat hospes: Editiones nec habebat omnes, nec earum quas habebat, fontes et auctoritatem satis intelligebat. Omnino ex omnibus ingenii facultatibus judicium, sive datum a natura sive negatum, minime excoluerat REISKIUS. Judicium dico eam facultatem quae res confusas distinguit, quid cuique proprium et consequens sit perspici et verum a falso accurate distinguit. Haec in REISKIO facultas non apparuit: minus etiam ea facultas, qua id quod verum judicasset, oratione subtiliter, ordine, perspicue, explicaret. Sensus veri in REISKIO fuit; quidquid ad hunc sensum accideret eumque verisimilitudinis specie percuteret, hoc continuo probabat, hoc amplectebatur: sententiamque si scriptione proderet, eam quasi projiciebat cum impetu, duriter ac subito. Nam lenioribus illis cum judicio conjunctis mentis partibus minus utebatur, ratione, subtilitate, industria, assiduitate: semper actuosus ex alio in aliud involabat, ejusdem operis diu persequendi satietatem fugiens, doctrinae copias in adversaria congerere negligebat: itaque nullo fere apparatu instructus ad Auctores vel emendandos vel edendos accedebat. At valebat memoriae bonitate, infinita lectione, Grae-

cae

cae linguae scientia, usu collecta illa, non ad rationem conformata: valebat ingenii velocitate et acumine, subito movebatur, impetu ferebatur; cumque ita incitatus omnes locos, de quibus dubitaret, emendando attingeret, in plerisque a proposito aberrabat, alios probabiliter tractabat, nonnullos penitus complectebatur et certissima restituebat conjectura quae plane divinitus oblata videretur.

Ergo quum *Moralia* Plutarchea sibi tractanda sumsisset, et ingenium tamquam in campum et venationem emendationum immisisset, facile est ad intelligendum qualem quantamque capturam reportaverit. Emendationes plurimae sunt falsae: sunt vero etiam probandae, ut in magno numero, haud paucae: sunt denique nonnullae prorsus egregiae. Et plures profecto probandae et egregiae fuissent, si plus temporis Plutarcho tribuisset, cum ejusque ratione et oratione familiaritatem contraxisset. Sed habebat hoc REISKIUS: in nullo Auctore habitabat; vagabatur per omnes: nec apud quemquam tamdiu divertebat, ut in paulo interiorem ejus consuetudinem se insinuaret: itaque per festinationem omnia arripiebat; sana, corrupta, obscura, difficilia, corrigere tentabat, mutabat, transponebat, demebat, addebat de suo; haec in charta notabat et in vulgus prodebat: et plane, ut alter Lucilius — *in hora saepe ducentas* faciebat correctiones *stans pede in uno.* Et tamen, *Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles:* non ille quidem *garrulus* sed *piger scribendi fer-*

ro

re laborem: Scribendi recte: nam ut multum, nil moror.

Sed operae pretium est cognoscere quantum illud sit quod REISKIO debeatur, quodque ejus proprium sit, ne forte aut parum aut nimium censeatur.

Ac primum quidem, complures libros non attigit, paginarum totius operis fere quadrantem: hi sunt *De Educatione*, *Apophthegmata Regum et Ducum*, *Apophthegmata Laconica*, *Instituta Laconica*, *Lacaenarum Apophthegmata*, *Mulierum Virtutes*, *Quaestiones Romanae*, *Quaestiones Graecae*, *Parallela Graeca et Romana:* tum vero hi ex interiore doctrina, *De Fato*, *Quaestiones Naturales*, *De Vultu in orbe Lunae*, *Quaestiones Platonicae*, *De Animi generatione ex Timaeo Platonis*, *De Communibus Notitiis adversus Stoicos* partim; *De Musica.*

Deinde earum, quae sunt, Animadversionum certe semissis ejusmodi est, ut non ad emendationem referantur, sed contineantur notulis historicis, geographicis, literariis, de hominibus, locis, Scriptoribus; quae notulae, ut ex pervulgatis libris petitae, utiles quidem indoctis, non facile a doctis requirantur: subinde quoque correctiones, antea obiter factae ab hominibus eruditis, ex eorum libris adferuntur: subinde item loci Veterum a Plutarcho vel memorati vel significati ad suos Auctores referuntur: sed hi fere sunt et loci illustres atque conspicui, et Auctores cum

principes tum plurimorum usu frequentati, Homerus, Euripides, Xenophon, similes: perditos eorumque reliquias, aut philosophos, quamvis principes, Platonem, Aristotelem, caeteros, quorum maximum est ad Plutarchi intelligentiam momentum, non legisse videtur REISKIUS, certe nullam ex iis Plutarcho opem attulit. Tota haec Animadversionum pars valere poterat ad minuendum laborem futuro editori ei qui subito existeret ac negotium imparatus suscipere auderet, non ei qui rem cum apparatu ac diligentia ageret.

Igitur ad nostrae Editionis usum reliqua erat non nisi altera semissis, id est, Emendationes. Et harum primum quidem magna pars est vana ac supervacanea, quippe quibus loci sani et integri tentantur: deinde earum item quae in locis corruptis versantur, major certe pars falsa est: in utroque conjecturarum genere, erroris fons erat ignoratio consuetudinis et orationis Plutarcheae. Superest probabilium numerus emendationum, qui, ut plurimum ei tribuam, ad totam Animadversionum summam, ea ratione censendus videatur qua sunt sedecim ad centum. Harum item semissis jam a prioribus facta erat interpretibus et editoribus: has REISKIUS, non quidem plagio, quod in hunc hominem non cadebat, sed modo prudens, modo imprudens, repetiit: multas etiam e XYLANDRI Latina versione suscepit.

Ergo residuae sunt propriae REISKII octonae emendationes probabiles e centenis Animad-

ver-

versionibus: quarum certe dodrans ejusmodi est ut eum qui longi temporis consuetudine Plutarchum triverit non facile fugere potuerint. Sint igitur e centenis duae ita abditae et inventu difficiles, ut nisi REISKIUS eas in lucem protulisset, adhuc ignoratae laterent? Nil dicam de meis emendationibus vel ex libris veteribus vel e conjectura depromtis. MEZIRIACUS compluribus locis in easdem, quas in binario illo numero censemus, atque REISKIUS, incidit emendationes. In eodem binario et egregio genere, ut hoc utar, duae sunt Reiskianae: altera *De Iside et Osiride*, p. 364, D, ubi ἔοικεν refingitur ex ἔθηκεν· altera *De Non Suaviter Vivi sec. Epicur.* p. 1102, B, qua vulgatum ἄπειμι λέγων. Τὸ μὲν ἀνδρεῖον ἔθυον οὐ προσέχουσιν οὐδέν μοι θεοῖς, mutatur ita, ἄπειμι λέγων τὸ Μενάνδρειον, Ἔθυον οὐ προσέχουσιν οὐδέν μοι θεοῖς. Atqui utriusque inventi laus debetur etiam VALCKENARIO, qui easdem protulit emendationes, illam ad Phoeniss. p. 251, hanc in Diatribe Eurip. p. 284, et diu ante hunc MEZIRIACUS.

Licet igitur affirmare aut nullas aut paucissimas esse correctiones, quae, nisi a REISKIO inventae, ad nostram cognitionem non pervenissent. Sed quidquid Animadversiones REISKII habent boni, hoc ejusmodi certe est ut haud mediocris illi laus debeatur, qui unius aestatis brevitate tantum effecerit: qui si plus etiam effecisset, principe in Criticis loco habendus esset: quod

ne ipse quidem, qua erat modestia et sui contemtu, umquam sibi arrogavit. Equidem religioni mihi duxi omnes REISKII conjecturas memorare: memoravi eas quae aliquam probabilitatem et ingenii significationem haberent; caeteras omisi. Neque probo Editores quosdam, qui in edendis Auctoribus a REISKIO tractatis, singulas universasque ejus Animadversiones repetunt. Vidi adeo, in quo risum tenere non potui, aliquem de philosophiae historia scribentem, qui Plutarchi locos ita exhiberet, ut REISKII correctiones, falsissimas etiam, sedulo uncis inclusas, ac loci contextui interjectas, adderet: qui quam Graece fuerit peritus, quam Plutarchi intelligens, facile est ad existimandum. REISKII correctionibus, quas quidem memoratu dignas judicarem, nomen ipsius apposui: harum, licet mea ipse conjectura multas repererim, proprietatem non mihi vindicavi, nec REISKIO ademi: ejusdem inventionis laus si jam a prioribus occupata esset, eam cum ipso item communicavi. Hinc fit, ut REISKII nomen tam sit frequens in nostris Annotationibus, et multo frequentius quam pro eo quantum ei debetur.

Haec ut dicerem, instituti mei ratio postulavit. Et sine obtrectatione me dixisse, periti sponte agnoscent. Illud etiam addo, eam in REISKIO fuisse et doctrinae varietatem et ingenii velocitatem, a qua me procul abesse fatear. Ex innumerabilibus, quas ad emendandos Graecos Auctores ef-

effudit, conjecturis, si delectum fecisset optimarum easque cum ratione et elegantia explicuisset, egregium poterat explere volumen, opus fere palmarium, quod plus ad famae perennitatem valuisset quam illae deproperatae editiones et caeterae scriptiones. Numquam eum vidi. Sed conciliavit commune Literarum studium, postremis ejus annis, quamdam inter nos per epistolas notitiam et consuetudinem. Favebat nascenti meae laudi. Accedebant animi virtutes, quae eum commendarent: in quibus excellebat candor et veritatis amor. Ergo et vivum dilexi, et mortui memoriam cum benivolentia colui. Et quando nunc de eo dicendum fuit, ita me ejus memoriae consulturum existimavi, si nec dicerem nec tacerem quidquam contra animi ipse mei sententiam, nec vel veram detraherem viro laudem vel falsam tribuerem.

§. 12.

De novissima Versione Gallica Ricardi.

Moralia Gallice denuo vertit RICARDUS, eaque inde ab anno 1783 Parisiis edidit forma octava, et quindecim absolvit voluminibus anno 1792. Ejus Versionis titulum supra apposui §. 5, neque illic dicta hic iterare attinet: ipsam non memoravi §. 10, in Gallicis Versionibus iis quibus aliquid boni inesset ad emendationem Graeci contextus. Neque etiam ejusmodi fuit negotium

RICARDI. Scribit in praefatione ad volumen secundum, se habuisse duos antiquos Bibliothecae regiae codices 1671 et 1672, item AMYOTI exemplum. Codices sunt illi ipsi quos ego contuli et literis A et E notavi; de AMYOTI exemplo supra dixi. Ex neutro fonte aliquid medelae protulit RICARDUS. Per locos corruptos ita transiit, ut satis haberet ejusmodi Versionem effecisse quae a Gallicis lectoribus intelligeretur. In explicandis locis obscuris plus operae posuit; quippe quos haud indiligenter animadvertit, et ad lectorum, quibus scribebat, ingenium probabiliter, subinde aperuit ex rerum cognitione, cujus laudem ei libenter tribuimus. Ad nostrae quidem Editionis usum nil attulit.

CAPUT IV.

Quid hac in Editione a nobis actum sit.

Superest ultimus praefationis locus, quo exponatur, quid hac in Editione actum sit. Qui locus breviorem habet explicationem. Nam operam nostram, librorum copias, et reliquum apparatum, cum supra memoravimus, tum infra recensebimus in Indicibus huic praefationi subjectis. Et quum duo sint, ut saepe significavimus, Editoris officia, Emendatio et Interpretatio; nunc de illa utriusque officii parte dicemus, quae in his quin-

quinque prioribus versatur voluminibus, quorum triplex est materia, Graecum opus Auctoris, Annotatio emendationum, Latina Versio: de altera parte monebimus in principio posteriorum voluminum quae Animadversionibus nostris destinata sunt. Caeterum, quomodo in hac triplici materia constituenda poliendaque versati simus, breviter et summatim referemus: nam totum hoc cum sigillatim enumerare infinitum sit, tum plenius multo et accuratius harum Literarum periti ex ipsa nostrae Editionis lectione et tractatione intelligent.

Ac primo quidem Graecum opus, id est Contextum non reddidi ex Editione, vel Stephaniana, vel alia, sed ab integro recensui et constitui. Quod in tam corrupto opere et tantis meis copiis, non modo licere, sed necessario faciundum existimavi. Fundamenti instar habui Aldinam, cui totum Contextus quasi aedificium superstruerem recipiendis melioribus lectionibus et supplementis librorum cum scriptorum tum editorum. Et videor mihi ita expurgasse vulgatum, qui adhuc optimus habebatur, contextum, ut, quoad ejus in his rebus fieri potest, Plutarchi manum et scripturam restituerem plurimis in locis, aut ubi ea restitui non potuit, sententiam certe patefacerem ad eam verisimilitudinem, ut paucissimae supersint ejusmodi difficultates quae continuationem lectionis et intelligentiae interrumpant. XYLANDER, homo minime vanus, professus est *se non unam mendorum chiliadem expurgasse.* Ego affirmare haud du-

dubito, me post XYLANDRI, STEPHANI et reliquorum operam, plus altero tanto et corruptelarum sanasse et difficultatum expedivisse. In mutanda lectione vulgata legem religionemque Criticae secutus sum, ut et vulgatam et restituendam lectionem sua quamque auctoritate ponderarem et ad justum probabilitatis censum aestimarem. Correctiones conjectura partas nec ullius veteris libri assensu confirmatas non nisi rarissime recepi. Iis tamen in locis ubi vel priores jam Editores recepissent, vel alii etiam viri docti in eandem, atque ego, e conjectura incidissent correctionem, plus mihi licere arbitratus sum. Sane concedenda est haec Editori libertas, si quidem ejus usum ad probabilitatis gradus regat. At quae est hujus probabilitatis et graduum mensura? Suum cujusque Editoris judicium; modo valeat scientia rerum, linguae, usu Auctoris, alienus a temeritate, novitatis studio, vanitate, ne sit subitarius, tumultuarius, festinator, sed tempore diligenter cogitateque progrediatur. Equidem in hoc negotio magis vereor ne sint quibus parum, nec satis constanter, quam quibus nimium fecisse videar. Atqui affirmare possum me quacumque in lectione mutanda retinendave operam dedisse ut mihi constarem, ac sensum quemdam meum judiciumque probabilitatis consuluisse. Innumerabilia possim adferre exempla: defungar unico, quo intelligatur quid velim. Duos correxi locos e conjectura, id est adsentiente nullo vetere libro: utrumque ex

eo-

eodem Platone, eadem probabilitate. Alter est in libro *De Educatione Puerorum*, p. 4, D, ubi πολλάκις ὁ Κράτης falsum est, et verum πολλάκις Σωκράτης, ut manifesto apparet e Platone in Clitophonte, p. 255, D. Alter est in *Quaestionibus Platonicis*, p. 1001, A, ubi mendosum exstat in omnibus libris Καλλιππίδαν, loco verae lectionis καλλίπαιδα, ut item manifesto apparet e Platone in Phaedro, p. 350, G. At hoc loco recepi correctionem, illo non item. Nempe in *Platonicis Quaestionibus*, qui est germanus Plutarchi liber, non erat dubium, quin Auctor, homo doctus et prudens, ita scripsisset: at in libro *De Educatione Puerorum*, qui est spurius et perperam Plutarchi nomine inscriptus, cujus Auctor, quisquis ille fuit, certe non satis fuit paratus a prudentia et doctrina, poterat forte illum locum aliunde accepisse nec ex ipso Platone sumsisse, et nominum similitudine deceptus fuisse: hoc dubium remanebat; ergo nil mutavi. Erat hoc loco falsum dictum: illo, mendosa lectio. Utrumque genus Editor animadvertere debet: sed in constituendo contextu, hoc corrigere, illud relinquere, neque id reponere quod scribere debuerat Auctor, sed quod scripsit. Quod si forte alicubi hac in parte temere feci: cavi ne quid detrimenti caperet contextus. Nam in Annotationibus subjectis, cum receptae correctionis veterem vulgatam lectionem, tum retentae vulgatae faciendam correctionem, sedulo ac fideliter commemoravi.

Exemplum contextus, quod typographus in nostra Editione sequeretur et exprimeret, ita instruxi et adornavi. Sumsi exemplum Editionis Graeco-Latinae postremae, anni 1624; quippe quod simul et XYLANDRI Latinam Versionem, et Graecum contextum Stephanianum paucioribus quam duae priores Graeco-Latinae mendis typographicis inquinatum contineret. Stephanianum autem contextum malui quam alium, quod is emendatior esset, et si quid ei sinceritatis et auctoritatis deesset, id non tantum esset ut corrigi facile nequiret. Hoc igitur exemplum ante omnia expurgavi corrigendis diligenter seduloque typographicis mendis: eamque operam, secundum, tertium, quartum et pluries repetivi. Itaque cavi ne idem nostrae accideret Editioni, quod Bryaneae; cujus permultae Animadversiones consumuntur notatione mendorum typographicorum e Graeco-Latina repetitorum. Ergo expurgandis istis mendis ex *Moralium* exemplo, simul animadvertebam locos ubi Graeco-Latina temere a Stephaniana recessisset. Jam exemplum ita praeparatum perrexi instruere ea, quam dixi, ratione; ut referret quasi corpus Aldinum, idque suppletum et emendatum melioribus lectionibus librorum cum editorum tum vero in primis scriptorum. Ordinem librorum Stephanianum servavi, non ut bonum sed ut Aldino haud deteriorem et exemplorum frequentia ac temporis diuturnitate ad legentium usum accommodatum et commendatum. Facile sane erat novum inducere ordinem magis ex-

actum

actum vel ad temporis vel argumenti rationem: sed praestare existimavi eum alio loco peculiariter notare, quam cum legentium molestia recipere atque constituere. Eadem caussa mihi fuit, ut Graeco-Latinae, quippe adhuc a doctis hominibus et nunc a me in excitandis significandisque Plutarcheis locis frequentatae, paginas earumque partes, adjectis in margine Editionis nostrae interiore numeris et literis significarem. Illud vero etiam ad facilitatem et quasi levamentum lectionis valet, quod libros non, ut antea in Graecis exemplis erant, una serie continuavimus, sed in sectiones distinximus. Qua in re quum possem Versiones vel XYLANDRI vel AMYOTI sequi, meum tamen ipse judicium sequi malui. In nonnullis ipsum argumentum rectam distributionem ostendebat, veluti, ut hoc utar, in illis duobus *de Repugnantiis*, et *de Notitiis*, *adversus Stoicos*, et aliis pluribus. In duobus denique maxime frequentatis *de Puerorum Educatione* et *de legendis Poetis*, pervulgatam partitionem retinui.

Altera materiae pars continetur Notis contextui subjectis. Hae ad Emendationem referuntur, nec Interpretationem attingunt nisi quatenus ad Emendationem pertinet. Igitur versantur in triplici genere: primo, ubi nova lectio recipitur: altero, ubi conjectura proponitur: tertio, ubi dubia est vulgatae auctoritas lectionis, aut alia fertur aeque probabilis. Novam lectionem nusquam recepi nisi facta mentione et memorata vulgata. Sed vulgata, quam

quam voco, est Stephanianae Editionis: ad ejusque contextum referuntur nostrae Notae. Hic erat Aldino ad hoc negotium longe accommodatior: quippe, ut magis emendatus quam caeterarum Editionum contextus, maximam plurimamque mutationum partem occupaverat earumque notationem supervacaneam reddiderat. Aldinus, ut mendosissimus, postulabat innumerabilium mutationum notationem, quae totam paginam repleret ac perpetua variarum lectionum segete horridam et legentibus molestam faceret. Caeterum, in Stephaniano contextu non solum attendi ad locos corruptos, sed eos etiam qui sani viderentur; quandoquidem in eo permulti sunt loci ad speciem sani et integri, sed ita constituti, ut potius STEPHANI aliorumque correctorum, quam Plutarchi, scriptura legatur. Hujusmodi me loci nulli omnino fugere potuerunt, quum Stephanianam Editionem cum Aldina aliisque, et vero plurimis codicibus scriptis contulerim. Neque vero minimas omnes varietates, quibus ab Aldina recessit Stephaniana, notavi. Neque etiam hoc necesse erat in iis quas ita probabiliter fecisset STEPHANUS, ut melius certiusque ego nil haberem, eumque sequi deberem. At notavi insigniores omnes, et eas in primis quae non satis firmam auctoritatem haberent, quarumque notatio viam inveniendae verae lectionis patefacere videretur. Omnino locos a STEPHANO, incerta licet auctoritate, tamen ad orationem et sententiam probabiliter correctos, ubi mei codices

nil

nil sanius integriusque adferrent, retinere malui, quam vetus Aldinum vulnus denuo aperire. Reliquam omnem lectionis varietatem, partim in Animadversionibus memorabimus, partim in peculiari Indice exhibebimus: quam si quis adhibeat Annotationibus contextui subjectis, is nil desideret ad eam quam vocant Genealogiam contextus, sive, ad plenam justamque cognitionem mutationum quovis loco ab editoribus deinceps factarum.

Tertia materiae pars est Interpretatio Latina, quae vulgo dicitur *Versio.* Quae, ut abesse debet ab exemplis ad scholarum ac tironum institutionem editis, nec desideratur ab iis qui Graeca aeque commode intelligunt ac Latina, ita omitti non poterat in nostra Editione, quippe ad communem omnium usum destinata, quorum longe maximus numerus ex medio quodam genere est, cui Versio et grata et utilis sit. Sed Versionis triplex est officium. Primum est, ut sit *vera*, nec aliud loquatur atque Auctor. Alterum, ut sit *bene Latina.* Tertium, ut Auctoris sententiam non universe, sed sigillatim et accurate reddat, ejusque proprietatem in verbis et constructione exprimat; quod officium fere negligunt in vulgaribus linguis factae Versiones, quae se potius exemplaria quam imagines, quod barbare dicunt *originalia potius quam copiae*, haberi volunt: attamen eam vim habet, ut eo demum duobus prioribus officiis addito, bonae Versionis numeri expleantur. Nam et Auctorem talem exhibet, qualis est; si quidem ita

La-

Latinum facit, ut fuisset si Latine scripsisset; et iis qui Graeca nondum satis intelligunt, idoneum apponit intelligentiae instrumentum, quod perpetui sit instar commentarii. Ut novam ipsi faceremus Versionem, in tanta reliquae nostrae operae multitudine et molestia, nemo aequus ac prudens laboris aestimator postulaverit. Sumsi Versionem XYLANDRI, hominis Graece Latineque doctissimi, et multo Plutarcheorum librorum usu exercitati. Hanc primum ex melioribus codicum lectionibus et nostris aliorumque conjecturis ad veritatem, id est, germanam Auctoris sententiam, correxi; existimans, plus mihi in ea quam in Graeco contextu licere: quamquam initio quidem locos Versionis qui aliquid dubitationis haberent, intactos reliqui, correctionem Animadversionibus reservans: mox intellecto quantum incommodi haec ratio haberet ad legentium usum, corrigendos locos omnes ad judicium meum statim in ipsa Versione corrigere perrexi. Deinde, ad Plutarchi formam habitumque eam revocavi, cum in verborum delectu tum constructionis ratione. Porro maximam perspicuitatis rationem habui; cavens ne, quod aliis nonnullis, idem accideret mihi, ut mea Versio subinde ipsa opus haberet alia Versione. Denique Latinitatem puritatemque curavi, quoad ejus servandis caeteris officiis fieri poterat. Quae sane omnia servare atque effectu et actione conjungere, difficile est. Feci quantum potui.

Caeterum neque hoc silentio praetereundum est. In

In singularium libellorum Plutarcheorum Editionibus ac Versionibus sunt quas nec habui, nec nancisci potui. Nec tamen eos quaerendo exspectandoque Editionem nostram diutius differre volui. Est sane illa Editionum Versionumque cognitio cum jucunda, tum digna hominis literati studio; modo ne nimium ei tribuatur, et ipsorum lectio Auctorum negligatur. Ita enim magis ad librarii negotium quam doctrinae fructum spectet. Sed in Plutarcho quidem, aliisque haud paucis Graecis Auctoribus, minoris illa est utilitatis quam quis suspicetur; propterea, quod paucissima istarum Editionum Versionumque pars ab accuratae hominibus doctrinae facta est: nullae fere ad codices scriptos exactae et castigatae: sed omnes propemodum, Graecae quidem, editiones ex prioribus editionibus repetitae, ad frequentanda in usum tironum exempla. Una ex melioribus in hoc genere Editionibus est Xylandrea libelli *De Legendis Poetis:* atqui nil in ea reperi, quin vel a XYLANDRO in majore Graeca Editione et Latina-Versione notatum, vel a me jam occupatum esset. Eadem frustratio fuit in aliis, exceptis forte TURNEBI, CAMERARII, ad illum *de Iside* librum BENTLEII ac MARKLANDI, et paucorum quorumdam ad alios libros, annotationibus. Profiteri haud vereor, me solis meis ipsum copiis fretum, haud multo deteriorem editionem effecturum fuisse, quam hanc nunc effectam auxiliis priorum interpretum. Doctrinae fon-

tes

tes patent omnibus: hinc illi pauca delibarunt: ego quae ad rem facerent meam, exhaurire studui; ut nil facile me effugeret eorum quae ab illis prolata essent. Nec in eo quidquam mihi superbe arrogo. Nil dico quin idem dicere possit alius editor, qui quidem tempore et labore, quanta potuit diligentia, copias collegerit suas et instruxerit. Jam fontes qui non omnibus patent, codices dico scriptos, aut nemo habuit priorum interpretum, aut unus et alter, unum et alterum: ego tot habui, quot vix umquam alius Graeci Auctoris editor. Ergo illorum Annotationes magis laborem mihi quam copias auxerunt. Habui earum rationem quia erant, non quia necessariae erant. Habui delectum earum quae commemoratu dignae viderentur, et sub inventoris sui nomine quamque prodidi: neque satis erat summam earum fructumque cum lectoribus nostris communicare; sed, quid cuique inventori deberetur, quasi per historiam annumerare oportuit. Haec religio, quamvis molesta editoribus, nec recte semper aestimata a legentibus, nullo modo negligenda est. Nam et humanitatis est, cognoscere quantum quisque operae pretium fecerit: et justitiae, suum cuique tribuere. Numquam eorum probavi rationem, qui in annotationibus conscribendis ita priorum inventis utuntur, ut ea quasi in unum acervum omnia confundant, ex eoque ut suum quodque ac proprium ipsi depromant, nulla nominatim facta inventoris mentione.

Sunt

Sunt adeo qui nomina in memorandis benefactis taceant, in erroribus prodant, ut habeant de quo triumphent. Pessimum genus, ut ingenii doctrinaeque penuria, ita vanitatis et impudentiae abundantia: quos haud temere quis *pauperes in literata civitate fures* appellet. Enimvero qua modestia posteros in nostro opere versari optamus, eadem in priorum operibus ipsi versari debemus. At, qui non suum et proprium opus, sed alienum ac surreptum relinquit, illam posteritatis vindictam non veretur. Equidem priorum, Editiones, Versiones, annotationes, quas quidem habui, ea qua dixi, modestia tractavi: et quas nondum haberem, ut nanciscerer operam dedi. Nam quum alia editoris officia probabiliter explevisse mihi viderer, nolui hoc unum negligere. Sed quum intelligerem, multis mihi ex illo genere libris carendum fore; eo magis operam dedi, ut plurimos optimosque codices scriptos antea nondum adhibitos in usum converterem meum. Cumque item intelligerem, neque codicum quorum vellem omnium copiam mihi futuram, neque quae desiderarem omnia ex codicibus peti posse; eo majorem curam, industriam, assiduitatem in eo posui, ut Emendationis atque Interpretationis copias meo ipse consequerer ac locupletarem studio. Quo quidem studio me aliquid profecisse, affirmare ipse non dubito: quantum profecerim, docti lectores judicabunt.

Hoc tot annorum opus quando jam eo perduxi,

ut tandem in publicum prodeat, ejusque editio, nescio quo fato, in hanc temporum nostrorum difficultatem incidat, quae et publicas et privatas res affligit, earumque statum dubium reddit; facere non possum ut illud sine voto et inauspicato e manibus dimittam. Faxit Deus O. M. ut huic patriae cum pristina rerum prosperitate pax restituatur: mihique vires et sanitas conserventur, otium certe obtingat, ut reliquam operis partem absolvam. Sed hoc, ut incertum, quomodocumque evenerit, aequo animo et accipiendum et ferendum. Illud haud dubia spe praecipio, fore ut quam ego in adornanda conficiendaque hac Editione percepi cum doctrinae animique fructu suavitatem, eandem legentium plurimi percipiant; Plutarchi libris multo quam antea magis jam emendatis et ad communem fere intelligentiam patefactis.

Scripsi Amstelodami, mense Novembre, anno MDCCXCIV.

PRAEFATIO ANIMADVERSIONUM

IN

PLUTARCHI MORALIA.

EX EDIT. PLUT. MORAL. VOL. VI.

Jam ad Interpretationem venimus. Nam quum complures hujus operis partes provinciaeque sint, ita deinceps quamque, caeteris interim sepositis, suscipimus atque absolvimus, ut ipsa quaeque majoris est momenti, minusque a successore, si quid nobis accidat, expleri perficique potest. Igitur primum dedimus locum Emendationi, quae cum Graeco contextu et Latina versione prioribus prodita est voluminibus. Nunc ad secundum accedimus locum, cui Interpretatio proposita est. Tertius et reliqui loci complectentur Varias Lectiones; Disputationem de vita et scriptis Plutarchi, Indices Auctorum, Rerum, Graecorum verborum, Animadversionum: qui loci vacui a me inchoative, si forte, relicti, minus ad absolvendum difficultatis habebunt successori: certe nunc a me in fi-

finem operis rejiciendi sunt, quando non omnia simul agere possumus.

Caeterum, dissimulare non possum, me in Interpretatione minus etiam quam in Emendatione mihi satisfecisse, magisque adeo quam antea judices aequos et ad ignoscendum faciles quaerere. Cujus quidem rei duae sunt caussae: altera, quod in specimine editionis Plutarcheae, prodito Parte II, Voluminis III Bibliothecae Criticae, de Interpretatione nimium quoddam professus sum, et quantum a me praestari efficique non posset, nunc demum ipse intelligam: altera, quod Interpretationis quam Emendationis successus magis in nostra potestate vulgo censetur, atque idcirco aequi etiam judices ab editoribus plus in Interpretatione quam Emendatione exspectare ac postulare solent. Utraque caussa cujusmodi sit explicare, argumentum mihi hujus Praefationis erit.

Τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δ' οὐκ ἐφ' ἡμῖν. *Res aliae in nostra sunt potestate, aliae non item:* ut est in Stoicorum initiis. Emendatio e duplici proficiscitur fonte: altero, librorum auctoritate: altero, conjecturae probabilitate. Utriusque successus maximam partem in felicitate quadam est positus: nec sunt fere industriae partes nisi hae, ut et vias quibus bonos libros nanciscamur diligenter persequamur, et ingenii facultates exerceamus acuamusque eas quibus conjectura paritur: cujus utriusque operae, quamvis necessariae, successus est incertus. Interpretatio in nostra

es-

esse potestate, a nobis et pendere et regi existimatur. Ejus quae sit vis et ratio, quod officium, exposui et antea in specimine Editionis Plutarcheae, et nuper in exordio Annotationis ad *Selecta Principum Historicorum Graecorum*, et nunc, at suo loco, accommodate ad hanc editionem referendum exponendumque est: praesertim, quum illo in specimine ita de Interpretatione disputaverim, ut qui eam simul cum Graeco contextu et Latina versione eadem pagina exhibiturus essem; nunc vero hac in editione illam rationem relinquere ac repudiare, atque Interpretationem seorsim exhibere, coactus fuerim. Ergo disputationem a suo initio repetitam quoad ejus fieri potest breviter explicemus.

Interpretatio est oratio quae efficit, ut alterius orationem intelligamus. Intelligimus alterius orationem, quando ei eumdem, quem ipse alter, adjungimus sensum. Genera Interpretationis duo sunt, Grammaticum et Criticum: Grammaticum judicat *quid* Scriptor dixerit: Criticum, *vere recteque*, *nec ne*, dixerit. Utrumque duas habet partes, et instrumenta, quibus hae partes tractantur, tria. Partes sunt materia et forma: materia item duplex est, *Rerum* et *Verborum*. Instrumenta sunt, *Dialectica*, quae versatur in forma: *Linguae scientia*, in verbis: *Historica doctrina*, in rebus. Sed interpretando vel libro vel ejus loco, prior adhibenda est Grammatica Interpretatio, ex ejusque instrumentis primum Dialectica: cujus est of-

ficium videre quae nomina verbaque quibus nominibus verbisque jungenda, praeponenda, postponenda sint, omnino quod vulgo vocant quomodo locus construendus et quae inde sententia ejus constituenda sit. Secunda accedit Linguae scientia, quae Dialecticam ad leges et consuetudinem orationis ejus in qua scriptus est liber, veluti Graecae, adstringit et moderatur. Tertia est Historica doctrina, quae omnem antiquarum rerum intelligentiam complectitur, et intra hujus fines duo priora instrumenta continet. Criticae Interpretationis eadem sunt instrumenta, eadem via, alius finis.

Sed utriusque Interpretationis duo sunt genera: alterum, *perpetuum*, quod totius libri sententiam nexumque complectitur: alterum, *singulare*, quod non nisi singulares, certos, omnino quosdam, nec omnes eodem nexu, locos attingit. *Perpetuae Interpretationis Grammaticae* tres sunt formae, pro varietate longitudinis ac brevitatis. Nam vel ita reddendae se adstringit sententiae, ut quoad ejus fieri potest, eumdem enunciationum numerum ordinemque referat, atque aliis, nec multo pluribus paucioribusve, verbis idem dicat: quae dicitur *Metaphrasis*, et *Versio*. Vel sententiam in pauca contrahit, ejusque non nisi brevem summam reddit: quae dicitur *Synopsis*, *Epitome*, *Compendium*, *Argumentum*. Vel denique sententiam pluribus enunciationibus exprimit, ad uberiorem pleniorem que intelligentiam diducit ac dilatat:

quae

quae dicitur *Periphrasis*, *Dilatatio*, *Amplificatio*. Versionem suo quamque libro adjunximus. Periphrasin e perpetua singularem faciemus, nec eam omnibus quos tangemus locis, sed iis qui eam desiderare videantur, adhibebimus. Neque Epitomas omnium exhibebimus librorum; nam plerorumque argumentum per se est perspicuum: neque lectores nostri hanc nostram operam requirent, quippe fere accommodatam tironibus. Atque iis qui totius libri legendi molestiam laboremque fugiunt, consilium propositum, atque adeo argumentum, libri, quando opus esse videbitur, explicare non omittemus. Ergo relinquitur nobis in qua aut unice aut potissimum versemur, *Interpretatio singularis*.

Jam partes nostrae in interpretando quae sint ut justae debitaeque exigendae, uberius exponendum est. Materiam Interpretationis duplicem diximus esse, *Rerum* et *Verborum*. Hae implicitae quidem sunt altera alteri, quod verba sine rebus esse nequeunt: attamen ratione quadam disjunctae, certe non confundendae a bono Interprete. In *Verborum* Interpretatione tres cernuntur partes; primum, singula verba: deinde, dictiones et phrases: tum, earum compositio, seu, nexus constructionis. *Res* generatim sunt vel *facti* vel *sententiae*, ut vulgo loquuntur, vel *historicae* vel *dogmaticae*. Res historicae, nisi si sint pervulgatae, hactenus tractandae sunt ut appareat et quem Auctorem et quantam auctoritatem fidemque

habeant. Sententiarum tam sunt multa genera, ut ea enumerare infinitum sit. Sunt vel *propriae*, ipsius natae Auctoris ingenio, vel *alienae*, ex aliis Auctoribus petitae: illustres forma, reconditae materia: vel ad intelligentiam et ingenium, vel ad actionem et animum, pertinent: vel e vita communi susceptae, vel e doctrinis assumtae et Philosophia, morales, physicae, dialecticae. Nullius non sententiae vis ac potestas, si paulo altius abdita lateat, patefacienda est. Placita Philosophiae diligenter explicanda, praesertim in Plutarcho, qui inter primarios Historiae Philosophicae fontes censetur, in eoque argumento adeo est frequens ut sine ejus explicatione intelligi omnino nequeat. Neque vero rebus magis quam verbis illud adhibebit Interpres officium quod cernitur in locis aliunde sumtis, seu diserte memorato seu omisso Auctoris nomine, sive imitando expressis, sive alludendo significatis: cujusmodi loci in nullo fere Auctore frequentiores sunt, quam in Plutarcho. Omnino, propria ab alienis ita distinguantur, ut nullus non notetur locus in quem aliunde quid duxisse videatur Auctor. Quod si enim minus ad ipsius intelligentiam Auctoris valeret, tamen pertinebat ad judicium de Auctore et Criticam provinciam, pertinebat ad humanitatis ingeniique fructum, nosse utrum a se ipse, an ab alio, sua habeat Auctor. Nunc tanti est momenti ad ipsam Auctoris intelligentiam hoc officium, ut illa constare sine hoc omnino non possit.

Sed

Sed quod saepe diximus, illa interpretandi officia adhibenda esse locis iis qui ea desiderent, et quantum desiderent atque opus habeant: hoc quale sit, intelligendum est. Interpretatio certum finem ac modum habeat. Nam, ut nemo dubitat quin obscura illustrari, impedita expediri debeant: ita dubitatur quid sit obscurum et impeditum. Atqui haec non per se, sed comparatione constant: non sunt absoluta, sed relata; ut quod aliis obscurum impeditumque sit, idem aliis perspicuum expeditumque reperiatur. Ergo neque ita diffundenda est Interpretatio, ut eos etiam locos explicet, qui non nisi pueris ac tironibus obscuri sint: neque ita restringenda, ut non nisi eos attingat locos, in quibus doctissimi homines haereant. In priori genere sunt Minellianae, Farnabianae, similesque editiones: quas ego haud penitus contemno, quippe ipse quondam earum utilitatem expertus: sed Plutarchum totum ad eam rationem edi nolim. In altero genere sunt Bentleianae et similes editiones, quae unice in emendando versantur, omnem rerum verborumque Interpretationem, quasi legentibus cognitam, omittunt: nec eam nisi obiter, ubi emendationis ratio reddenda est, attingunt. Ad quem modum, paucissimis accommodatum, non edendus est Plutarchus, cujus doctrina eum habet fructum, qui ad communem omnium utilitatem explicari debeat. Quid igitur? Media quaedam tenenda est via, quam quisque non imperitissimus

sequi possit. Carneades (*) in schola nimium clamans, a vicino admonitus ut vocem aliquantum submitteret, respondit, *Da mihi vocis mensuram*: cui vicinus, *Mensuram habes auditores tuos*. Ita editor mensuram Interpretationis habet legentes: quorum captui, quasi auribus, ita vocem accommodabit suam, ut a quovis non surdo intelligatur, nec contentione obtundat acutiores, nec submissione praeterlábatur hebetiores. Non igitur se ipse faciet mensuram, ut de iis tantum locis dicat qui adhuc ipsi difficiles videantur, praetereat locos, quos, antea minus intellectos, jam longo Auctoris usu intelligit. Personam sumet medii hominis, qualis ipse fuerat anteaquam ad interiorem cum Auctore familiaritatem pervenerat: tum se ipse excutiet, ac suo sensu explorabit, quem Interpretationis modum legentibus admetiatur: quibus quantumque dicat de locis, quibus quantumque taceat. De locis quidem desperatis, quibus lucem aut sanitatem adferre non potuerit, ne taceat, sed ignorantiam ipse suam candide profiteatur. Qui secus facit, dupliciter peccat: et quod silentio intelligentiam simulat, et quod aliis corruptum tamquam sanum tradit. Nec potest, nisi simplex et apertus, quisquam esse bonus interpres.

Ad hunc modum si nobis Grammaticam Interpretationem explet interpres, praeclare nobiscum agi

(*) Plutarch. Op. Mor. p. 513, C: Diogen. Laert. IV, 63.

agi existimemus, contenti simus, nec ultra quid requiramus. Ipse vero interpres non ita se his finibus continebit, quin subinde in Criticam excurrat Interpretationem. Sed eam historicis magis quam dogmaticis adhibebit locis: cavebit sibi, ne Auctorem ad nostri potius quam antiqui rationem consuetudinemque ingenii exigat: semper cogitabit quid postulet loci ratio, quid legentium mensura: quorum ingeniis saepius relinquet hoc judicium, quam ipse faciet. Nam horum quidem per est ridiculum et indoctum genus interpretum, qui in locis obscuris nec sibi intellectis tacent: ubi vero talem judicandi locum nacti sunt, eum, quamvis perspicuum, cupide arripiunt, in eum ut ignorantiae tegumentum se induunt, per longas disputationes intempestivam sapientiam expromunt, seque tum optimos interpretes jactant, alteros illos Grammaticos interpretes, quamquam unicos intelligentiae opifices, tamen ut syllabarum aucupes comtemnunt. Quo decepti errore multi, patrum majorumque memoria, eas demum bonas editiones judicarunt, quibus *Discursus*, uti vocabant, *Politici et Philosophici* adjecti essent. Qui, quamvis accurate confutati ab Ernesto ad Tacitum, tamen hodieque in simili genere suos habent imitatores.

Caeterum interpres, quum id agere debeat ut Auctoris intelligentiam aperiat, ita scribet ut ipse intelligatur. Qui enim non ipse intelligitur, nae is ut Auctor intelligatur non efficiet. Igitur omne

stu-

studium in perspicuitate ponet. Quam quidem vidimus a compluribus, quos nominare non est opus, doctissimis etiam viris, adeo neglectam esse, ut saepe minori negotio locus Auctoris quam illorum Interpretatio intelligatur.

Haec ego quum et aliis locis disputaverim, et saepius inculcaverim, et hoc loco retulerim, neque tamen re et facto consequi et explere potuerim; vereor ne apud plerosque in vanitatis reprehensionem incurram. Et fateor, hanc ipsam cogitationem me in maturanda Animadversionum editione retardasse. Sane, multo est facilius artis rationem quam usum, quod vulgo aiunt *theoriam* quam *praxin*, tenere; facilius est bene dicere, quam facere; leges scribere, quam sequi. Nam ut reliquas omittam artes, de Interpretandi arte quotusquisque est quin judicare sibi posse videatur: quotusquisque ex innumerabilibus Logicae et doctoribus et scriptoribus, quin ejus artis rationem ac praecepta, veluti ex tripode oracula, decantet: rudes plerique omnes ab omni Veterum lectione ac studio. Quid igitur, dicat quis, caussae est, quod tu qui vitam in Veterum lectione consumis, Interpretationis rationem et officium oratione probabiliter designas, re et actione non item probabiliter exples? quid est, quod Animadversiones tuae tantum ab illa designata perfectione absint? Dicam paucis. Ego satius duxi, dare quod haberem qualecumque id esset, quam, opere diutius ducendo, aut nihil dare, aut qualecumque illud meum diutius a pu-

bli-

blica utilitate cohibere. Forte aliquanto meliores plenioresque meae futurae erant Animadversiones, si eas etiam nunc, quod aiunt, nonum pressissem in annum: at ne sic quidem, neque bis ac ter in nonum pressae annum, ad illam perfectionem venissent, semper magna in mediocritate substitissent. Quod ne cui mirum dubiumque videatur, ita mecum rem perpendat ac reputet.

Nam illa, de quibus diximus, Interpretationis instrumenta nemo non, qui hoc agit, comparare sibi posse putatur. Veluti, ut ex his unum, sed maximi illud momenti, memorem, quod cernitur in colligendo rerum verborumque apparatu, de quo dixi in Praefatione p. 19 (*): hoc igitur magis laboris ac diligentiae, quam ingenii et felicitatis, censetur. Ut Auctores, inquit, antiquos, ac recentiores item optimos quidem, legamus, ex iisque eos excerpamus locos quibus Auctoris, quem edendum suscepimus, loci difficiles expediantur et illustrentur, in nostra est potestate: quid enim, ut hoc efficias, requiritur, nisi ut, primum velis, deinde ut opus aggrediaris, tum in labore persistas, excerpas locos Auctorum, eosque annotes ad locos tui Auctoris: hoc igitur, inquit, in negotio omnia sunt in nostra potestate, nil extra eam in fortuna. Atqui, o bone, quae tu numerasti nostrae instrumenta voluntatis ac potestatis, eadem sunt fortunae subjecta: certe, ejusmodi eorum est

(*) [Vid. supra, horum Opusc. p. 280.]

est materia, in qua non magis ratio et consilium, quam casus ac temeritas, dominetur. Nam ut concedam, in nostra esse potestate velle, incipere, progredi: ut hoc addam, dimidiam esse facti bene coepisse: quamquam horum nil non magnam dubitationem habet: sed ut haec tibi concedam, quid dices de constantia in perpetuitate laboris? Ut in longo et fere infinito opere, non torpore capiatur ingenium, non animus satietate, non caput vertigine, oculi caligine, manus ac totum corpus lassitudine; quorum, et plura nonnumquam simul accidunt, et si vel unum acciderit, perfectus laboris fructus constare nequit: porro, ut in legendis aliis Auctoribus omnia animadvertas conjuncta cum tuo Auctore, hujusque tibi loci praesto sint, ne quid opportunum praetermittas, ut attentio non hebescat, festinatio studii nil praetereat, oculi nil praeter videant, manus suum semper officium faciat: ut intermissum opus repetens, quo desiisti loco, pergas, nec sequentia occupans, antecedentium partem vacuam et intactam relinquas: haec tot tantaque quis tandem mortalis praestare potest? quippe quae extra nostram potestatem sita, vel a fortunae temeritate vel a naturae infirmitate existunt. Et quamvis multa, tamen ex innumerabili eorum multitudine non nisi pauca memoravi! Plato (*) animi naturam comparavit currui juncto duobus equis, gubernante auriga: aurigam fecit *νοῦν*, *mentem*;

(*) In Phaedro, p. 344, E.

tem; alterum equum agentem, fervidum, θυμὸν, *irae impetum*; alterum, patientem, pigrum, ἐπιθυμίαν, *cupiditatem*. Jam quis umquam humanus νοῦς corpori ex hac terrena faece conflato inclusus, ita sui ipse imperium obtinuit, ut suas sibi facultates semper dicto obedientes haberet, easque in recta perpetuo via contineret. Et Plato illam constantiam solis Deorum curribus tribuit. Meus quidem currus ita comparatus est, ut auriga et vigilet et regat quoad ejus fieri potest, eique obtemperet fervidus equus; at piger equus perpetuo conjugis equi alacritatem retardet, et ab auriga necquicquam voce stimulisque excitetur. Atque hujusmodi plane plerorumque, quibuscum degi, hominum negotium cognovi. Unus fortasse et alter ex raro videbatur mihi esse genere eorum, qui sui ipsi imperium obtinerent. Videbam eos quotidie suas res agere, non modo negotia, sed et otia et literarum studia, certis horis distributa destinataque habere: neque a praescripta illa designataque via recedere. Felices eos praedicabam: quaerebam ex iis, quomodo hanc felicitatem consecuti essent; si forte eam ipse quoque consequi possem. *Voluntate*, aiebant, *et consuetudine.* Itane, inquam, voluntate et consuetudine? Atqui voluntas mihi numquam defuit, consuetudinem consequi non potui: haec, quaeso, quomodo comparatur? *Voluntate*, aiebant: atque idem iterum iterumque interroganti, idem respondebant: vehementer quoque mirabantur, me, quem in Literis aliquid profecisse dicebant,

bant, non ipsorum ratione modoque vivere. Nam vos, inquam, mirifici estis homines, aut potius plus quam homines, heroes ac semidei, qui tam efficacem habeatis voluntatem: ego sum unus e multis, voluntas adest, vires desunt, saepe in via deficio, saepe a via in diverticulum deferor: vos, ut caelestia corpora et sidera, eumdem perpetuo et aequabilem tenetis motum. Caeterum ab his discedens ac rem mecum ipse reputans, intelligebam eos esse homines valde laudabiles, efficaces item et utiles ad quotidiana vitae negotia cum domestica et publica, tum etiam literaria, minus tamen ad egregia et insolita opera: nec sane ullum eorum ex hoc genere opus, quamvis diligenter quaerens, reperiebam: itaque eos, in summo illo ordine, hoc ipsum, ut ita dicam, homines ordinarios esse, aut potius sine illo ordine nullos futuros fuisse.

Neque vero ita hoc dico, ac si ordinem magis mediocritatis quam excellentiae effectorem esse existimem. Nam nullum est tantum ingenium, ut ad discendum progrediendumque sine ordine quidquam magnopere valeat: et ipse me in Praefatione p. 33. (*) professus sum et adhuc profiteor non in velocibus ingeniis, sed in tardis, quae labore et ordine nituntur. Et vellem sane ordinis legem constantius sequi possem: sed quando non possumus quod volumus, debemus velle et agere quod possumus, observare opportuna ad agendum tempora,

(*) [Vid. supra, horum Opusc. p. 297.]

ta, ubi excitari nos et alacriores ad laborem fieri sentimus; eaque tempora subito se offerentia subito arripere ac sequi, sepositis, quoad ejus fieri potest, ordinariis negotiis. Equidem quo magis illi γνῶθι σεαυτὸν studeo, eo magis meam ipse mediocritatem agnosco; reperio meum ingenium in media quadam classe versari: neque in infima eorum, qui, nisi perpetua ac severa ordinis lege adstricti, nil possunt: neque in suprema eorum, qui sine ordine omnia possunt: sed in media eorum, qui ordinem et sequi plerumque, et deserere subinde, debeant. Memini me per complures dies, atque adeo menses, aliquando nihil agere posse, ac deinde vehementer dolere tantum mihi periisse temporis: postea majore studio, et instauratis quasi viribus, intermissa studia repetere, et amissum tempus compensare. Quid igitur? Quod alacritas deficit, quod redit, non est in mea potestate. Ut deficientem alacritatem non invitis Musis in eodem studio retinere coner, sed ad aliud non inutile studium traducam: ut redeuntem excipiam ac sequar; horum utrumque in mea est potestate. Itaque eo fere inducor ut putem, amissum illud tempus dolere, idem esse ac dolere me hominem natum esse. Mens humana, quamdiu conjuncta est cum illa equorum biga, nisi currum subvertere velit, equos non solum imperio sed obsequio etiam reget, saepe eorum ingeniis indulgebit, magis lenitate quam vi utetur. Maneat ergo hoc, multum valere fortunam ut in omni vita, ita in studiis ar-

tium, literarum, doctrinarum: sed plus etiam valere prudentiam et rationem, quae oblata fortuna scienter utatur: haud secus atque gubernator navem eo quo vult perducit, dum ventis obsecundat ac prudenter utitur.

Ergo, quum de vi fortunae, ut de plerisque rebus, duae sint eaeque diversae et contrariae hominum opiniones, aliis nimium, aliis parum ei tribuentibus; non inter ista extrema medium teneamus. Est autem inter nimium et parum in medio id, quod *satis* appellatur. Demosthenis (*) haec in primis fertur sententia: *μεγάλη ῥοπὴ, μᾶλλον δὲ τὸ ὅλον, ἡ τυχὴ παρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα· in rebus humanis omnibus magnum, immo omne, momentum est fortunae.* Sed hoc ad popularem concionis sensum, non ad philosophiae Auctoritatem referebatur. In eodem est genere veteris poetae dictum: *Vitam regit fortuna, non sapientia:* quod laudavit Theophrastus, ut Cicero (†) ait, eamque ob caussam libris et scholis omnium philosophorum vexatus est. Equidem utrisque ignoscam et vexato et vexantibus. Theophrastus dictum laudare poterat, ut vulgarem opinionem: alii reprehendere poterant, ut philosophiae sententiam. Nam philosophia cum multa nobis bona pollicetur, tum hoc in primis, ut nos in libertatem vindicet e servitute fortunae, nostrique

(*) Orat. Olynth. II. p. 24, C.

(†) Tusc. V, 9.

que imperium, illi ereptum, nobis restituat. Igitur plerique philosophi parum fortunae tribuerunt: non solum ii, quorum doctrinae hoc erat consentaneum: sed ii etiam, quorum adversabatur doctrinae, capti scilicet gloria professionis. Metrodorus, Epicuri familiaris: *Occupavi te*, inquit, *fortuna*, *atque cepi*, *omnesque aditus tuos interclusi*, *ut ad me adspirare non possis*. Aliquanto modestius ipse pater Epicurus: *Exigua sapienti intervenit fortuna:* id est, in sapientis vita paucos esse locos, qui fortunae pateant. Modestius, inquam: nec tamen aut verius, aut consequentius. At Stoici constantius: qui sapientem nulla in parte a fortuna pendere, solum non modo liberum, sed etiam regem sui ipsum volebant. Constantius, inquam: nec tamen accommodate ad humanam naturam, quae illum sapientem non capit. Nos, qui non sumus sapientes, medio inter sapientiam et fortunam versamur loco. Multum in rebus nostris valet fortuna: plus etiam sapientia valere potest, si ei pareamus ut gubernatori, fortuna utamur ut ventis. Et huc sane redit tota Philosophia, si quidem recte ab ipsis Stoicis *τέχνη βίου*, *vitae ars*, definitur.

Sed quid haec disputatio ad nostrum argumentum? Sane multum. Nam qui ab Interprete talequid postulat, ut nil perperam factum, nil neglectum, opportunus aliorum Auctorum locus nullus omissus deprehendatur: hic profecto Interpretem vult ab omni fortunae dominio liberum et im-

munem, plane perfectum sapientem ad Stoicorum normam. Ad quam legem et conditionem si Interpretes semel redigantur, quis tandem mortalis, quamvis doctus et ingeniosus, Interpretis provinciam suscipere audeat? Hoc illud est quod magnum Hemsterhusium ab edendis antiquis Auctoribus deterruit: quod, ut de eo prodit Ruhnkenius (*), „Nihil, nisi quod omnibus numeris „ expletum esset, a se exire vellet: quod, quamcumque rem tractandam sumsisset, eam ita excutere et cum pulvisculo exhaurire studeret, „ ut, qui posthac idem agere instituerer, omnem „ sibi materiam praereptam fateretur. Quibus de „ caussis, memoriae suae, fidissimo caeteroquin „ omnium, quae semel legisset audissetve, custodi irasci solebat, si vel leve quiddam, quod „ eodem pertineret, sibi post editum librum suppeditaret." Saepe etiam accidebat, ut aliquis minorum gentium Criticus, atque adeo terrae filius, interea tale quid animadverteret et continuo in publicum proderet, vel uti graculus in praedam ita in hanc gloriolam involaret, altum quoddam raucumque clamaret, se nimirum id vidisse quod tantum virum latuisset. Quibus graculis ut non magnopere movebatur Hemsterhusius, ita minus etiam ad scribendum excitabatur. Enimvero quis umquam fuit editor, cui non post editum librum quaedam in mentem veniant praetermissa? Et haec

(*) Elog. Tib. Hemsterhusii, p. 65.

haec tamen in scriniis servat interea dum vulgandi opportunitas offeratur: nisi si quis pueriliter, ut ita dicam, edituriens, quotannis Animadversionum libellum vulgare velit, quibus veteres retractet, et novas item subitaneas addat proximo rursus anno et libello retractandas; ut scilicet partum ipse suum ostentet, nec ejus gloriam sibi ab alio praeripi sinat, Μήτις κῦδος ἄροιτο βαλὼν, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθοι. Unus fortasse est commentarius Ruhnkenii in Timaei Lexicon Platonicum, ex editione altera, cui nil ad absolutionem desit. Sed quis dicat, non uno aut altero loco quid addi posse? quandoquidem ea est horum operum natura ut semper accessioni locus relinquatur. Atque, si quid video, unus fuit post renatas Literas Ruhnkenius ex paucis iis, quibus hoc in studiorum genere, par cum efficacia facilitas, par cum secundo fortunae flatu gubernandi solertia obtigerit. Equidem ipse quoque in Plutarcho editionem mihi proposueram omnibus numeris absolutam, praesertim quod ad colligendum doctrinae apparatum attinet. At mox animadverti, me majus quoddam quam pro humano et captu et vitae spatio concepisse: meum propositum ex illa magnitudine in arctiores fines redegi. Itaque hoc teneamus, nostro nos modulo metiamur. Ne speremus nos omnem futuri interpretis operam occupasse ac supervacaneam reddidisse. At speremus operam nostram inventuram aequos intelligentesque judices, qui eam ex majore censeant parte, errores nostros

cum recte factis compensent, haec potius laudi quam illos vitio nobis vertant.

Hac ego spe fretus meum adhuc iter tenui: nec me aliorum festinatione ipse ad festinandum induci passus sum, qui interea, dum ego meum opus agerem, vel totius editionis, vel singularum animadversionum mihi laudem novitatemque praeriperent. Neutris irasci debeo; illis, quia nil nisi idem atque ego stadium ingressi, cursu me praeverterunt: his, quia eodem ipse adolescens morbo laboravi. Illa aetate subinde Criticos libellos edere gestiebam; ne scilicet animadversiones publica luce, ut putabam, dignas, praesertim in locos a claris Criticis frustra tentatos, in tenebris continerem. Quem meum morbum et maturior aetas sanavit, et Ruhnkenii admonitio. Hic meum studium ab istiusmodi libellorum editione ad Plutarchum convertens, *His tuis emendationibus*, aiebat, *locum aliquando dabis in editione operum Plutarchi.* Cui ego: *Quid vero, si quis illas mihi interea praeripit?* Tum ille: *Pauperis est numerare pecus: et vel praereptas tu ut tuas prodes emendationes: certe, praestat magnum opus agere, quam in levibus opusculis tempus perdere.* Ergo postea, neque in Bibliotheca Critica, ubi hujus negotii locus videbatur esse, illas emendationes vulgavi; nisi forte ad eos Auctores referrentur quorum in editionibus censendis versarer. Neque etiam reliquas omnes in his Plutarcheis Animadversionibus prodam; certe, non nisi eas

quas

quas Animadversionis cujusque argumentum postulare videbitur.

Hac item spe fretus, non laboro de graculis. Horum est duplex genus. Alii in errores et praetermissos locos involant: alii in recte vereque dicta. De illis supra dixi: de his nunc dicendum. Et vero plane sunt germani posteri illius in fabula graculi, qui assumtis aliarum avium pennis superbiebat: frequentes illi in genere cum Bibliopolarum tum Scriptorum: apud quos, ut sunt seculi mores, plagii quaestus non magis turpis habetur, quam heroicis temporibus piraticam factitare. Atque, ut tunc sine contumeliae suspicione peregrinos advenas interrogabant an essent ληϊστῆρες (*), ita nunc sine ignominiae nota quaerimus et narramus de Scriptoribus et Bibliopolis, utrum sua an aliena, id est furto surrepta, vendant: non illi quidem ψυχὴν παρθέμενοι, vitam periclitantes, sed bonam existimationem abjicientes. Et tamen neutri rationem, qua se tueantur, sibi deesse putant. Bibliopola profitetur, se exempla boni libri frequentare, ejusque fructum ad plurium hominum usum propagare. Scriptores, quippe cum lucro etiam gloriolam consectantes, dictitant se libri materiam, bonam quidem illam, sed rudem et indigestam, judicio elegantiaque digerere et ad communem captum ac publicam utilitatem conformare. Itaque bifariam fit haec librorum repe-

(*) Homer. Od. γ'. 73. ί. 254. Thucydid. I, 5.

petitio. Nam Bibliopola vel simpliciter librum recudit, ne verbo quidem mutato: quo in genere est Lipsiensis, qui hanc nostram editionem reddere instituit forma octava, inficetum prorsus et sordidum negotium cum charta, tum literarum formulis: et gloriatur etiam se plurima nostrae editionis typographica menda correxisse: quod quale sit postea videbimus. Vel hominem conducit, qui quasi novam recensionem faciat: hic suo ipse judicio mutat, addit, omittit quae vult, notas animadversionesque editoris ita transformat suisque infercit, ut ipse earum auctor et inventor videatur: quo in genere est Tubingensis Bibliopola. Nec tamen satis ambobus inter se convenit: plane ut ληϊστῆρες in eamdem praedam incidentes, ea solus uterque potiri cupit. Festivum est negotium. Ille hunc furti reum agit, qui meas Annotationes mutilaverit ac surripuerit. Ille quid responderit, si modo respondit, nescio, nec scire curo; nam casu haec mihi controversiola, ejus prorsus incurioso, ad aures notitiamque accidit. Si verum volumus: hic, ut in furto jam more majorum omnibus libero et concesso, simpliciter et aperte agit, ac priscum quasi candorem prae se fert: ille apud aequos etiam judices nomen genusque illius in fabula graculi effugere vix possit. Mihi haec audienti in mentem veniebat alterius cujusdam fabulae de duobus pueris, quorum uterque ex eadem domo pallium surripuerat: alter suum, ut erat, pallium gestabat: alter e suo tuni-

nicam ac paenulam faciebat, atque alterum conspicatus, *Quin te pudeat*, inquit, *ita aperte pallium tuum gestare ac furem videri!* Cui alter: *Quid ni gestem in tanta omnium erga fures lenitate ac patientia? at tu, cujus non minus quam meum patet furtum, praeterea quoque vanus et mendax habeberis.* Quod autem ad menda typographica nostrae editionis attinet, hoc totum non tam ex re et veritate, quam astutia et cupiditate hominis Lipsiensis fertur, qui, hac reprehensione in titulo posita, suis exemplis emtores quaesivit. Horum unum casu in meas manus incidit: vidi pauca vitia correcta: vidi etiam nova: et plura, opinor, nova vidissem, si nauseam ferre potuissem in legendo tam spurco immundoque exemplo operis quod inde a longo tempore in nitidioribus et nuper in nitidissimis illis Oxoniensibus exemplis legere assueveram. Lepidum est quod mihi ante paucos hos dies scripsit vetus in Gallia amicus, homo doctus: *Plutarchi tui*, inquit, *nulla sunt apud nos Oxoniensia exempla propter interclusum commeatum: Lipsiensia vidi: haec vero adeo sunt squalida et horrida, ut nemo homo, nisi stomacho oculisque praeditus Germanicis, ea perlegere sustineat.* Equidem hujusmodi stomachos oculosque laudo, quos inculti et agrestes istarum officinarum foetus a legendis bonis libris non deterrent: bibliopolas reprehendo, qui, lucri cupiditate ducti, non aliquanto diligentius studiosorum hominum sensibus consulunt. Cae-

terum affirmare possum, me adhuc in Oxoniensi Graeco contextu et Latina versione, aut nulla aut paucissima reperisse operarum vitia: unum alterumque in Annotationibus et Praefatione: vix unum et alterum quod sensum turbet, nec facile ab homine mediocriter docto corrigi queat. Sed huic qualicumque incommodo et consultum jam est in Erratis, et nos amplius consulemus in Animadversionibus. Satis dictum de Bibliopolis: quos ne attigissemus quidem, nisi eorum caussa conjuncta esset cum hominibus literatis alieni laboris interceptoribus: de quibus superest ut dicamus.

Quicumque ingenii studiique sui foetum scripto ad publicam utilitatem vulgant, ut alius alia impellatur caussa, ita haec est communis omnium, et hoc pariter omnes spectant, ut suum opus ad plurimorum, quoad ejus fieri possit, cognitionem perveniat: aut nisi hoc consequantur, certe ut ab iis, ad quorum cognitionem opus pervenerit, aliquam gratiam ineant: nisi hoc, at ut ipsi ejus auctores habeantur ac ferantur: si ne hoc quidem, saltem ne alius auctor habeatur: sin denique hac item frustrentur spe, at postremo ut is alius aliorum opinione auctor feratur, non ipse se inscribat operi, minus etiam ut meliores operis partes sibi vindicet ac venditet, deteriores auctori relinquat, objiciat, exprobret. Quod si sapiens, vulgi laudem cognitionemque spernens, certe in rebus indifferentibus ponens, et satis habens bene

fe-

fecisse etiam si iis, quibus bene fecit, ignotus occultusque maneat, tamen aliorum gratia tangitur; propterea quod virtus in beneficentia consistit, cujus effectus est gratia: quod si porro gratiae effectus constare nequit, nisi auctorem beneficii cognoscamus et agnoscamus, eaque cognitio et agnitio animos et dantis et accipientium mutuo benevolentiae sensu et charitatis vinculo consociat, eoque sensu vinculoque virtus cum voluptate conciliatur, et utriusque humanissimus cernitur fructus: igitur si in sapiente hoc laudatur, quomodo in Scriptoribus, qui non sapientes, sed tamen sapientiae studiosos, se profitentur, reprehendatur, si hominum, certe intelligentium, cognitione, existimatione, laude, gratia, moventur atque afficiuntur? Sed haec Scriptorum voluntas, hoc eorum in suos foetus, ut parentum in liberos, jus, hic beneficii gratiaeque fructus, qua pietate his temporibus colatur, latere potest neminem, qui editiones antiquorum Auctorum in Germania praesertim factas tractaverit. Antea suum cuique tribuebatur, sui cujusque firma sanctaque erat possessio: ferebantur in primis editiones, uti vocabantur, *cum notis variorum*, in quibus sub sui auctoris nomine quaevis nota exstabat: hujusmodi editionum feracissima fuit Batavia nostra: hujus eadem religionis tenacissima etiamnum est. At nova secta exstitit, plane illa ex genere graculorum: qui vetus illud nomen *variorum*, et cum nomine religionem riderent; ut nimirum ipsi nu-

nudi, nullo Veterum usu apparatuque instructi, priorum se copiis interpretum vestirent atque instruerent. Ecce, veteris Auctoris novus existit editor! Quid agit? Priorum interpretum commentarios animadversionesque in unum acervum congerit; haud aliter atque architectus, in aliena materia dominatur; inde, quidquid vult, promit ut suum; reprehendendi materiam nactus, verum dominum inventoremque nominat et in triumpho ducit. Nonne magis etiam improbe agit quam vetus ille graculus, cui satis erat aliarum se avium pennis ornasse, aves ipsas non vexabat? Sed utilitatis quid afferunt istae editiones? Doctis aut nihil, aut parum: ne indoctis quidem ac tironibus, quibus destinatae sunt, tantum quantum vulgo putatur; quippe saepe alienae materiae, nec ipso Veterum usu collectae, ignoratione, saepe ejusdem constipatione, saepe inani loquacitate, et ipsae errantes et legentibus errorem caliginemque offundentes; ut ipse Auctor solus et minore cum erroris periculo legatur, et facilius intelligatur. Neque vero hoc ita dico, ac si omnes in eadem levitate sint editiones istae. Sunt omnino quaedam factae a viris doctis et ingeniosis, nec alieno indigentibus ornatu: sed et hae fere, ut reliquae, ita sunt comparatae, ut alienas opes pro suis venditent.

Jam dicat quis, Tu vero aliorum reprehensor, qua ipse diligentia et religione provinciam interpretis administrabis? Equidem et partim dixi, et dicam quod superest: sed dicam ad aequos illos intel-

telligentesque lectores, quos mihi administratae hujus provinciae judices obtingere opto: et dicam cum de me, tum de decessoribus ac successoribus meis. Vos igitur appello, aequi intelligentesque judices! Vos obsecro ut mihi ignoscatis, si quid erravero, vel ignorantia, vel negligentia, vel oblivione: si minus quam pro tot annorum exspectatione doctrinae copiarumque attulero. Legentium studiis ita consulam, ut nullum non locum difficilem obscurumve vel expediam si potero, aut sin minus potero, difficultatem notem, meamque ipse ignorantiam non dissimulem. Decessoribus meis Xylandro, Stephano, aliis, sua nec detraham bene facta inventaque, nec mihi vindicabo. Eorum, qui singulares Plutarcheos libellos tironum captui accommodarunt, copiolas non consectabor: atque si subinde, ut fit, eadem ipse loca monitaque attulero, haec non ex illorum rivulis, sed ex ipsis fontibus in meum apparatum ducta ex eoque in Animadversiones depromta erunt. Successores mei, sive universa sive singularia Plutarchi opera edituri sint, meam operam etiamsi si superaverint, ne despiciant: illi cogitent, longe majoris esse laboris fundamenta jacere aedificiumque exstruere, quam exstructo fastigium imponere: hi attendant et quanto sit facilius unum copiose, quam octogenos modice ornare libros, et in parvi libelli quamvis copioso commentario conficiendo non omnia exhauriri a nobis posse, multaque nostram diligentiam effugere, quae ad rem pertineant; quorum

rum

rum utrumque ipse expertus sum in libello de Sera Numinis Vindicta. Hujus editio quanto habuerit faciliorem effectionem quam editio universorum operum, dixi in praefatione primo Volumini praemissa: et Animadversiones meae ad illum libellum quamvis frequentes ac refertae tamen eum habent modum, ut, non dico ad perfectionem, sed ad necessarium interpretationis officium multa iis desint: quorum haud contemnendam partem postea vidi et annotavi. Caeterum a successoribus meis si exspectem ut, qua ego erga meos decessores religione usus sum, eadem ipsi erga me utantur, non videar nimiam ab iis gratiam exspectare. Sin hoc majus est quam pro hujus saeculi moribus, meique mihi successores se graculos praebebunt; consolabor me cum conscientia recte factorum, tum societate magnorum virorum: neque communem recusabo sortem, quo minus mea inventa a meo in alienum nomen transferantur, dummodo bonarum Literarum studiosis aliquem ingenii fructum afferant.

Scripsi Amstelodami, mense Januario, anni MDCCXCVIII.

ANI-

DISPUTATIO

DE LIBRO

ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΩΝ ΑΓΩΓΗΣ.

DE PUERORUM EDUCATIONE.

EX EDIT. PLUT. MORAL. VOL. VI. p. 29.

Qua disputatione ostenditur, scriptorem hujus libri non esse Plutarchum Chaeronensem.

Hunc mihi libellum non a Plutarcho scriptum videri, et antea saepe significavi, et nunc diligentius ostendendum est. Equidem non dubito fore nonnullos, qui se faciles praebeant, mihique vel nullas afferenti rationes assentiantur, ut nimirum in in Plutarcheorum librorum lectione satis versato ad veram germanamque eorum formam ac scriptionem a supposititia dignoscendam. Sed idem ego alios fore praevideo non item faciles, qui rationes sibi reddi explicarique postulent, unde ipsi judicent probandamne an improbandam meam sententiam putent. Ego vero utrisque consulere velim, et ho-

horum severitati, et illorum facilitati. Utrique igitur cogitent, in tota Critica duo esse quibus omne judicium regatur, rationem et auctoritatem. Faciles hortor ne auctoritati nimium tribuant, neque vel mihi vel cuiquam alii simpliciter affirmanti credant. Difficiles moneo, si forte rationum mearum vim, hujusque libelli in forma et oratione a germanis Plutarchi scriptis diversitatem, minus perceperint ac senserint, ut secum reputent hunc sensum non nisi longo Auctoris usu comparari, nec rationibus explicandis in aliorum animos inferri, sed auctoritatis instar obtinere; igitur, si usum mihi concedunt, necesse esse ut etiam sensum mihi concedant, ejusque auctoritatem apud se valere patiantur. Utrique ut rationes nostras et facilius assequantur et accuratius percipiant, earum explicationem ab universa generis distributione repetamus.

Igitur notae quibus spurius censetur aliquis liber, sunt vel internae vel externae. Utriusque generis formae sunt multae. Externae, praecipuae quidem, hujusmodi sunt: si liber jam ab Antiquis spurius habitus est: si ab iisdem prolata sint quaedam ex hujus nominis et Auctoris libro quae hodieque in eo non exstent nec locum inveniant: si Antiqui de eo taceant ubi mentionem facere debuissent, aut memorent sub alterius nomine auctoris: si res factaque in eo prodantur incredibilia et communi antiquitatis usui ac testimonio repugnantia; si res vocesque occurrant, aetate auctoris, cujus nomine liber fertur, nondum factae neque cognitae: vel-

ut

uti, ut hoc utar, in Phalaridis Epistolis frequentes sunt hujusmodi notae a Bentleio deprehensae et excussae. Estque hoc genus ita in promtu manifestoque positum, ut doctis quidem facile in oculos incurrat, et semel ostensum etiam minus doctos moveat. Internae notae in eo cernuntur: ut, non quidem ab illa aetate, sed ab ipso Auctore alienae sint: ut disserendi ratio, argumentorum, praeceptorum, exemplorum delectus, dispositio, explicatio, ut orationis habitus cum in singulis verbis, tum in eorum compositione, tum in sententiarum conformatione et continuatione, ab Auctoris consuetudine et ingenio abhorreant. Quod genus plerosque latet: nec nisi ab his, et a paucis adeo horum, animadvertitur qui non modo universae antiquitatis et linguae scientia valeant, sed peculiariter ejus, de quo quaeritur, Auctoris longo usu et formam animo impressam et orationem auribus quasi et sensu cognitam habeant. Et sunt hujus generis complures gradus, prouti notae illae magis minusve vel frequentes, vel manifestae et conspicuae sunt.

Jam judicium de hoc libello totum in illo altero ac difficiliori genere versatur. Nulla est nota externa, nisi forte una, sed ea per se sola mediocris momento et evidentia: nulla certe manifesta et minus doctis perspicua. Omnes sunt internae, reconditae, ab Auctoris usu repetendae; ut fere ad indocilem sensum referantur, et exiguum rationi locum relinquant. Igitur paucissimi fuerunt

runt qui de hoc libello νοθείας suspicionem concipérent: certe qui eam proderent, quod sciam, non nisi duo fuerunt: alter, M. A. Muretus, Var. Lect. XIV, 1, ubi locum corrigens Capitis XV hujus libelli, sic praefatur; *in libello, qui Plutarchi quidem non videtur, sed inter ipsius opuscula tamen legitur, De Liberis Educandis:* alter, Jo. Rualdus, Vita Plutarchi, XX, p. 41, sive is suopte ingenio, sive, quod credibilius est, illo Mureti judicio admonitus, hoc vidit. Et vero mirandum est tam paucos extitisse qui hoc per se ipsi animadverterent ex tot Plutarchi lectoribus: in quibus fuerunt a quibus talem quis animadversionem merito exspectasset, cum principes Graecarum Literarum, tum editores, ne dicam singularis hujus libelli, sed omnium Plutarcheorum operum, qui eorum formam sensumque usu perceptum tenebant, eruditissimi homines Xylander et Stephanus. Sed quid eos dicam, qui hoc per se ipsi aut non animadverterunt, aut animadversum non vulgarunt? cum plerique etiam admoniti illa Mureti ac Rualdi animadversione, eam improbarint ac reprehenderint: ex quibus satis est duos nominasse, J. A. Fabricium, magnum profecto virum, Biblioth. Gr. III, p. 348, et Jac. Frid. Heusingerum, non quidem illum tantum virum quantus postea exstitit, sed tamen adolescentem haud contemnendae doctrinae, et in praecipuis singularis hujus libelli editoribus censendum. Alii et primarii adeo viri cum insigni hanc scriptiunculam laude memorarunt.

runt. Jo. Toupius, ingeniosissimus Criticus, ad Longin. p. 171, vocat *elegantissimum libellum*. Huic minime postponendus, sed praeponendus etiam in ea Critices parte, quae quid cujusque sit judicat, L. Kusterus ad Jamblich. V. P. §. 211. nominat *aureolum libellum*. Qui quam sit elegans, quam aureolus, videbimus. Has equidem ei laudes nec tribuo, nec invideo; modo ne, pervulgato errore, tribuatur Plutarcho.

Cujus ego erroris caussas quaerens, unam eamque verissimam, mea ipse experientia doctus, hanc reperi. Libellus in omnibus exemplis editis primum habet locum, primus est ordine et numero. Igitur quisquis ad libellos Plutarchi Morales accedit, in hunc primum incidit, hunc legit novus et hospes in forma et oratione Plutarchea: hujusque sensum, si forte, postea demum legendi progressu colligit: paucissimi, vel dicam nemo, finito volumine ejus lectionem continuo iterant, jam instructi ad judicandum, utpote recentes a lectione Auctoris ejusque sensu imbuti. Quod si plures fecissent, plures hunc libellum falsi nominis suspectum habuissent. Nunc, ut fit, evanido et refrigerato per temporis spatium et aliorum Scriptorum lectionem Plutarcheo sensu, redeunt ad Plutarchum item ut primo novi et hospites, et nil quidquam spurii aut suspicantur aut sentiunt. Ita non solum libellus *De Educatione* apud plerosque doctos homines in falsa auctoritatis possessione mansit: sed manserunt etiam alii libri, et manifestioris fraudis il-

li, et apud minus doctos, veluti *De Philosophorum Placitis*, *De Vitis X Oratorum*, et manifestissimi duo ineptissimique gemini ex eadem fraudis officina proditi, *Parallela Graeca et Romana*, et *De Fluminibus*. Dicam quid mihi acciderit. Primus ex omnibus Plutarcheis libris mihi puero in manus incidit hic ipse *De Educatione*, atque adeo exemplum editionis Heusingeri. Hic in praefatione Muretum gravissimi erroris reum agit et, ut sibi videtur, confutat, quod istum libellum spurium judicaverit. Assentiebar Heusingero: et diu postea in hoc perstiti assensu, quamvis in literis et Plutarchi lectione progressus. Sed ecce! per susceptam editoris provinciam factum est ut Plutarchum saepius relegerem; ut eum porro cum scriptis codicibus conferre inciperem, ac secundum codicum seriem alium deinceps et alium librum conferre pergerem. Ibi tum evenit, ut quoties ab aliis iisque germanis Plutarchi libris ad istum *De Educatione* accederem, toties mihi nescio quid novum ac peregrinum, ab illa Plutarchea copia et gravitate diversum, leve et inane, ad animum sensumque accideret. Idque paulatim animadvertendo tale tantumque esse cognovi, ut hic libellus nullo modo a Plutarcho, sive juvene illo sive sene, scribi potuerit, sed alium quemvis opificem habere debuerit. Sed hoc non nisi ad meum mihi sensum satis erat. Nunc age experiamur, an hunc implicitum animo sensum ad judicii perspicuitatem diligentiamque explicare, et hactenus certe cum lectoribus no-

stris communicare possimus, ut assensum nobis suum ne denegent. Caeterum, quum hoc judicium setur in demonstratione notarum spurii et alieni operis, eaque demonstratio sit pars Animadversionum, neque ab iis disjungi possit quin ipsa disjunctione mentes legentium distrahantur; tamen, quo certius in hac censura et nos progrediamur et alii nos sequantur, praemittamus argumentorum nostrorum cum universorum distributionem, tum eorum, quibus in Animadversionum serie certus non est locus, explicationem.

Distributio Argumentorum.

Dixi, Argumenta nostrae disputationis esse *interna*, nisi forte uno excepto *externo;* igitur de hoc primum exponemus, deinde *interna* persequemur. *Interna* duobus continentur generibus, altero *rerum*, *verborum* altero: quorum utrumque complures habet partes ac formas. *Res* constant *materia* et *forma*. In *materia* videndum *quid adsit*, *quid desit:* in utroque spectandae sunt partes: est enim *materia* vel in facto posita, id est *historica*, vel in ratione, id est *dogmatica*. Forma continetur duabus partibus; *ordine*, id est distributione ac dispositione materiae: *argumentatione*, id est nexu et efficientia conclusionum. *Verba* complectuntur omne illud quod *oratio* et *stilus* vocatur. Ergo *oratio* cernitur, vel in singulis verbis dictionibusque: vel in earum compo-

sitione, continuatione et toto habitu. Totam igitur in hoc libello rerum verborumque sylvam ac formam dico esse alienam et abhorrentem a Plutarchi ingenio, doctrina, ratione, consuetudine.

S E C T I O I.

DE ARGUMENTO EXTERNO.

Argumentum externum unum fortasse nobis suppetit, ductum a silentio Veterum: quod, ut non maximam, ita non nullam habet vim: certo non omittendum est. Testimonia igitur Veterum, quibus hic libellus Plutarcho vel adjudicetur vel ab eo abjudicetur, non exstant. Nam, quod quidem sciam, non memoratur ab aliis sub nomine Plutarchi ante Seculum XIV. quo Macarius Chrysocephalas, ut ex aliis germanis compluribus Plutarchi scriptis, ita ex hoc tamquam germano, locos in suam 'Ροδωνιὰν legit. Inter Morales Plutarchi libros jam antea ferebatur; quippe qui continetur etiam in Codicibus a me collatis A, D, F, et duobus Moscuensibus, qui omnes antiquiores, ex Seculo XI. XII. XIII. censentur. Ut nunc est, antiquissimum ejus vestigium exstat in Sententiis Maximi et Antonii, ubi p. 704, nullo addito vel auctoris vel libri nomine, exhibetur locus ex Cap. V. p. 3. E: Εὔπλαστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης. — Duo alii loci, quorum alter p. 818. ult. Plutarchi nomen adscriptum habet, certe deinceps aliis subje-

jectus est nomen Plutarchi adscriptum habentibus, Οἱ ἐν εὐδίᾳ πλέοντες —, qui referri videtur ad hujus libelli Cap. XI. p. 8. C: alter sine Plutarchi nomine p. 933. Τὰ μὲν γὰρ σώματα τοῖς συμμέτροις πόνοις — quem quis forte sumtum putet ex eodem libello *De Educatione* Cap. XIII. p. 9. B: hae igitur sententiae nec verbis nec rebus ita cum hujus libelli locis congruunt, ut hinc potius quam aliunde eas petitas affirmaverim. Ergo fuerit sane illa aetate hic libellus: an sub nomine Plutarchi jam fuerit, statuere non possumus. Equidem eum Plutarcho non ausim multo recentiorem facere; utpote abhorrentem ab illius magis proprietate, quam aetate.

In *Catalogo Lampriae*, qui dicitur, nullus memoratur hac inscriptione liber, ubi ex libris Moralibus, qui nunc sunt, octogenis, ad sexaginta et quatuor memorantur. Sed neque hinc in alterutram partem argumentum ducas; siquidem Catalogus ille postrema parte truncatus ad nos venit.

Non memoratur apud *Stobaeum*, ubi frequentes sunt ex aliis Plutarcheis et perditis et reliquis libris loci. Integrum Stobaei opus constabat quatuor Libris: Libri II. Caput 32. erat Περὶ παιδείας καὶ ἀγωγῆς, ut novimus ex Photio Biblioth. Cod. CXLVII. ubi hoc opus recensetur. Nunc illud Caput, cum aliis multis, in Stobaei editionibus desideratur: at servatum est vel totum vel maximam partem in Appendice Florent. MS. Parallelorum Sacrorum Johannis Damasceni; ubi multi ex-

stant *περὶ παιδείας καὶ ἀγωγῆς* Antiquorum Scriptorum loci, Plutarchi et ex isto sub illius nomine frequentato libello nullus.

Non memoratur in *Sopatri* Epitomis, quarum argumenta, et Auctorum, unde factae erant, nomina, recenset Photius Biblioth. Cod. CLXV. In his complurium Plutarcheorum librorum suis nominibus diserte significatorum exstabant loci, atque adeo spurii illius *De Fluminibus*. Erat in iisdem Caput *De Efficacia Consuetudinis et Laboris;* quae est item materia hujus libelli Cap. IV. At Plutarchi liber De Educatione nullus nominatur.

His equidem rationibus nolim contendere, hunc libellum illa nondum fuisse aetate; quippe qui modo significaverim eum mihi videri non multo recentiorem ipso Plutarcho. Attamen eo inducor ut credam, cum voluminibus Plutarcheorum librorum, certe iis quibus Sopater et Stobaeus usi sunt, nondum additum fuisse. Sane, mirum videri debet, in operibus eruditissimorum hominum, qui innumerabiles libros et versassent et legissent, ex Plutarcheis aliis libris alia in capita locos ejusdem argumenti additos reperiri, ex libello De Educatione in capitibus ejusdem argumenti nullos reperiri.

SECTIO II.

DE ARGUMENTIS INTERNIS.

PARS I.

De Rebus.

CAPUT I.

De Materia.

§. I.

De Materia, quae deest.

Jam primum reperiemus, multas in hoc libello materiae partes omissas esse, quae omitti nec poterant a Plutarchi diligentia ac doctrina, nec debebant propter ipsam argumenti de Educatione naturam ac necessitatem. Harum deinceps praecipuas quidem recenseamus; quando omnes enumerare infinitum est.

I. Constat inter omnes, quam late patuerit apud Antiquos locus de Educatione puerorum, quanta cum diligentia et cura tractatus sit cum a Legislatoribus tum a Philósophis. Sit mihi aliquis versatus in lectione Plutarchi, teneat ejus formam et consuetudinem, legerit ea quae is de Educatione sparsim disseruit aliis in libris: legerit idem de hoc argumento quae nobis praecipua servata sunt Antiquorum praecepta, *Platonis* Le-

gum VII. toto libro, aliis partim, VIII. I. II. Reipublicae II. III. *Xenophontis* Cyropaedia et Republica Lacedaemoniorum, *Aristotelis* Politic. VII. et VIII. Quinctiliani Instit. Orat. I. et II: tum se det ad hunc legendum libellum. Nae is haud secus repentino diversitatis ac novitatis sensu percutiatur, quam qui e culto et fertili agro in incultum et sterilem veniunt, aut qui de eodem argumento doctum et prudentem virum, deinde balbutientem puerum audiunt.

II. Quis non ab eo, qui se de Educatione praecepturum profiteatur, exspectet ut tres illas institutionis puerilis partes, *Literas*, *Musicam*, *Gymnasticam*, et diserte memoret, et diligenter persequatur? At iste neutrum fecit. Fuit autem triplex illa distributio ita frequens et solemnis in omni Educationis mentione, ut ejus omissio in scriptione de hoc ipso argumento non nisi ab incogitantia aut ignorantia moris antiqui proficisci potuerit. Apud Platonem Socrates interrogat Theagem in cognomine Dialogo p. 8. C: Τί οὖν; οὐκ ἐδιδάξατό σε ὁ πατὴρ καὶ ἐπαίδευσεν ἅπερ ἐνθάδε οἱ ἄλλοι παιδεύονται οἱ τῶν καλῶν κἀγαθῶν πατέρων υἱεῖς; οἷον, γράμματά τε καὶ κιθαρίζειν καὶ παλαίειν καὶ τὴν ἄλλην ἀγωνιάν. Apud eumdem in Clitophonte p. 255. C; Ὁρῶντες γράμματα καὶ μουσικὴν καὶ γυμναστικὴν ὑμᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς παῖδας ὑμῶν μεμαθηκότας, ἃ δὴ παιδείαν ἀρετῆς εἶναι τελέαν ἥγησθε· quem locum interpretatur Dio Chrysost. Orat. XIII. p. 223. C: Κιθαρίζειν καὶ παλαίειν καὶ γράμματα μανθάν-

θάνοντες ὑπὸ τῶν γονέων καὶ τοὺς υἱεῖς διδάξαντες, οἴεσθε σωφρονέστερον καὶ ἄμεινον οἰκήσειν τὴν πόλιν· καίτοι εἴ τις συναγαγὼν τούς τε κιθαριστὰς καὶ τοὺς παιδοτρίβας καὶ τοὺς γραμματιστὰς, τοὺς ἄριστα ἐπισταμένους ἕκαστα τούτων, πόλιν κατοικήσει ἐξ αὐτῶν ἢ καὶ ἔθνος, καθάπερ ὑμεῖς ποτε τὴν Ἰωνίαν, ποία τις ἂν ὑμῖν δοκοῖ γενέσθαι; Xenophon Republica Lacedaem. II. 1: Τῶν μὲν τοίνυν ἄλλων Ἑλλήνων οἱ φάσκοντες κάλλιστα τοὺς υἱεῖς παιδεύειν, ἐπειδὰν τάχιστα αὐτοῖς οἱ παῖδες τὰ λεγόμενα ξυνιῶσιν, εὐθὺς μὲν ἐπ' αὐτοῖς παιδαγωγοὺς θεράποντας ἐφιστᾶσι, εὐθὺς δὲ πέμπουσι εἰς διδασκάλων μαθησομένους καὶ γράμματα καὶ μουσικὴν καὶ τὰ ἐν παλαίστρᾳ. Ex hoc more est illud Terentii Eunucho, III. 2. 23: *fac periculum in literis, Fac in palaestra, in musicis: quae liberum Scire aequum est adolescentem, solertem dabo.* Quarto loco Graphice, id est, pingendi sive delineandi ars, aetate Philippi Macedonis ejusque filii Alexandri, paulatim ut primus gradus Liberalium Artium, frequentata receptaque est: quod quidem constat Plinii testimonio XXXV. 34. 8. Ejus jam, ut quartae nec ab omnibus adhibitae, meminit Aristoteles Politic. VIII. 3: Εἰσὶ δὲ τέτταρα σχεδὸν ἃ παιδεύειν εἰώθασι, γράμματα καὶ γυμναστικὴν καὶ μουσικὴν, καὶ τέταρτον ἔνιοι γραφικήν. Plato puer eam didicisse fertur; ut est apud Diogenem Laert. III. 5. et alios: quamquam in ejus scriptis hujus rei, quod sciam, nullum est indicium; nisi forte Leg. VI. p. 620. F. Ubi tamen ipse eam non magni facere vi-

videtur: et certe ut artem factitare dissuadet, in in Epinom. p. 698. C. Sane puerilis ejus aetas in tempus superius incidit. Ergo didicerit eam puer non communi more, sed suo sibi et peculiari studio; ut jam antea Pythagoras, si quidem vera prodidit Diogenes ille *Incredibilium ultra Thulen* scriptor, e quo haec refert Porphyrius de Vita Pythag. §. 11. loco, ut videtur, a librariis turbato, nec cum antecedentibus item turbatis satis apto: Παῖδα μὲν οὖν ὄντα ἔπεμπεν εἴς τε κιθαριστοῦ, καὶ παιδοτρίβου, καὶ ζωγράφου: ubi forte excidit Grammaticae mentio, et legendum εἴς τε γραμματιστοῦ, καὶ κιθαριστοῦ, κ. π. κ. ζ. Quod vero ait G. J. Vossius De Natura Artium Lib. I. Cap. V. §. 6: *jam Thaletis Milesii, Ionicae Sectae conditoris, temporibus picturam fuisse partem institutionis puerilis: idque intelligi ex ejus dicto apud Stobaeum ubi queritur, pueros deinceps paedotribae, grammatico, harmonico, pictori erudiendos tradi*: fefellerunt sua virum egregium adversaria; nam *Thaletis* dictum hujusmodi in toto Stobaeo, atque adeo in omnibus Antiquorum scriptis, nullum est: sed est *Teletis* apud Stobaeum Sermon. XCVI. p. 535: Εἰ δ' ἐκπέφευγε τὴν τιτθὴν (ὁ παῖς), παρέλαβε πάλιν ὁ παιδαγωγὸς, παιδοτρίβης, γραμματοδιδάσκαλος, ἁρμονικὸς, ζωγράφος: quem locum plenius infra referemus. Habetur quidem vulgo Teles in scriptoribus incertae aetatis: sed eum sub Alexandri successoribus, id est Antigoni, sive Gonatae sive Dosonis, et aequalium ejus Ptole-

mae-

maeorum, temporibus fuisse, intelligitur ex ipsius alio loco *De Exilio* apud Stobaeum Serm. XXXVIII. p. 231. Perperam eum Pythagoricum facit Fabricius B. G. Vol. I. p. 523.

III. At forte scriptor hujus libelli noluit pervulgatam illam quatuor artium distributionem sequi? Si noluit, debebat eam certe memorare, reprehendere, meliorem suadere. Hoc sane Plutarchus fecisset.

At fortasse, etiamsi distributionis illius commemorationem omisit, de ipsis tamen his quatuor partibus praecepit? Iste vero, neque de Grammatica, neque de Musica, neque de Pictura, vel unum verbum dixit: Gymnasticam ita commendat, ut ejus veram vim ac partes ignorasse videatur; adeo leviter et universe de ea loquitur: quod suo loco spectabimus. Constat, Grammaticae studium puerile hujusmodi fuisse, ut puer primo apud Grammatistam, id est Ludi magistrum, legere ac scribere disceret, tum apud Grammaticum, qui saepe et Criticus dicebatur, poetas legeret et stilum componendaeque orationis facultatem exerceret: quo de more qui plura cognoscere vult, adeat praeter Vossii librum supra laudatum, Jo. Wowerium de Polymathia Cap. IV—X. et ex Veteribus Quinctilianum Instit. Orat. Lib. I. Cap. II—IX. Plutarchum nostrum De Legendis Poetis, ubi hanc puerilis institutionis partem proprie tractavit. At hujus De Educatione libelli scriptor de neutro Grammaticae munere verbum

di-

dixit, ipsius adeo artis ne nomen quidem protulit. Qui si Plutarchus esset, aut de utroque illo Grammaticae munere praecepisset, aut monuisset se de Poetarum Lectione peculiarem librum vel scripturum vel scripsisse. Quid vero iste Pseudo-Plutarchus? Iste vero ἐγκύκλια παιδεύματα universe, nec unum nominatim, tangit Capitis X. initio, paucis verbis in hanc sententiam: *Puer ingenuus nullius debet expers esse earum artium, quae liberales appellantur* (τῶν καλουμένων ἐγκυκλίων παιδευμάτων), *sed haec cursim et gustus caussa discere: philosophiam vero praecipuo et antiquissimo loco habere et colere.* Quo in praecepto duplex est inscitia: altera, quod ἐγκύκλια παιδεύματα non nisi obiter attingere ac degustare vult puerum, quae, omnium recte sentientium judicio ab omni aevo, unica et verissima puerilis ingenii institutio et exercitatio fuerunt: altera, quod puero philosophiam adjungit, quae, totius Antiquitatis more, eorum demum fuit studium qui e pueris jam excessissent, id est, ἐφήβων, νεανίσκων, adolescentum, juvenum.

IV. Aetatum progressionem, infantiae, pueritiae, adolescentiae leviter notat; ipsarum studia, mores et habitus, dotes et facultates non attingit: earumdem nec terminos nec partes suis annis significat. Conferat quis istam negligentiam cum diligentia vel Aristotelis Politic. VII. 17. VIII. 1. et seq. vel Quinctiliani Instit. Orat. I. 1. II. 1. et aliis locis. Atqui hi de Educatione non sola et seorsim, sed, ut de parte alterius doctrinae, conjun-

junctim scripserunt. Alii etiam qui aetatum commemorationem obiter attingunt, accuratius eas distinguunt. Veluti in humanae sortis vitaeque descriptione, Teles, praeclarae philosophus doctrinae, quem supra laudavimus, apud Stobaeum eodem ibi notato loco Serm. XCVI. p. 535: Ἀλλ' εἰ θέλει τις ἐκλογίσασθαι ἐν ὅλῳ τῷ βίῳ πάσας τὰς ἡλικίας, εὑρήσει πολλῷ πλείους τὰς ἀλγηδόνας. Πρῶτον μὲν γὰρ τοῦ παντὸς χρόνου ὁ ἥμισυς ἀδιάφορος, ἐν ᾧ καθεύδω. Εἶθ' ὁ πρῶτος ὁ κατὰ τὴν παιδοποιΐαν (lege παιδοτροφίαν, ut infra) ἐπίπονος· πεινᾷ τὸ παιδίον, ἡ δὲ τροφὸς κατακοιμίζει· διψᾷ, ἡ δὲ λούει· κοιμηθῆναι θέλει, ἡ δὲ κρόταλον ἔχουσα ψοφεῖ. Εἰ δ' ἐκπέφευγε τὴν τιτθὴν, παρέλαβε πάλιν ὁ παιδαγωγὸς, παιδοτρίβης, γραμματοδιδάσκαλος, ἁρμονικὸς, ζωγράφος. Προάγει ἡλικία· προσγίνεται ἀριθμητικὸς, γεωμέτρης, πωλοδάμνης· (ὑπὸ τούτων πάντων μαστιγοῦται, forte delendum) ὄρθρου ἐγείρεται, σχολάσαι οὐκ ἔστιν. Ἔφηβος γέγονεν· ἔμπαλιν τὸν κοσμήτην φοβεῖται, τὸν παιδοτρίβην, τὸν ὁπλόμαχον, τὸν γυμνασίαρχον· ὑπὸ πάντων τούτων μαστιγοῦται, παρατηρεῖται, τραχηλίζεται. Ἐξ ἐφήβων ἐστὶ καὶ ἤδη εἴκοσι ἐτῶν· ἔτι φοβεῖται καὶ παρατηρεῖ καὶ γυμνασίαρχον καὶ στρατηγόν· παρακοιτεῖν ὅπου δεῖ, οὗτοι παρακοιτοῦσι· φυλάττειν καὶ ἀγρυπνεῖν, οὗτοι φυλάττουσιν· εἰς τὰ πλοῖα ἐμβαίνειν, οὗτοι ἐμβαίνουσιν. Ἀνὴρ γέγονε καὶ ἀκμάζει· στρατεύεται καὶ πρεσβεύει ὑπὲρ τῆς πόλεως, πολιτεύεται, στρατηγεῖ, χορηγεῖ, ἀγωνοθετεῖ, καὶ μακαρίζει ἐκεῖνον τὸν βίον, ὃν παῖς ὢν ἐβίωσε. Παρήκμασε, καὶ ἔρχεται εἰς γῆρας· πάλιν παιδα-

δοτροφίαν ὑπομένει, καὶ ἐπιποθεῖ τὴν νεότητα· τὸ δὲ γῆρας βαρύτερον Αἴτνης. — Hunc, longiusculum licet, locum apponere operae pretium erat, ut compararetur cum simili quem Stobaeus eodem Sermone p. 535. sub nomine Platonis exhibet e Dialogo Axiocho, cujus auctorem alii Aeschinem Socraticum faciunt: utrique perperam: *Ποῖον, ἔφη, μέρος τῆς ἡλικίας ἄμοιρον τῶν ἀνιαρῶν; οὐ κατὰ μὲν τὴν πρώτην γένεσιν τὸ νήπιον κλαίει, τοῦ ζῆν ἀπὸ λύπης ἀρχόμενον; οὐ λείπεται γοῦν οὐδεμιᾶς ἀλγηδόνος, ἀλλὰ δι' ἔνδειαν, ἢ περίψυγμὸν, ἢ θάλπος, ἢ πληγὴν ὀδυνᾶται, λαλῆσαι μὲν οὔπω δυνάμενον ἃ πάσχει, κλαυθμυρίζόμενον δὲ, καὶ ταύτην τῆς δυσαρεστήσεως μίαν ἔχον φωνήν. Ὁπόταν δὲ εἰς τὴν ἑπταετίαν ἀφίκηται πολλοὺς πόνους διαντλῆσαν, ἐπέστησαν παιδαγωγοὶ, καὶ γραμματισταὶ, καὶ παιδοτρίβαι, τυραννοῦντες· αὐξανομένῳ δὲ κριτικοὶ, γεωμέτραι, τακτικοὶ, πλῆθος δεσποτῶν. Ἐπειδὰν δὲ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐγγραφῇ, κοσμητὴς, καὶ φόβος χείρων· ἔπειτα Λύκειον καὶ Ἀκαδημία, καὶ γυμνασιαρχία καὶ ῥάβδοι, καὶ κακῶν ἀμετρία· καὶ πᾶς ὁ τοῦ μειρακίου χρόνος ὑπὸ σωφρονιστὰς καὶ τὴν ἐπὶ τοὺς νέους αἵρεσιν τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς. Ἐπειδὰν δὲ ἀπολυθῇ τούτων, φροντίδες ἄντικρυς ὑπέδυσαν καὶ διαλογισμοὶ τίνα τὶς τοῦ ζῆν ὁδὸν ἐνστήσεται· καὶ τοῖς ὕστερον χαλεποῖς ἐφάνη τὰ πρῶτα παιδικὰ καὶ νηπίων ὡς ἀληθῶς φόβητρα· στρατεῖαι γὰρ καὶ τραύματα, καὶ συνεχεῖς ἀγῶνες. Εἶτα λαθὸν ὑπεισῆλθε τὸ γῆρας, εἰς ὃ πᾶν συῤῥεῖ τὸ τῆς φύσεως ἐπίκηρον καὶ δυσαλθές.* Animadvertantur vestigia imitationis qua hic sive Pseudo-Plato sive Pseu-

do-

do-Aeschines locum Teletis sequitur, sed imitationis non puerilis aut servilis totas sententias cum ipsis verbis describentis, cujusmodi cernitur in duobus aliis ejusdem auctoris nomine usurpatis Dialogis *De Virtute* ac *De Divitiis*, sed universum argumentum adumbrantis: quibus in Dialogis ut est ratio orationeque simplicior, majorque cum Socratico charactere similitudo, ita in Axiocho non est tanta ab eodem charactere dissimilitudo, quanta in libello *De Educatione* a Plutarcheo. Caeterum Aeschinis character cognosci potest e germanorum Dialogorum reliquiis apud Aristidem: quibus nos addamus unam, eamque conjuncti fere cum praesente quaestione argumenti, servatam adhuc ineditam in Appendice Flor. Jo. Damasceni: ΑΙΣΧΙΝΟΥ ΤΟΥ ΣΩΚΡΑΤΙΚΟΥ. *Οὗτός ἐστι Μιλτιάδης ὁ Στησαγόρου· ὃς παῖς μὲν ὢν ἤσκει Ὀλύμπια, καὶ κρείσσων ἦν τοὺς πόνους πονῶν ἢ παιδοτρίβης ἐπιτάσσων· ἐκεῖ δὲ μείζους παῖδας αὐτοῦ καὶ πρεσβυτέρους κατεμαχέσατο, καὶ ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ τοῦ στεφάνου, ἄκων ὑπὸ τοῦ παιδοτρίβου ἐξήχθη. Ἔτι δὲ ἐπίτροποι αὐτοῦ ἐγένοντο οὔτε τὰς αὐτὰς ἡλικίας ἔχοντες, οὔτε τοὺς αὐτοὺς τρόπους· καὶ τούτων ἁπάντων ἦν κατήκοος. Παιδαγωγὸς αὐτῷ ἠκολούθει οὐ πάνυ σπουδαῖος· καὶ τούτῳ οὐδὲν πώποτε ἠναντιώθη. Ταῦτα μὲν παιδὶ ὄντι αὐτῷ ἐπιτετήδευται. Ἐπεὶ δὲ μειράκιον ἤρχετο γίνεσθαι, σιωπᾶν καλὸν ἡγήσατο εἶναι· σεσιώπηται αὐτῷ μᾶλλον ἢ τοῖς χαλκείοις ἀνδριάσι· τοῦ σώματος αὐτῷ καλὸν ἐδόκει εἶναι ἐπιμελεῖσθαι· ἐπιμεμέληταί τούτου· ὥστ' ἔτι καὶ νῦν τῶν ἡλικιωτῶν ἄριστα ἔχει τὸ σῶμα.* Sumtus

videtur locus ex *Miltiade* Dialogo: quem, ut primum, a nondum satis matura confirmataque scriptoris facultate profectum notat Diogenes Laertius II. 61: at ipse Aeschines praecipuum censuit, tum quidem quum Syracusas venisset: siquidem eum praelegit Dionysio, ut prodit Lucianus De Parasito T. I. p. 860.

V. Nil dicitur, utrum pueri utilius domi, an in scholis erudiantur: quod est argumentum Quinctiliani Instit. Or. I. 2.

VI. Nil, qua ratione puerorum ingenia dignoscantur: quod est ejusdem argumentum, I. 3.

VII. Nil de variis ingeniis vario modo docendis ac tractandis.

VIII. Nil de ipsa varietate ingeniorum naturali, cum in facilitate et solertia ad virtutes, artes, disciplinas: tum in proclivitate ad vitia, stupore et inertia ad discendum.

IX. Nil de varietate educationis ad varia vitae genera, quibus pueri destinantur, accommodanda.

X. Multa desunt, quae Antiquitatis mos in hoc argumento desiderat: multa, quae Plutarchi proprietas et consuetudo. Omnia recensere, infinitum est: adhuc illorum quaedam attigimus: nunc horum pauca memoremus. Primum igitur, virtutum vitiorumque notationes Plutarcho illae familiares ductae ab experientia et interiore humanae naturae observatione, — nullae.

XI. Comparationes actionum animi et corporis, Plutarcho frequentes et propriae, quibus res a sensuum

suum judicio remotae sub sensus revocantur et corporeis imaginibus significantur, — nullae.

XII. Philosophorum, qui multi fuerunt, de hoc argumento praecepta et rationes nec referuntur, nec cum judicio expenduntur. Nam quod Platonis aliquoties fit mentio, levius hoc est quam pro consuetudine ac doctrina Plutarchi.

XIII. Exempla de puerorum Educatione a diversis singulorum populorum moribus desumta, veluti Atheniensium, Lacedaemoniorum, Thebanorum, Romanorum, omnino rerum Romanarum mentio — nulla.

XIV. De consilio loci, temporis, hominum, id est, quibus populis et regionibus, cui aetati et saeculo, cui hominum generi, scripserit praeceptaque sua destinaverit; quis ipse, quo loco ac tempore, fuerit —, horum omnium vel diserta admonitio, vel tacita significatio, nulla.

§. 2.

De Materia quae adest.

Jam reliqua hujus quaestionis argumenta, quandoquidem suus plerisque et est et dabitur locus in Animadversionibus, nunc summatim pleraque, et quasi puncto, notemus.

Igitur materia quae adest, fortasse probabiliter tractata reperitur? Immo ita, ut quemvis potius alium, quam Plutarchum, prodat opificem.

I. Praecepta se daturum profitetur περὶ τῆς τῶν ἐλευθέρων παίδων ἀγωγῆς, nec definit aut significat, quid sit ἀγωγὴ, qui ἐλεύθεροι παῖδες· quod, ut conceditur iis, qui obiter nec ex instituto rem memorant, ita iis, qui de hac ipsa re singularem libellum conscribunt, concedi nequit; certe alienum est a Plutarchi diligentia.

II. Praecepta dat ditioribus, non pauperibus: nec ipse hoc fateri veretur: Cap. XI. p. 8. E. nam aliorum hoc nomine reprehensionem ita occupat ac diluit, ut dicat, *Si vero sunt, qui, propter rei familiaris angustias, meis uti nequeant praeceptis, hi fortunam, non me praecipientem, accusent.* Ista igitur sive professio sive confessio, cum ipsa est et philosopho et Plutarcho indigna, tum ejus excusatio inscita et inficeta.

III. Praecepta ipsa, cedo, qualia sunt? Non mala neque repudianda: sed tamen pervulgata, nec vel a prudente experientiae observatione, vel ab exquisitis et interioribus Literarum copiis profectae; ut nemo non unus ex multis paterfamilias, leviter tinctus literis, melius praeciperet. Sed quandoquidem materia est duplex, dogmatica et historica, ut partim praeceptis partim exemplis constet; utraque animadvertatur.

IV. Praecepta hujus libelli continentur locis communibus, sententiis tralatitiis, sive levi ac mediocri paucorum et frequentissimorum Auctorum lectione, sive ex quotidianae vitae sermone susceptis. Quibus confirmandis quae adhibentur aucto-

ctoritates vel ab exemplis historicis, vel aliorum nomine et effatis, petitae, in eadem sunt levitate.

V. Ex Philosophis unus est Plato, cujus sub ipsius nomine apponuntur sententiae; sed nec amplius tribus locis, nec ut philosophiae placita: magis auctoritatis et ornatus caussa. Euripideae quater laudantur: quae pro Plutarchi consuetudine multo plures esse debebant. Homerica, nulla: Hesiodea, una: item Phocylidis et Sotadis, una cujusque: semel Epigramma incerti poetae: Demosthenis locus unus. Ex hac paucitate in laudandis Auctorum sententiis, et plerorumque omissione, jam quis suspicetur Plutarchum hujus libelli scriptorem non esse. Caeterum quod sub finem Pythagorica symbola, quasi e sacco, effunduntur, potius inscitiam quam doctrinam prodit.

VI. Frequentia sunt exempla historica: eaque sane hunc libellum jucunda varietate distinguunt; ita tamen ut nonnulla eorum eum non a Plutarcho scriptum arguant, partim ab ipsa veritate, partim a ratione qua in germanis Plutarchi libris referuntur, dissentientia. Veluti illud Cap. II. p. 1. D. de Themistoclis filio aliter est in Vita Themistoclis p. 128. B. et Apophthegm. p. 185. D. Stilponis factum dictumque ad Demetrium Poliorcetem Cap. VIII. p. 5. F. aliter refertur a Plutarcho aliis locis; altero De Animi Tranquillitate p. 475. C. obiter et brevius; altero uberius, ut in historia, in Vita Demetrii p. 893. A: praeterea illud falsum et horum Plutarcheorum locorum au-

ctoritati repugnans, Demetrium Megaram solo aequasse, εἰς ἔδαφος κατέβαλε. Theocriti Chii dicterium in Antigonum regem et caedes, Cap. XIV. p. 11. B. C. diverso modo narratur a Plutarcho Symposiacarum Quaestionum, II. 1. p. 633. C; ut Heusingerus, acer hujus libelli defensor, tamen facere non potuerit quin fateretur se mirari, *ab eodem auctore de iisdem tam diversa narrari:* licet in Praefatione ex hujusmodi diversitate ductam suspicionem, ut sibi videbatur, confutasset hac reprehensione: *Et profecto*, inquit, *admodum invalido uteretur argumento, si quis putaret, ideo a Plutarcho scriptum istud profectum non esse, quia nonnulla in eo occurrant, quae a nostro in aliis libris contrarium in modum prolata aut explicita inveniantur. Dudum enim ostenderunt viri docti, non insolitum fuisse Plutarcho easdem sententias easdemque historias flectendo ac torquendo ad diversissimos scopos accommodare.* Atqui, o bone, aliud est, *idem aliter narrare*, aliud *idem contrario et diverso modo narrare:* aliud est, *rem ipsam immutare*, aliud, *rationem tractandi.* Plutarchus eamdem sententiam et historiam variis locis ita prodere solet, ut eam ad varietatem argumenti accommodet, non ut eam aliam faciat et sibi ipse repugnet. Porro illis in locis ubi aliquid falsum et historiarum consensui repugnans proditur, quid sunt nisi ignorantiae errores? Cap. II. p. 1. C. Themistoclis filius *Diophantus* vocatur, qui est *Cleophantus.* Cap.

VII. p. 4. E. *Crates* sententiae proditur auctor, qui est *Socrates.* Cap. X. p. 8. B. *Epaminondas* in Platonis discipulis memoratur. Cap. VI. p. 8. A. *Socratis* dictum apud Platonem in Gorgia apponitur cum hac praefatione, *ἐρωτήσαντος αὐτὸν, μοὶ δοκεῖ, Γοργίου·* at Polus fuit, qui interrogaret! caeterum nec error nec dubitatio istiusmodi cadit in Plutarchi vel consuetudinem vel rationem ac doctrinam. Sed, dicat quis, hi sunt vel memoriae lapsus venia digni, aut librariorum errores corrigendi. Enimvero qui Plutarchi memoriam novit, idem novit eam adeo pueriliter labi non potuisse. Librariis et ego aliquando hos errores tribuere malui quam scriptori: mutavi sententiam, homine familiarius cognito et interius perspecto: ad majorem partem exigenda est illa aequitas: utendum est ea ubi in magna universe per totum librum diligentia et doctrina pauci occurrunt errores, non ubi frequens est per totum librum negligentia cum doctrinae tum rationis.

VII. Materiae pars etiam sunt singularia dicta judiciaque scriptoris. Horum non pauca sunt in quibus nec ratio nec consilium appareat, quaeque magis cum puerili negligentia ac temeritate, quam cum cogitate scribentis diligentia, conveniant. Veluti, Cap. II. *Nobilium et claris parentibus natorum puerorum arrogantia, Cleophanti exemplo,* laudata. Cap. IV. p. 3. F. *Thessali dictum* ita insertum, ut nil ad rem pertineat. Cap. VII. p. 4. B. *bonum paedagogum debere similem esse*

Phoenici, Achillis paedagogo: nec additur qualis fuerit Phoenix, quae ejus in hoc munere dotes. Mox de *magistro* dicturus ita praefatur, ut dicat hoc munus esse πάντων μέγιστον καὶ κυριώτατον τῶν εἰρημένων, ac si prae magistro, paedagogus et prior institutionis pars levis momenti sit. Ibid, p. 5. A. Τί οὖν συμβαίνει τοῖς θαυμαστοῖς πατράσιν, ἐπειδὰν κακῶς μὲν θρέψωσιν, κακῶς δὲ παιδεύσωσι τοὺς υἱεῖς; Neque si ita legas, neque si prius κακῶς mutes in καλῶς, sententia congruens superioribus et apta existat: videtur scriptor, ut novus in scribendo, figurae concinnitate inductus, ei rem ac sententiae veritatem posthabuisse. Cap. VIII. p. 5. C. *Reliqua omnia bona sunt humana, parva, nec studio digna, nobilitas, divitiae, gloria, pulchritudo, sanitas, robur corporis: sola bonorum nostrorum doctrina est immortalis ac divina:* est hoc scriptoris Stoicum παράκουσμα, obiter fando acceptum nec intellectum: nec certe ab eo crepandum qui de Educatione scribat; quippe quae horum *humanorum* bonorum rationem habere debet. Deinde duplex est in hoc judicio error, et non modo a Stoicae rationis, sed omnis philosophiae usu, atque adeo a vitae consuetudine abhorrens: primum, *corporis pulchritudinem, sanitatem et robur, nullo studio esse digna:* deinde haec ipsa vocare *humana;* quasi vero omnia humana, id est ea quae cum hominis natura conjuncta sunt, negligi debeant, aut quasi non ipsa doctrina ad res humanas referatur. Quid, quod sibi ipse repugnat

gnat scriptor? Nam si sola παιδεία studio est digna, quid dicamus de reliquis Educationis partibus, γενέσει, τροφῇ, ἀγωγῇ, de quibus antea cum studio praeceperat? Sed hic locus, ut totus fere libellus, magis ex rhetoricis ampullis, quam philosophiae scientia ac disserendi facultate, profectus est. Aliud deinceps subjicitur ex eodem genere παράκουσμα; *deo haec in tota hominis natura sunt* κυριώτατα, νοῦς καὶ λόγος· neutrum, quid sit, explicatur; at laudantur rhetorice effusa ampulla: et haec tamen tribuit τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, quum antea τὰ ἀνθρώπινα nullo studio digna pronunciasset. Sed, ut alia omittamus, quale hoc est? Cap. X. p. 7. F. τὸ δὲ τοῖς λογισμοῖς περιεῖναι τῶν ἡδονῶν, σοφῶν· τὸ δὲ ὀργῆς κατακρατεῖν, ἀνδρὸς οὐ τοῦ τυχόντος ἐστί· primum, gradatio ne rhetorice quidem justa, quippe a majore ad minus procedens: deinde, σοφῶν, majus est munus, major facultas quam *ratione vincere voluptates*; hoc enim σωφροσύνης est, ut item *iram continere*: at σωφροσύνη est una ex quatuor virtutibus, quarum conjunctione oritur σοφία. Ergo apparet in hoc loco ignorantia et confusio generum: a qua scriptorem ne ita quidem liberare possis, si σοφῶν in σώφρονας mutes, quod aliquando facere volui nondum satis cognito. Nunc error iste cum reliquis ei relinquatur erroribus. Locum περὶ παιδείας p. 8. B. peroratiuncula concludit, cum hoc initio, Καὶ περὶ μὲν παιδείας οὐκ οἶδ' ὅ, τι δεῖ πλείονα λέγοντα διατρίβειν· ubi duplex cernitur inscitia;

primum, quod multas παιδείας partes silentio praeteriit, ut §. 1. ostendimus: deinde quod continuo subjungit: *Sed praeter ea, quae diximus, utile immo necessarium potius est, comparare sibi veterum libros.* An ergo librorum comparatio non est conjuncta cum παιδείᾳ? Si est, quare dicis, te non scire quid amplius de παιδείᾳ dicas? Sin contra, quare eam huic loco addis? Sed eam conjunctam esse cum παιδείᾳ voluisti; quandoquidem eam mox vocas ὄργανον παιδείας. Caeterum hoc praeceptum, de librorum possessione comparanda, quomodo effertur? Ita ut nec pes nec caput ei constet: Κατὰ τὸ γεωργῶδες· τὸν γὰρ αὐτὸν τρόπον ὄργανον τῆς παιδείας ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων ἐστὶ καὶ ἀπὸ πηγῆς τὴν ἐπιστήμην τηρεῖν συμβέβηκεν· quod et verbis inficetum et sententia ineptum, nec probabilem correctionis mutationem capit, ut scriptor negligentiae culpa liberetur: quod suo loco in Animadversionibus ostendemus. Jam quod Cap. XI. p. 8. E. dicit, *Si qui sunt, qui propter inopiam rei familiaris, mea praecepta sequi non possint, hi fortunam suam accusent, non me praecipientem*: notavimus supra, hujus §, Num. II. Porro Cap. XIV. p. 10. F. *Mysteria ab Antiquis instituta, ut hac exercitatione collectam facultatem taciturnitatis ad hominum arcana transferamus*; falsum et ab rei natura et historiae fide alienum; ferendum fortasse in eo, qui cum pueris agit, paedagogo et magistro, ut eos falsis opinionibus ad re-

cte

cte agendum ducat, hasque adhibeat *ὡς ἐν φαρμάκου μοίρᾳ*· item in oratoribus qui popularem dicunt concionem; non in philosopho, qui se argumentum via et ratione expliciturum profiteatur. Cap. XVII. p. 12. D: *Pueri a malorum consuetudine hominum sunt prohibendi. Hoc et Pythagoras praecepit per aenigmata, quae ego apponam et explicabo:* his dictis, deinceps novem subjungit symbola Pythagorica, quorum non nisi primum et quartum ad rem praesentem pertinet, reliqua omnia aliena sunt. Cap. XIX. p. 13. F: *Adolescentes voluptatibus dediti et reprehensionibus minus obtemperantes matrimonio constringantur: quod est tutissimum juventutis vinculum.* Hoc ita simpliciter praeceptum magis patrem e Comoedia, quam Plutarchum, et omnino hominem cogitate de hoc argumento praecipientem deceat: propter multas quas haec res habet cautiones. Harum iste unicam, eamque fortasse minimi momenti, addidit: *uxor sit ejusmodi quae maritum divitiis et nobilitate generis non multum superet; quippe qui tales ducunt uxores, non mariti, sed dotis servi, fiunt.* Ergo nulla mentio fit animi, ingenii, morum, virtutum muliebrium, quibus futuram matremfamilias instructam esse oportet: quarum nisi ratio habeatur, pater filium matrimonio non corrigat, sed nepotes quaerat iisdem vitiis obnoxios.

CAPUT II.

De Forma.

Forma duplex est: altera rerum, de qua nunc dicendum: altera orationis, de qua postea dicemus.

Rerum forma, ut supra monuimus, continetur duabus partibus, *distributione materiae* et *argumentatione.*

§. I.

De Distributione Materiae.

Materia in distributione bifariam spectatur: vel tamquam *disputatio* universe, cujus partes censentur, Exordio, Tractatione, Epilogo, aliis: vel tamquam ipsa *res et quaestio* disputationi proposita, quae est *Educatio puerorum.* De utraque deinceps videamus.

I. Disputationis partes suo quaeque habitu et modo alienae sunt a Plutarchi consuetudine et ingenio. *Exordium* brevius et jejunius quam pro rei gravitate et momento, praesertim principum philosophorum scriptis explicitae. *Tractatio* non habet certam viam et rationem: non adest definitio rei propositae, non status quaestionis et constitutio loci, non singularum partium majorum in

in minores divisio, non in argumentis nexus, non in exemplis apta cum argumentis convenientia: omnino disserendi ratio et copia Plutarchea nulla. *Epilogus* brevis, idemque cum professione ac praedictione conjunctus, plane abhorret a consuetudine Plutarchi: qui non subito, sed sensim, a tractatione ad conclusionem progredi solet.

II. Educationis partes facit quatuor, γένεσιν, τροφὴν, ἀγωγὴν, παιδείαν. Recte quidem. Sed in iis explicandis quomodo versatur? Singularum vim et naturam nec definiendo aperit, nec describendo significat: earumdem partes aut nullas, aut paucissimas, notat: ipsa tractatio earum et explicatio levior quam pro ipsarum pondere ac momento, et pro doctrina jam ab antiquis exposita, quam iste non cognovisse videtur. Quid sit ἀγωγὴ, et qualem intelligi velit, ipse ignoravit. Porro, fines materiae minime cepit, qui περὶ παίδων ἀγωγῆς professus, deinde Cap. XV. ἐπὶ τὴν τῶν μειρακίων ἡλικίαν transeat. *Amphora coepit institui; currente rota cur urceus exit?* Sed semel ad aetatem adolescentum transgressus, quare non eo loco de philosophiae institutione egit? quare hanc contra omnem Antiquitatis morem attribuit pueris? Est hoc profecto ὕστερον πρότερον. Aliud est in hoc genere non minus praeposterum. Quatuor illae partes natura sua hoc ordine procedunt, ut prima sit γένεσις, secunda τροφὴ, tertia ἀγωγὴ, quarta παιδεία. Mitto jam in unaquaque quot quantosque locos omiserit. De ordine videamus.

Γένεσις tractatur Cap. I. II. III. Transit deinceps Cap. IV. ad *ἀγωγὴν educationem*, Περὶ δὲ τῆς ἀγωγῆς καὶ δὴ λεκτέον. Capite V. ad *nutritionem* accedit, Περὶ δὲ τροφῆς ἐχόμενον ἂν εἴη λέγειν· forte quis exspectet *τροφὴν pueri!* Immo est *τροφὴ infantis*; docet *praestare natis a matribus, quam a nutricibus, ubera praeberi.* Tum deinde Cap. VII. ad aetatem progreditur, *qua puer paedagogo tradatur*, quod est ipsum *ἀγωγῆς*· cujus grammaticam potestatem ab isto ignoratam, nos in Animadversionibus aperire studebimus. Sed ita huc et illuc vagari estne, non dicam Plutarchi, sed omnino viri cogitate et via disserentis, nec potius pueri temere oberrantis?

§. 2.

De Argumentatione.

Argumentationis vis et efficacia quae existere possit ex ejusmodi via et itinere disputationis, facile est ad intelligendum. Sententiolae non sunt invenustae singulae, sed consarcinatae nullo ad conclusionem apto nexu. Frequens digressio ad locos communes et rhetorica declamatio. Sed rationum nexus, ut saepe ipsa materiae vi et natura apparet, ita a scriptore turbatus saepe, saepe quaesitus ineptis formulis et comparationibus. Hujusmodi est:

Cap. IV. p. 2. F: repetitio ejusdem fere formu-

lae

lae brevi spatio, Καὶ τί δεῖ τ' ἄλλα θαυμάζειν; et mox, Καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν;

Cap. IX. p. 6. C: posteaquam in antecedentibus ita de institutione doctrinae egisset ut eam universe ac declamatorie laudaret, neque ullam ejus partem omnino verbo nominaret, jam hoc capite monet se sanam et incorruptam παιδείαν, non panegyricas nugas commendare. Quo loco videtur rhetoricas exercitationes significare: sed ita omnia miscet, ut quo illa monita pertineant, ne diligenter quidem attendens facile animadvertat. Enimvero, quae ista habenda est explicandae quaestionis ratio, ut rem universe laudes, de partibus taceas, denique unius partis, id est, rhetoricae exercitationis abusum reprehendas, de ejus usu et recta ratione nil dicas? Sed hanc ipsam correctionem ita subjungit, ut de una extemporali dicendi facultate dicat, et ejusmodi praefatiunculam praemittat, qua de aliis *praeterea* rebus dicere velle videatur, Πρὸς δὲ τούτοις, τί ἂν τοὺς παῖδας χρηστὸν ἕτερον διδάξαιμεν, καὶ τίσιν ἀγαθοῖς ἐπιφύεσθαι παραινέσαιμεν. Quid aliud est πρὸς τούτοις quam *praeterea?* Saltem dixisset ἀντὶ δὲ τούτων, *horum loco*, vel denique πρὸς ταῦτα, *adversus haec.* Caeterum homo magis incogitantia, quam Graecae orationis ignorantia, labi solet.

Porro in eodem argumento ita progreditur, ut ubique appareat eum rhetoricae nec rationem nec usum tenere: unam etiam interponit comparationem ineptam et ipsius proposito disputationis contra-

trariam. *Ante virilem*, inquit, *aetatem extempore non est dicendum. Ubi facultas oratoria radices egerit, ea libere uti licebit. Nam, quemadmodum qui diu fuerunt vincti, postmodo soluti, ob diuturnam vinculorum consuetudinem titubant: ita qui orationem multo a tempore constrictam tenuerunt, ii, etiamsi aliquando subito oporteat dicere, nihilo minus eamdem dicendi formam retinent.* Ista igitur comparatione voluitne commendare praeceptum an quamdam ei cautionem adjungere? Utrumvis voluerit, inepta est comparatio. Equidem Graecis verbis, quamcumque, ut fortasse corruptis, adhibeas medicinam, nulla ejusmodi reperitur quae iis aliquam sanae sententiae rationem addat: ut hic item error non librario, sed auctori, tribuendus sit.

Denique in fine hujus loci p. 7. B. frigide plane et pueriliter praemittitur haec formula: Βούλομαι δ' ἕως ἔτι μέμνημαι τῆς παιδείας, ὡς ἔχω δόξης περὶ αὐτῆς εἰπεῖν. *Ac dum adhuc institutionis memini, volo meam de ea sententiam exponere.* Caeterum in toto loco est et ordo praeposterus ac turbatus, et rerum doctrinaeque inopia atque inanitas.

Cap. XI. in fine, p. 8. F. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ τῷ λόγῳ παρεφορτισάμην, ἵν' ἐφεξῆς καὶ τ' ἄλλα τὰ φέροντα πρὸς τὴν ὀρθὴν τῶν νέων ἀγωγὴν συνάψω. Duplex est incogitantia et rationis negligentia. Primum, quod hanc sui defensionem adversus eos, qui eum solis divitibus praecepta dare insimu-

mularent, *ea de caussa* se suscepisse dicit, *ut deinceps reliqua ad rectam adolescentum educationem conducentia attexere posset.* Quasi vero sequentia non potuisset attexere nisi defensionis hoc extraordinario onere suscepto; hoc enim est παραφορτίζεσθαι. Alterum, quod omnino ejusmodi formulam apponit; quae, quamvis veram habuisset sententiam, tamen disputationis nexum turbaret.

Cap. XIII. init. Τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν, ἵνα τῷ παραδείγματι φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον. Denuo rhetorica interserenda formula, orationis nexum turbat, qui sine illa probabiliter constat. Sed haec verba ἵνα τῷ παραδείγματι φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον, quid sibi volunt? Nam sine his, saltem illa priora, τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν, aliquem sensum habuissent. Nunc homo non contentus disputationis nexum interposita formula interrupisse, ipsi formulae aliam addit formulam; atque ita totam obscuram et ambiguam reddit. Λόγος quidem est vel illud τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη, vel totum caput. Sed quid est ἵνα, utrum ad antecedentia, an ad sequentia, refertur? Si ad antecedentia refertur, hic erit sensus, *Quid autem volo hoc dicto*, τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη, *quod ego attuli ut disputationem exemplo dilucidiorem reddam.* Sin ad sequentia, subaudiendum erit verbum *dicam* vel simile, ut sententia hunc in modum concipiatur, *Quid autem velim hoc dicto* τὸ λίαν φι-

λεῖν τοῦ μὴ Φιλεῖν αἴτιον κατέστη, *dicam et hoc dictum exemplo dilucidius faciam.* Neutra sententia cum recta Grammatica ratione convenit. Porro, quid est τῷ παραδείγματι; quid est τῷ; nam articulus habet significationem certae cujusdam rei et quasi demonstrationem, *hoc exemplo;* quodnam est hoc exemplum? aut si omisso etiam articulo accipiamus *exemplo* universe, id est *quodam exemplo*, denuo interrogo quodnam sit illud quoddam exemplum? An est illud in sequentibus positum, *ut stirpes mediocribus aquis aluntur, abundantibus suffocantur; ita animus moderatis crescit laboribus, nimiis obruitur?* At hoc, interjecta demum alia dictione, subjicitur; ut minus probabiliter, Grammatica quidem ratione, pro eo possit accipi exemplo quod scriptor spectavit. Deinde alia etiam apponuntur exempla; ut potius τοῖς παραδείγμασι dicendum fuisset. Quam correctionem etiamsi facias, reliquas difficultates non tollas. Adeo totum locum temeritas et ἀλογία occupavit.

Ibid. p. 9. D. *Memoriam puerorum exercendam esse* praecipit, suo more, id est universe et cum rhetorica quasi laudatione ipsius memoriae; ut verus Plutarchus omnino desideretur; qui varias rationes exercendae memoriae recensuisset ac dijudicasset, eas cum duxisset ex animi natura, tum illustrasset ex fontibus Pythagoricorum, Aristotelis, et illa apud Rhetores pervulgata Simonidis arte, tum has rationes et praecepta ad varie-

ta-

tatem et indolem puerilis ingenii cum judicio et cautione accommodasset. Horum omnium iste nihil! Caeterum hoc ipsum praeceptum in Capite *περὶ παιδείας* ponendum erat.

Cap. XX. p. 14. B. Exemplum Eurydices item alieno loco positum, quod non ad morum disciplinam, sed ad literas et doctrinam spectat; igitur in Capite *περὶ παιδείας* prodendum erat.

Argumentationis genus est etiam positum in excitandis aliorum auctorum testimoniis; quod ut est frequens in vero Plutarcho, ita conjunctum cum certa quadam ratione, qua plane Plutarchea forma et proprietas cernitur. Veluti ut hoc uno utar, Plutarchus habet *τὸ φιλευριπίδειον*, Pseudo-Plutarchus item aliquoties Euripidis sententias apponit: sed in utroque quantum differt? In Plutarcho est quaedam consuetudinis et familiaritatis facilitas, ut sententiae sponte ei et in mentem venisse et in orationem influxisse videantur: in Pseudo-Plutarcho apparet novitas, quaerentis labor, et quasi vultus nitentis: hujusmodi sunt fere formulae quibus praefatur et veluti aditum sibi aperit ad sententiarum recitationem: C. II. p. 1. B: *Καὶ σοφὸς ἦν ἄρα ὁ ποιητὴς ὅς φησιν, „Ὅταν δὲ κρηπὶς κ. τ. λ."* Mox ibidem, *Καὶ μάλα ὀρθῶς ὁ λέγων ποιητὴς φησι, „Δου-„λοῖ γὰρ ἄνδρα κ. τ. λ."* Cap. IX. p. 6. B: *Μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ καὶ Εὐριπίδης λέγων, „Ἐγὼ δ' „ἄκομψος κ. τ. λ."* Cap. XIV. p. 10. A: *Ἔχω δὲ μάρτυρα τούτων Εὐριπίδην τὸν σοφὸν ἐπαγαγέσθαι, λέγοντα, „Δυοῖν λεγόντοιν κ. τ. λ."* Cap. XV. p.

11. F: Μαρτυρεῖ δὲ τούτοις Εὐριπίδης οὕτω λέγων; „ Ἀλλ' ἔστι δή τις ἄλλος κ. τ. λ." Plutarcheae rationis et facilitatis exempla unusquisque germanus liber praebet, nec ea nunc apponere attinet.

P A R S II.

De Stilo et Oratione.

Vidimus quantum hic libellus in rebus ipsis a Plutarchea forma et proprietate abhorreat: nec minus eum ab eadem in stilo et oratione abhorrere videbimus. Et quandoquidem stilus et oratio duabus partibus continetur, quarum altera singulis in verbis, altera in eorum constructione ac toto habitu cernitur, ipsorumque in utraque parte locorum notationem in Animadversionibus prodemus; nunc universa genera paucis breviter exemplis designemus.

C A P. I.

De Singulis Verbis.

Diversitas orationis, quae inter hunc et germanos Plutarchi libros intercedit, non tam in singulis verbis, quam in eorum constructione ac dictionis habitu posita est. Sunt tamen complura in hoc libello verba, eaque rariora, quae non apud Plutarchum exstant. Quod sane in tam parvo libello et tanta librorum Plutarcheorum multitudine ejusmo-

modi est ut inde dubitatio de auctore ducta, nisi maximi, certe non minimi momenti censenda sit. Sunt autem, nisi oculi me mei indicesve fefellerunt, haec:

ἀθυροστομία. p. 11. C.
ἀλύμαντος. p. 5. E.
ἀμισής. p. 10. A.
ἀνακωμῳδέω. p. 10. C.
ἀπαραχώρητος. p. 10. A.
ἀποτομία. p. 13. D.
ἀποφλεγμαίνω. p. 13. D.
βουκολέω. p. 13. E.
γεωργῶδες. p. 8. E.
διχογνώμων. p. 11. C.
δύσκωφος. p. 13. E.
ἐλευθεριάζω. p. 6. E.
ἐναποτυποῦσθαι. p. 3. E.
ἐξαργεῖσθαι. p. 2. D.
ἐπιτόνιον. p. 3. D.
ζωώδης. p. 8. A.
κατάξηρος. p. 8. C.
καταπειθής. p. 5. C.
κατεπροΐξατο. p. 10. C.
κατασκελετεύω. p. 7. D.
κατοψοφαγέω. p. 5. B.
κιττοφορέω. p. 5. B.
κρουνόληρος. p. 13. B.
μονόκωλος. p. 7. B.
μονῳδία. p. 7. B.
νεανισκεύεσθαι. p. 12. B.
οἰκοφθορία. p. 12. B.
ὀμφακίας. p. 11. D.
παρατράγῳδος. p. 7. A.
παραφορτίζεσθαι. p. 8. E.
περικνίζω. p. 10. E.
περίτρανος. p. 4. A.
προσοργίζεσθαι. p. 13. D.
πωλοδαμνέω. p. 2. E. 13. F.
σινάμωρος. p. 3. A.
σκληραύχην. p. 2. E.
σοροδαίμων. p. 13. B.
συνουσιαστής. p. 8. B.
τελεσφόρος. p. 2. E.
τριβάρβαρος. p. 14. B.
φιλοπροσήγορος. p. 10. A.
φιλοτεκνία. p. 14. B.
φυτουργός. p. 2. B.
χαμαιτύπη. p. 5. B. 13. B.
χερσεύεσθαι. p. 2. D.
χερσοῦσθαι. p. 10. D.

Neque horum ego vocabulorum probitatem in

dubium voco: dico in germanis ea Plutarchi scriptis non exstare. Neque in iis ad tantum numerum colligendis aliquam aut calumniam aut cupiditatem secutus sum: multis partibus majorem colligere poteram numerum, si allegissem cum vulgaria et communi usu trita; tum quorum themata saltem sunt in Plutarcho, veluti παρέγγραπτος, cujus exstat thema παρεγγράφω· tum ea quibus utitur quidem Plutarchus, sed potestate et significatione diversa: quorum omnium cum numero augetur item suspicio de ipsius diversitate auctoris.

C A P. II.

De Verborum Nominumque significatione, compositione, formulis, dictionibus.

Altera orationis pars non in ipsis per se solis verbis nominibusque, sed in eorum et significatione et inter se conjunctione, id est formulis ac dictionibus, cernitur. Atque hoc in loco multa cum prava et minus proba, tum a Plutarchi stilo aliena, reperiemus. Plutarchus habet ille quidem subinde rariora a vulgari usu remota vocabula, sed non ut ea studiose quaerat, sed ut per multiplicis lectionis doctrinaeque abundantiam oblata accipiat, et ad sententiae suae vim efficaciamque accommodet; eamdem sequitur rationem ac prudentiam in formulis ac dictionibus. Scriptor libelli hujus in his ora-

orationis partibus fere sine judicio exquisitiora quaeque et argutias consectatur. Hujusmodi sunt:

P. 1. C: μεγαλαυχίας ἐμπίπλανται καὶ Φρυάγματος· postremum hoc arripuit ut sonantius et ornatius, pro simplici illo Φρονήματος, quod Plato, quem imitari hoc loco videtur, aliique frequentant.

Ibid. D: μικρὰν τὸ μέγεθος· nusquam dixit Plutarchus: Herodoteum est, indeque Sophistis, maxime Aeliano frequentatum. Plutarchus Vit. Agesil. p. 596. F. dixit μικρὰν de hac ipsa.

P. 2. F. Repetitio ejusdem formae, Καὶ τί δεῖ τ' ἄλλα θαυμάζειν· et mox, Καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν, e perverso elegantiarum studio profecta. Ad hoc genus referenda sunt notata supra Part. I. Cap. II. §. 2; nec ea nunc repetemus.

P. 3. A; πρὸς ἀρετῆς κύησιν· ineptum, ut doctius exquisitiusque susceptum, pro simplici πρὸς ἀρετῆς κτῆσιν· nisi forte ita scripsit auctor: sed difficile est judicare in ejusmodi scriptione, quod vitium auctori, quod librario, tribuamus.

P. 5. C: ὁ πολὺς πλοῦτος σκοπὸς ἔκκειται τοῖς βουλομένοις βαλλάντια τοξεύειν. Spreto vulgari βαλλαντιοτομεῖν, ut comparatio et argutia constaret quae ad σκοπὸς referretur, finxit ineptum et frigidum hoc βαλλάντια τοξεύειν.

P. 9. C: Καὶ διὰ τοῦτο οὐ μόνον ἐγρήγορσις, ἀλλὰ καὶ ὕπνος εὑρέθη. An ergo somnus et vigiliae aliquando *inventa* sunt, antea ignota fuerunt? In Comoediam et jocum istud cadit, non in seriam

scriptionem. Nam quod *εὑρίσκειν*, *invenire*, nonnumquam pro comparare, acquirere, nancisci, dicitur, hunc locum non ab ineptiae nota liberat.

P. 10. F: *τὴν τῶν ἀνθρωπίνων μυστηρίων πίστιν*, dixit studio argutiae, ni fallor, contra Graecae linguae consuetudinem, qua rei notitia alicujus hominis taciturnitati et fidei commissa non *μυστήριον*, sed *ἀπόῤῥητον arcanum*, dicitur.

P. 14. C: *συμπεριλαβεῖν τὰς παραινέσεις*, eo sensu, quem hic locus postulat, *monita facto explere*, *exsequi*, non est probum.

Jam in figuris apparet studium concinnitatis et venustatis ut frigidum et a re ipsa alienum, ita magis etiam a Plutarchi consuetudine abhorrens, qui aut paucissimas aut nullas habet figuras, certe nusquam eas consectatur. Hujusmodi locos partim supra attigimus Sect. II. Part. I. Cap. I. §. 2. Num. 7. et Cap. II. §. 2. partim sequente capite notabimus, ubi de orationis habitu et compositione dicetur.

C A P. III.

De Orationis habitu et compositione.

Plutarchi oratio constat fere enunciationibus longioribus ductis continuatisque minorum enunciationum, tamquam partium, comprehensione: neque sane habet aut facilitatem aut simplicitatem, non multum dissimilis Thucydideae formae vel Platonicae. At in hoc libello plane est diversa compositio:

enun-

enunciationes plerumque breves et concisae, forma propemodum Isocratea, ex genere ejus *παραινετικῷ*· quod enunciationum conformationem aliquanto habet minus diductam magisque adstrictam: item tamen *παρισώσεις* et *ἀντίθετα* et omnino *τὴν εὐρυθμίαν διώκει*, ut verbis utar Dionysii Halicarnassei in Judicio de Isocrate, §. 2. et 3. Nam de reliqua forma, qua hic libellus ab Isocratea differt, non dico; veluti de frequentia in aliorum auctorum testimoniis apponendis, quae omnino in illius aetatis ingenium non cadebat: neque de curiositate in consectandis verbis aut vetustate aut novitate insignibus, quibus doctrinae species et legentium admiratio quaeratur, a quo vitio integra omnino et immunis est Isocratea oratio, at non omnino hic libellus. Hunc in habitu et compositione orationis dico auctorem prodere juvenem rhetorissantem et Isocratea exempla redolentem. Videamus deinceps nonnullos in hoc genere locos.

P. 1. F: *ὧν ἂν τὴν ἀρχὴν τῆς σπορᾶς οἱ πατέρες ἐν μέθῃ ποιησάμενοι τύχωσιν.* Quorsum ista verborum abundantia nullo cum sententiae emolumento? poterat beviter dicere *οὓς ἂν οἱ πατέρες ἐν μέθῃ γεννήσωσι* vel *σπείρωσι.* Rhetoricum est *ἀπότευγμα*· quaerens orationis variationem et gravitatem, incidit in verborum diluvium.

P. 3. B: de duobus canibus a Lycurgo in concionem productis, *ὁ μὲν ἐπὶ τὸν λαγωὸν ἤϊξεν, ὁ δὲ ἐπὶ τὴν λοπάδα ὥρμησε.* Jam velim scire quae sit differentia inter duo haec verba: non, quod omni-

no nulla sit: sed quae hoc loco esse possit: quare alter ᾖϊξεν, alter ὥρμησε; Nimirum est hoc a scriptore antithesin et concinnitatem affectante; poterat ὥρμησε omittere. Nil tale in vero, saltem veriore, Plutarcho eamdem rem narrante in Apophthegm. Lacon. p. 255. F: ἐπὶ τὰ συνήθη δὲ ἑκατέρου ὁρμήσαντος, καὶ θατέρου τὸν λαγὼν χειρωσαμένου. Nil item Nicolaus Damascenus, Lib. VI. Excerpt. Valesian. p. 419: τῶν δὲ, ὁ μὲν κατοικίδιος ἐπὶ τοὖψον ὥρμησε· ὁ δὲ θηράτωρ ἐπὶ τὸν δόρκον, καὶ καταλαβὼν ἐσπάραττε. Haec est Isocratea figura una omnium frequentissima. Veluti in principio Orationis ad Demonicum, quae Isocratem nisi magistrum, certe discipulum, habet auctorem: Ἐν πολλοῖς μὲν, ὦ Δημόνικε, πολὺ διεστώσας εὑρήσομεν τάς τε τῶν σπουδαίων γνώμας καὶ τὰς τῶν φαύλων διανοίας· quid est, quod bonis γνώμη, malis διάνοια tribuitur? Totum exordium constat fere sententiis hac figura inclusis. Quarum etiamsi ratio appareat, ut in hac proxima: οἱ μὲν γὰρ τοὺς φίλους παρόντας μόνον τιμῶσιν· οἱ δὲ καὶ μακρὰν ἀπόντας ἀγαπῶσιν· tamen ipsa frequentia vitiosa est. Sed multarum ratio nulla apparet: veluti superioris, et hujus proximae: Ὁρῶ δὲ καὶ τὴν τύχην ἡμῖν συλλαμβάνουσαν, καὶ τὸν παρόντα καιρὸν συναγωνιζόμενον. Nonne fortuna tam συναγωνίζεται, quam συλλαμβάνει; et ὁ παρὼν καιρὸς tam συλλαμβάνει, quam συναγωνίζεται; Tales multae sunt in libello de *Educatione* antitheses, in iisque haud paucae inanes: veluti p. 2. B; ἡ μὲν γὰρ φύσις ἄνευ μαθήσεως,

τυφλόν· ἡ δὲ μάθησις δίχα φύσεως, ἐλλιπές· ἡ δὲ ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν, ἀτελές· primum membrum non improbo: sed in secundo, quare tantummodo δίχα φύσεως, nec etiam δίχα ἀσκήσεως, dicatur ἐλλιπὲς esse ἡ μάθησις; deinde, quare potius ἐλλιπές quam ἀτελές; nec tertio satis ratio constat, siquidem ἀτελὲς non sufficit significandae rei, et ἀσκήσει non proficiscenti a *natura* et *institutione* plus deerit quam τὸ τέλος.

Ex rhetorica etiam consuetudine fluxerunt formulae illae solemnes in transitionibus ad aliud argumentum, Plutarcho et omnino philosophis non usitatae. Hujus generis est exordium narrationi de Lycurgo praemissum, Ἐνὶ δὲ περὶ τούτων παραδείγματι χρησάμενος, ἀπαλλάξομαι τοῦ ἔτι περὶ αὐτῶν μηκύνειν. Plures hujusmodi formulas notavimus hac Sect. II. Part. I. Cap. II. §. 2. Ad idem genus referatur Epilogus ejusque professio ac praedictio; de quibus monitum nobis est eodem Capite §. 1. Num. I.

Rhetorica item est κακοζηλία et gravitatis affectatio in excitandis auctorum sententiis, praemissa fere praefatiuncula; ut in Euripideis ostendimus, Capite II. §. 2. sub finem.

P. 4. D: Ζεῦ καὶ θεοὶ πάντες κ. τ. λ. Exclamatio aliena a Plutarchi ingenio.

P. 5. C: De recta παιδείᾳ dicere ingressus, eam nec definit, nec describit, nec suis partibus distribuit: sed ad ejus laudationem se dat, nobisque veluti Chreiam rhetoricam apponit, similem illi vir-

virtutis laudationi in exordio Orationis ad Demonicum.

P. 7. D. Similis est laudatio Philosophiae: nec definitio, nec distributio; nil de Dialectica et Physica: Moralis pars laudatur rhetorice, locis communibus, nulla argumenti explicatione, disserendi ratione nulla.

P. 8. B: *Οὕτως ἐπολιτεύσατο Περικλῆς, οὕτως Ἀρχύτας ὁ Ταραντῖνος, οὕτως Δίων ὁ Συρακούσιος, οὕτως Ἐπαμινώνδας ὁ Θηβαῖος κ. τ. λ.* Haec est oratio rhetorissantis, non philosophantis, nec certe Plutarchi.

P. 13. A: *Τοῖς παισὶ τοῖς πλουσίοις οἱ πατέρες νήφειν παραινοῦσιν, οἱ δὲ μεθύειν· σωφρονεῖν, οἱ δὲ ἀσελγαίνειν· φυλάττειν, οἱ δὲ δαπανᾶν· φιλεργεῖν, οἱ δὲ ῥᾳθυμεῖν· κ. τ. λ.* Hae sunt antitheses patrum et adulatorum. Sequuntur eadem pagina, E, patrum secum ipsis antitheses variis temporibus varie filios tractantium — *ἐφείσω ποτὲ, ἀλλὰ καὶ χορήγησον· ἠγανάκτησάς ποτε, ἀλλὰ καὶ σύγγνωθι· ἐβουκόλησέ ποτε δι' οἰκέτου, τὴν ὀργὴν κατάσχε· ἐξ ἀγροῦ ποτε ζεῦγος ἀφείλετο, ἦλθέ ποτε χθιζῆς μέθης ἀποπνέων, ἀγνόησον· μύρων ἀπόζων, σίγησον· οὕτω σκιρτῶσα νεότης πωλοδαμνεῖται.* Haec admonitionum brevitas cui videatur Stoici, maxime Epictetei, characteris, esse: sane si brevitas sponte nata appareret: nunc illa curiositas in paritatis et figurae continuatione quemvis potius rhetorem, quam aut philosophum, aut omnino Plutarchum prodit.

Quid igitur dicamus de Heusingeri opinione,

pro

propter hanc orationis brevitatem hunc libellum a Plutarcho jam seniore scriptum censentis? Quid aliud, nisi adolescentis fuisse istam opinionem nullo adhuc usu Plutarcheae scriptionis subacti. Haeccine fuerit Plutarchi senectus, tam diversa stilo, tam rerum inops? Et adolescentiae et senectuti ipsa natura et aetas adfert redundantiam: illi in verbis, figuris, et sententiarum luminibus: huic in commemoratione rerum admonitionumque vel a doctrinae copiis, vel ab experientiae observatione oblatarum. Rhetorica videntur a juvene Plutarcho tractata: juveniles item sunt scriptiones *Consolatio ad Apollonium*, et *Reprehensio Herodoti:* senilis, ne alias dicam, *An seni gerenda sit Resp.* in utrisque tamen Plutarchum agnoscas, cum aliis in partibus, tum in redundantia. Platonis libros *De Legibus*, Isocratis *Panathenaicam*, Libanii orationem *De Vita Sua*, ut Ciceronis aliorumque scripta ne memorem: hos igitur libros, quamvis ab auctoribus provecta scriptos aetate, quis dicat orationis compositionem habere adstrictam et concisam?

Sed quo magis orationis dictionisque Plutarcheae germanae et spuriae diversitatem quis sentiat; habeat primo Plutarcheae consuetudinem et familiaritatem, Plutarcheorum librorum lectione contractam: deinde legat eos hujus libelli locos, qui in veris Plutarchi libris item narrantur et exponuntur, et utrosque invicem comparet: reperiet profecto, eos non minus stilo et oratione, quam rebus

et

et materia, a se invicem discrepare: quod quantum sit, significavimus Sect. II. Part. I. Cap. I. §. 2. Igitur adhibeatur ad hujus libelli p. 1. C. *de Themistoclis filio*, Vita Themist. p. 128. B: ibidem D. *de Archidamo*, Vita Agesil. p. 596. F: ad p. 3. A. *de Lycurgo*, Apophthegm. Lacon. p. 225. F: ad p. 5. F. *de Stilpone*, Vita Demetrii p. 893. A: ad p. 6. C. *de Periclis ac Demosthenis cautione in subita oratione*, Praecept. Reip. gerendae p. 803. F: ad p. 10. B. *de Gylippo*, Vit. Lysandri p. 442. A. et Niciae p. 541. F: ibidem D. *de Archyta et Platone in irae effectu se continentibus*, conferatur cum Sera Num. Vindict. p. 551. A, B. et Advers. Colot. p. 1108. A: ad p. 11. A. *de Theocrito Chio*, Symposiaca p. 633. C: ad p. 11. C. *de puerorum amore*, adhibeatur peculiaris liber *Amatorius* inscriptus: p. 12. A. *de adolescentulis non sine custodis praefectura relinquendis*, videatur exordium libri περὶ τοῦ ἀκούειν τῶν φιλοσόφων· p. 13. A. *de adulatoribus*, comparetur singularis liber *De discernendo amico et adulatore*.

CONCLUSIO.

Satisne igitur demonstravimus, istiusmodi esse hunc libellum; ut, si in *rebus* Plutarcheae omnino esset formae, *stilus* eum spurium argueret: si *stilus* esset Plutarcheus, *rerum* forma diversum auctorem proderet? Nunc quum utrumque tantum, quantum vidimus, abhorreat ab ingenio Plutarchi,

hunc

hunc ne adhuc istum libellum scripsisse putemus? Quis igitur ejus est scriptor? Nescio: Plutarchum non esse, scio. Sed quisquis tandem iste fuit, non falsarius debet haberi: aliorum errore, non ipsius fraude, haec scriptiuncula Plutarcheis scriptis addita esse videtur: qui si ipse hoc egisset ut eam Plutarcho supponeret, ejus profecto rationem et orationem imitari studuisset: veluti is, qui Apophthegmatibus praemisit Epistolam ad Trajanum, satis diligenter orationis Plutarcheae formam expressit: at similitudinis imitationisque voluntas et studium non item apparet in scriptore libelli *De Educatione.* De quo si mihi omnino dicendum sit quid suspicer; dicam equidem, sed ita ut pro suspicione et dem et accipi velim; non ut pro certa rataque sententia, quod fere faciunt qui omnibus de rebus historicis aeque certo firmiterque pronunciant, nullamque in probabilitate rationem graduum et discriminis ducunt.

Igitur adhuc mihi videtur verisimile, scriptorem hujus libelli fuisse adolescentem rhetoricis scholis institutum, primo apud alios magistros, deinde apud Plutarchum, neque illud satis diu ut aliquem ab eo colorem et habitum contrahere posset, recentem igitur in rhetoricis Plutarchi scholis discipulum, philosophiae adhuc sive rudem, sive ignarum, certe vix primis initiis et protrepticis rationibus imbutum. Plutarchus forte dederit discipulis thesin, id est argumentum scriptionis, hac formula, Τί τις ἂν ἔχοι εἰπεῖν περὶ τῆς τῶν ἐλευθέ-

ρων

ρων παίδων ἀγωγῆς, καὶ τίνι χρώμενοι σπουδαῖοι ἂν τοῖς τρόποις ἀποβαῖεν; Haec plane est rhetorum formula in proponendis Declamationum argumentis, Τίνας ἂν εἴποι λόγους Ἀχιλλεὺς, vel alius. Sed Plutarchi argumenta petita erant e philosophia; nam rhetoricam tractabat cum philosophia conjunctam, more Academicorum et Peripateticorum in utramque partem disputandi. De rhetorico ejus studio exstat locus in libro *De Solertia Animalium* p. 959. C. quem in Fragmentis libri *De Venatione* exhibuimus. Ex eodem genere sunt libri *De Primo Frigido*, *De quaestione Aquane an Ignis utilior sit*, *De Carnis Esu*, *De Alexandri Virtute*, *De Romanorum Fortuna*. Apud Stobaeum Tit. LXIII. et LXIV. in Pulchritudinis cum laudem tum vituperium exstant disputationes. In deperditis multi fuerunt ad rhetoricas institutiones referendi vel ex iis profecti: veluti in Catalogo Lampriae Num. XL. *Vitae X. Oratorum*, quas hodieque non nisi turbatas et foede truncatas interpolatasque habemus. Num. XLI. Ὁμηρικῶν Μελετῶν βιβλία δ', *Homericarum Declamationum Libri IV.* Num. XLIII. Περὶ τῆς εἰς ἑκάτερον ἐπιχειρήσεως, *De more in utramque partem disputandi.* Num. XLV. Περὶ ῥητορικῆς. Num. LXXXV. Εἰ ἀρετὴ ἡ ῥητορικὴ, *An Rhetorica*, s. *oratoria facultas, sit virtus.* Num. CIV. Πῶς δεῖ τοῖς σχολαστικοῖς γυμνάσμασι χρῆσθαι, *Quomodo exercitationibus scholasticis utendum sit.* Num. CLI. Εἰ πᾶσιν συνηγορητέον, *An omnium causarum ad nos delatarum*

rum patrocinium suscipiendum sit: ita enim haec inscriptio accipienda videtur. Num. CLXXXIII. Περὶ προβλημάτων. Num. CLXXXIV. Περὶ χαρακτήρων, *De Formis dicendi.* Num. CLXXXVII. Περὶ τῶν συνηγορούντων, *De causarum patronis.* Num. CLXXXIX. Μελετῶν φυσικῶν καὶ πανηγυρικῶν, ita enim hic titulus constituendus, ut initium ejus Περὶ ἡμερῶν peculiarem librum *De Diebus* significet. Num. CXCV. et CCII. *Duae cohortatoriae*, id est, protrepticae ad philosophiam, *epistolae.* Num. CCVII. Πρὸς τοὺς διὰ τὸ ῥητορεύειν μὴ φιλοσοφοῦντας, *Adversus eos, qui propter oratoriae artis studium non philosophantur.*

Ergo discipulus plenus prioris magistri praeceptis, novus in schola Plutarchi, ejusque in disserendo copiam, doctrinam, prudentiam nondum assequens, problema hoc tractavit suo more, id est mere rhetorice, ut de argumento minime cognito sibi perspectoque quasi chreiam componeret. Exordium, quod Plutarchus duxisset a vi et momento Educationis, ab ejus utilitate et efficacia ad vitam recte agendam, ad civitates regendas et servandas, aut ex aliis fontibus, quos innumerabiles habet argumentum rerum materiaeque copia tam dives et abundans: exordium igitur uberius, et rhetoricum quasi discipulus non putavit desiderari in oratione philosophica; paucis id verbis absolvit; ita quidem ut ipsam magistri formulam problematis retineret, eique duo haec verba adderet φέρε σκεψώμεθα. Jam ipsa tractatio ut

 nul-

lam prodat rei propositae ejusque naturae cognitionem, contra etiam, puerilem ignorantiam: ut locis communibus, sententiolis, flosculis oratoriis aliunde decerptis contineatur: ut philosophiae argumentum alienum a puerili aetate arripiat, ejusdem laudationem vacuam ab omni partium significatione ex aliqua forte protreptica oratione susceptam referat: ut Isocratei exempli ex genere *ὑποθετικῷ* et *παραινετικῷ* imitatio appareat: supra satis ostendimus. Denique Epilogus qualis est? Plane videtur continere magistri judicium, scriptioni discipuli subscriptum: omnino et habitu et oratione accedit ad formam Plutarchi, excepto uno verbo *συμπεριλαβεῖν*, in quo si non offendamur, aut si id a discipulo profectum statuamus; minime a verisimilitudine abhorrere videbitur, Epilogum a Plutarcho adjectum esse. Itaque exemplum hujus chreiae forte inter Plutarchi scripta relatum, cum iisque sub ejus nomine vulgatum fuerit.

Itane, dicat quis, nullam huic libello laudis utilitatisque partem relinquis? Non equidem plane abjiciendum censeam. In spuriis haud postremo est loco: melior et antiquior est illis *De Nobilitate*, *De Fluviis*, *Parallelorum Gr. et R.*, scriptiunculis. Habet laudem ut adolescentis chreia: habet in illa orationis mediocritate ac doctrinae levitate tamen aliquam cognitionis utilitatem et jucunditatem, semel legendo percipiendam, non re-

pe-

petita lectione crescentem, qui est fructus germanorum Plutarchi librorum et optimi cujusque Veterum; sed magis magisque decrescentem illam ac deficientem. Legatur a provectioribus, ipsius cognoscendi libelli caussa; non ad argumentum *de Educatione et Institutione*, vel ex ipsius natura et ratione, vel ex Antiquitatis more, intelligendum. Non proponatur tironibus, ut fere fit, vel quod recte jam reprehendit Cellarius Dissertt. Acad. p. 708. ad institutionem prosae orationis Graecae, vel ad formandum antiquae elegantiae sensum, vel denique ad notitiam et consuetudinem cum Plutarchi scriptis contrahendam. Amstelodami. Ao. MDCCXCVIII.

PRAEFATIO

VITAE

DAVIDIS RUHNKENII.

L. S.

Libellus hic, paulo post Ruhnkenii obitum scribi coeptus, mea opinione et longior et serior exiit. Longior; quod ipse scribens delectabar dilectissimi desideratissimique viri recordatione: cui quo magis indulgerem, eo mihi plura occurrebant et quasi adfluebant illius facta eventaque, quae ad aliorum cognitionem utilia jucundaque fore putarem. Serior, multis de caussis: cum illis in exordio significatis, nec hic repetendis: tum aliis, praesertim rerum mearum vicissitudine, qui Ruhnkenio successor Amstelodamo Lugdunum migravi. Primum ipsa loci domiciliique commutatio magnam partem necessarii ad scribendum otii auferebat. Deinde, quum auspicandae cathedrae oratio mihi habenda esset; dixi

de adolescentia Ruhnkenii in exemplum proposita adolescentibus Batavis bonarum Literarum studiosis: quod argumentum quin mihi et locus, et tempus, et res ipsa imposuerit, nemo dubitabit, qui non ignoret, quae sit eloquentiae materia, quae Ruhnkenii praestantia, quod pietatis officium. Sed idem argumentum quum sit pars hujus libelli; non attinuit, aut illam orationem edere, aut, libello antea edendo, orationi novitatis gratiam praeripere. Quamquam ad hunc retardandum seriusque emittendum aliae etiam, per se ipsae satis efficaces, caussae valuerunt: altera, quod Amstelodami excuderetur, me Lugduni degente, ac speciminibus exemplorum ultro citroque mittendis haud exiguum tempus periret: altera, horum temporum difficultas, quae chalcographos subinde ab officina ad militiam vocaret. Igitur ducenda ac diversis temporibus repetenda scriptione item factum est, ut in ejus initiis ac priore parte acrior impressus sit doloris, utpote recentis, sensus: idemque lenior deinceps in progressu appareat, et tempore et ratione sensim succedente.

Quod ad calcem subjeci peculiarem notationem locorum in libro universe significatorum, feci non tam mea sponte, quam aliis monentibus. Neque enim vel in ratione, vel in Veterum more, positum est, suis ipsum scriptis scholia addere, et appendicem attexere, quae non cum ipso orationis quasi perpetuitate ac filo contexta sit. Sed nimi-

mirum dandum hoc fuit saeculo, et consulendum legentium intelligentiae.

Caeterum, si forte, nonnullorum judicio, aut in rerum delectu, aut in ratione et oratione, lapsus sum: hi sciant, me in tota hac scriptione unice et pietatem erga Ruhnkenium, et ejus exempli ad humanitatis Literarumque studiosos fructum, spectasse: cui proposito si quidem satisfecero, non recuso, quin mihi tantum de ingenii existimatione detrahatur, quantum ad pietatis laudem accesserit.

Scripsi Lugdunibatavorum, mense Octobre, anno MDCCIC.

VITA

DAVIDIS RUHNKENII.

De RUHNKENIO et meus me dolor scribere jubet, et viri virtus, et vero bonarum emolumentum Literarum. Quidni enim doleam orbatus cum amico conjunctissimo, tum doctore unico? Aut doloris unde petam certius honestiusque solatium, quam ex vitae factorumque ipsius recordatione? Quod si non tantus, quantus fuit, vir fuisset Ruhnkenius; tamen et officium et pietas postulabat, ut cuius vivi amicitiam coluissem, ejusdem mortui memoriam commendarem. Nunc, quum ille omnium consensu, unus in paucis post renatas Literas, earum fuerit ingenio doctrinaque et princeps et stator, isque è singulari et maxime raro naturarum genere, quae immunes a sui saeculi contagione, integrae sinceraeque à prisci sanitate aevi prodeunt; eo nobis minus committendum est, ut tantam tam inusitatam virtutem tacitam abire sinamus. Vivet quidem ejus laus, immortalibus prodita inventis ac doctrinae monumentis: et vivet, vel

vel sine nostro praeconio, per innumerabilium decursum annorum, quoad quidem suus Literis et humanitati constabit honos. Sed hujus, quamvis diuturnae, laudis cum ad paucos pertinebit notitia, eos fere qui scripta viri legerint, tum ne horum quidem animos explebit. Nam ut Veterum, quorum libros cum fructu et voluptate legimus, ipsas etiam res vitasque cognoscere cupimus, earumque si nihil aut parum ad nostram memoriam pervenit, moleste ferimus: ita et posteri quicumque erunt, et nostrae aetatis aequales multi, qui Ruhnkenii vel nomen ab aliis celebrari audiverint, vel doctrinam legendis scriptis perceperint, uberius quiddam et interius requirent, unde non modo scriptorem, sed hominem, id est, ipsius res, facta, mores, animum, vitamque, cognoscant. Igitur quo majorem Literae cum ubique, tum praesertim in nostra Batavia, tanti viri obitu jacturam fecerunt, quo latius fama ejus per eruditum terrarum orbem patuit, quo sunt plures ad quos ex ejus morte pervenit dolor; eo magis est et humanitatis erga vivos, et pietatis erga mortuum, absentis imaginem repraesentare, vitamque scripto mandare; ut habeant cum universi vel cognitionis oblectamentum, vel desiderii lenimentum, tum vero juniores exemplum, in quod intuentes et excitentur ad ejusdem laudis studium, et studii iter prudenter dirigant.

Equidem cum semper ita judicavi, tum nuper

de Ruhnkeniano Hemsterhusii elogio scribens (1), *magnum virum nisi a magno viro rite laudari non posse.* Me vero natura in mediocribus esse hominibus voluit; ut mea mediocritas quantum a Ruhnkenii magnitudine, tantum ab ejus magnitudinis laudandae facultate absit. Quam mihi facultatem si vel natura vel doctrina tribuisset, profecto hujus temporis conditio eriperet. Nam, ut nil dicam de patria, quae et praesentium difficultatum sensu et impendentium metu optimi cujusque animum sollicitum ac suspensum tenet: habuit hic ipse annus (2) multa mihi privatim tristia et adversa, cum alia, de quibus dicere non est opus, tum duo acerbissima ad animi mei dolorem funera. Primum, ipsius Ruhnkenii obitu, quantopere me commoveri par fuit? quo amisso, simul et parentis affectum, et doctoris lumen, et amici fidem, et familiaris jucunditatem, et omnino maximam vitae suavitatem desidero. Deinde, quum ex hoc me dolore aliquantum erigere, eumque vita viri conscribenda solari coepissem, ecce! domesticum incidit vulnus! suavissima et filiae instar dilecta neptis, réi meae familiaris et adjumentum et ornamentum, in ipso juventutis flore, fune-

(1) Bibliothecae Criticae, Vol. III. Part. II. p. 118. [Quam scriptioni absolutae ad calcem subjunxerat Wyttenbachius annotationem, in lectorum gratiam in infima pagina suo quamque loco adscripserunt Editores, paucis vel mutatis vel additis ex ipsius Viri Cl. admonitione, Bibl. Crit. Vol. III. Part. IV. pag. 112, sq.]

(2) 1798, quo haec scripsi.

nesto morbo intra paucos dies domi meae exstinguitur. Qui casus sanequam et sua me gravitate vehementissime perculit, et ad Ruhnkenii luctum renovavit, et omnem scribendi cogitationem ex animo excussit. Igitur in duorum carissimorum capitum amissione ac desiderio, in dolore recente omnem ingenii vigorem hebetante, quomodo probabiliter fungar ea scriptione, quae et liberam ingenii agitationem, et cogitandi diligentiam, et animum curis solutum, et otium ab omni interpellatione vacuum postulat. Et tamen, cuicuimodi est, scriptio statim et continuo et suscipienda et conficienda est: dolori ita resistendum, ut temporis medicinam, quoad ejus fieri potest, ratione repraesentemus. Interest Literarum, interest calamitosae domus Ruhnkenianae, interest et mea et omnium doctrinae studiosorum, omniumque bonorum civium, memoriam tanti viri tamque egregii civis, primo quoque tempore vivam ac recentem scripto mandari ac servari, nec intermortuam demum sero excitari. Et si quaeritur qui hoc munus suscipiat, quamvis id lubens hoc tempore cuivis alii et magis diserto et minus lugenti concedam, tamen intelligo me omnium voluntate et exspectatione significari, neque id honeste defugere posse. Sive enim agitur officium; Ruhnkenius me ut filium dilexit, ego illum ut parentem colui. Sive quaeritur earumdem Literarum societas; fuit mihi ille adolescentulo haec studia ingresso dux et praeceptor, postea comes et sodalis,

lis, nec alter quidquam aut commentabatur, aut scriptum edebat, quin cum altero communicaret. Sive quaeritur familiaritas; per octo et viginti annos ea mihi fuit cum illo consuetudo, ut omnia fere, et laeta et tristia, nobis essent communia. Sive denique opus est orationis quadam doctrinaeque facultate; haec, ut est minor et mea voluntate, et multorum opinione, nec argumento praesenti par, tamen Ruhnkenii praeceptis monitisque conformata, in hujus ipsius laudibus, nisi apte, accommodate, et aeque, at juste, debite, pieque explicabitur.

Ac ne quis laudum nomine, quod aliquoties posui, eo inducatur ut putet mihi laudationem Ruhnkenii esse propositam, id est, ejusmodi scriptionem qua praecipuos vitae ingeniique locos delibem et oratione supra rem veritatemque efferam atque exornem. Istam orationis facultatem nec ego teneo, nec Ruhnkenii vita desiderat: quae, ut nil non habuit vel laudabile vel cum laude conjunctum, nil nisi simplex, apertum, et verum, ita ad laudem simplici nudaque narratione contenta est. Et erit sane simplex haec scriptionis ratio accommodatior cum ad facultatis meae mediocritatem, tum ad cognitionis exemplique fructum.

DAVIDES RUHNKENIUS natus est postridie Calendas Januar. anno hujus saeculi vicesimo tertio, in Pomeraniae ulterioris celebri urbe, Stolpa. Parentes fuerunt ex honestissimo civium ordi-

dine, et in re satis lauta; nam pater munus Sculteti, quod est praetoris rusticani, gessit, nec in liberorum, quos plures habebat, institutione parcus fuit. Ex his Davides puerulus quum et domi, et in magistri ludo, indicia ingenii ac docilitatis daret, a parentibus studiis destinatur, id est, ejusmodi vitae cujus subsidia parantur factitanda arte doctrinâve ex earum genere, quod in Academicis scholis discitur: matre in primis hoc probante consilium et suadente, ut puer ad Theologiam institueretur; nam, ut solent religiosae mulieres, ita demum se fortunatam fore matrem censebat, si filium aliquando suum è sacra cathedra concionantem videret. Ergo puer quo magis citiusque proficeret, traditur in disciplinam scholae Schlavensis, cui tum praeerat Kniephofius, qui postea Coslinensi praefuit scholae, vir cum aliarum doctrinarum probabiliter peritus, tum Latinae orationis ita studiosus, ut et sensu ejus valeret et amore flagraret, eumque sensum et amorem cum discipulis, in quibus quidem venustatis quaedam indoles inesset, communicaret. Hoc tum amore incensus est Ruhnkenius puer: hoc ei fuit initium, a quo ad omnem Literarum excellentiam proficisceretur.

Est haec ingeniorum naturaeque lex, ut nemo quisquam ulla in arte doctrinave excellere possit, nisi cui tria haec adsint, indoles, studium, via. Sed studium, ut plurimum valet, ita plurimis deest. Nam indolem dat natura, auget studium, acuit via: neque fere quisquam est, cui natura non de-

dederit aliquid indolis ad aliquam artem, in qua excellere possit, modo studium et via accedat. Viam vel magistri docent, vel aliorum exempla ostendunt, vel indolis bonitas invenit, vel studii constantia aperit. Studium nec indoles, nec via parit, nec sibi quisquam ipse, nec alteri, dare potest: ejusque excitandi alius apud alios discipulos magister majorem minoremve habet, non facultatem, sed felicitatem; est enim totum hoc non tam rationis, quam fortunae: excitatur quadam opportunitate temporis, loci, aliarum rerum, visorum sensuumve vel in ipso animo exsistentium, vel extrinsecus illabentium, forte et casu, id est, caussis extra nostram potestatem positis, quasi divinitus oblatis. Dico autem studium non illam ad breve tempus cupiditatem, quae in multis ut exsistit subito, ita mox evanescit: dico ardorem amoris non exstinguendum, ejusque ad extremum usque vitae terminum constantiam ac perseverantiam; neque enim in eo quis genere excellere possit, cujus aliquando amorem studiumque exuat. Adsideat ingenioso discipulo ingeniosus magister, ut hunc in eo amorem excitet: adhibeat hortationem, praecepta, exempla, praemiorum spem, machinam omnem; sedet aeternumque sedebit infelix (3) magister, nec movebitur discipulus, nisi fortunae aura adspiret. At haec simul atque adspi-

(3) Virgil. Aen. VI. 617: *sedet, aeternumque sedebit Infelix Theseus.*

spiravit, idem ille modo immotus exilit, evolat, incenditur. Scilicet eadem est ratio et in rerum natura, et in conversionibus cum singulorum hominum, tum universorum populorum: praesens aetas parturit futuram: caussae rerum, quae aliquando fient, jam magna ex parte nunc adsunt, coeunt paulatim, donec ultima quamvis exigua accedente, numerus mensuraque earum expletur, et effectus in lucem proditur. Veluti in populo sensim colliguntur offensiones, odia, inimicitiae: tum coitiones, fervor, agitatio: denique multitudo ducem, quamvis levem, nacta, veterum vincula legum abrumpit, summa imis miscet, vel novam reipublicae formam, vel in eadem novos rectores quaerit. Aut quemadmodum ad ingens saxi pondus loco movendum plures pluresque deinceps accedunt, et frustra nitentes sudant: donec multesimo quodam accedente, ecce! pondus movetur. Aut prouti in libra, aequatis in utraque lance ponderibus, adhuc status et quies intelligitur: at minimo ad alteram lancem addito momento, haec vergit, illa tollitur. Sic ingenia caussas, quibus ad studium excitentur, paulatim cum concipiunt in se ipsis, tum extrinsecus suscipiunt, easque ut praegnantia inclusas in sinu continent, donec expleto earum numero, veluti exactis mensibus foetum, sic studium pariant. Igitur qui opportuno illo et ad pariendum maturo tempore, sive prudens sive imprudens, sive hoc sive aliud agens, praegnanti ingenio vel le-

levissimum addiderit momentum, hic excitaverit studium: sed idem falso, ut vulgo fit, solus impulsor habeatur, quippe qui cum prioribus multis sit unus et postremus. Tum vero suprema illa impulsione tactum ingenium indolescit partu, et nascente studio exardescens, divino quasi impetu fertur; unde hic studii affectus, ob divinitatis opinionem, enthusiasmi nomine celebratus est. Et vero is, sive ardor, sive enthusiasmus, socium habet dolorem, tamquam sibi ipsi displicentis atque indignantis qui tam diu dormiverit, et sero resipuerit, nec dum magnorum, quos ad imitandum sibi proposuit, virorum praestantiam assecutus sit. Hic dolor fuit Themistoclis (4) adolescentis, quem Miltiadis tropaeum dormire non sinebat: hic Thucydidis (5) pueri, quem Herodoti fama ad historiam scribendam convertit: hic Demosthenis (6) pueri, qui Callistratum concionantem audiens, eloquentiae studio incensus est: hic fuit Ciceronis primus dolor (7), quo se ado-

(4) Plutarch. in Vit. p. 114, B. Opp. Moral. p. 184, F: 800, B. D. Lambin. ad Nepot. II. 1.

(5) Marcellin. Vit. Thucydidis, p. 9. Conferatur J. A. Fabricius Biblioth Graec. Vol. I, p. 867.

(6) Plutarch. in Vit. p. 847, F.

(7) In Bruto, 89: *sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cotta cum est expulsus*, caet. accipiendum de studii dolore, non de dolore propter expulsum Cottam. Incidit illud tempus in annum Ciceronis decimum et sextum, quo jam in forum deductus erat, sum-

adolescentem in foro oratores audientem percussum scribit: hi salutares illi fuerunt dolores, quos ad pariendam rerum scientiam et capessendum laudis studium familiaribus injicere solebat Socrates (8). Igitur omne institutionis momentum in eo positum est, ut, qui ei praesint, diligenter animadvertant quo sint puerorum adolescentiumve ingenia gradu maturitatis ad partum studii, idque Socratica ratione cum ad nascendum eliciant, tum nascens juvent, tum natum alant ac moderentur.

Ruhnkenii magna fuit felicitas: qui et in talem recens ac puerulus inciderit magistrum, apud quem inde a teneris ille studii dolor excitatus ad constantem et efficacem Literarum amorem evalesceret: et progressu aetatis eos item invenerit praeceptores et sodales, qui studium eius alerent et incenderent. Veluti, mox parentum voluntate è Schlavensi schola Regiomontium in Collegium Fridericianum delato, quod ibi, propter magistrorum copiam urbisque frequentiam, plurium rerum discendarum opportunitas esset; continuo studium facultasque Latinae orationis ei amorem conciliavit cum magistrorum, tum vero condiscipulorum: quo-

sumta virili toga: A. V. DCLXII, Coss. L. Marcio Philippo, et Sex. Julio Caesare. Vid. Francisci Fabricii Marcodurani Historia Ciceronis. p. 23. edit. Heusinger.

(8) Plato in Theaeteto p. 117, seq. Symposio p. 333, C., seq. Plutarch. Quaest. Platonic. I. p. 1033, seq. Biblioth. Crit. Vol. III, Part. I. p. 14.

quorum unus in primis erat ingeniosus puer, magnus item aliquando vir futurus, Immanuel Kantius, eodem Latinarum elegantiarum amore flagrans; ut alter alterum mutuo aemulationis dolore excitaret. Sed Kantium sive casus, sive quidam ingenii aestus, ad Philosophiam detulit: in qua quum aetatem consumeret, senex eam protulit Metaphysicam rationem, quae nunc maxime ipsius nomine celebratur. Ruhnkenium, ut cum Poëta (9) loquar, quae puerum adspexerat Musa, eadem nec senem reliquit: igitur hoc studium retinuit, indeque profectus, omnis Latinae Graecaeque elegantiae et rationem complexus est, et princeps exstitit.

Decursis Collegii Fridericiani spatiis, domum ad parentes rediit, duodeviginti annos natus. Iam ea erat aetate et scientia, ut graviores disciplinas in majore amplioreque Academiae schola percipere posset. Parentes ei popularium unam Academiarum destinabant, Regiomontanam, Halensem, Francofurtoviadrinam: harum optionem filio faciebat mater, modo Theologiae se daret: pater facilior erat, integrum filio relinquens quam is eligeret disciplinam, modo eam eligeret, qua et laudi et fortunae suae consuleret. Filius eo dudum erat percussus Graecarum Latinarumque Literarum amo-

(9) Callimach. Epigr. XXII.

Οὐ νέμεσις· Μοῦσαι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμματι παῖδας
Μὴ λοξῷ, πολιοὺς οὐκ ἀπέθεντο φίλους.

amore, ut aegre ad aliud studium traduci posset: his in perpetuum se mente animoque addixerat: his laudem certe se consecuturum sperabat, fortasse etiam fortunam: aut si fortunae subsidium assumendum esset, hoc in Jurisprudentia reponebat, quippe cujus efficacius uberiusque, quam Theologiae, ad Antiquarum Literarum scientiam facultatemque adiumentum esse censebat. Igitur, ne in praesentiarum, sub ipsum discessum, matri adversari videretur, dicit, sibi Graecae in primis linguae cognitione opus esse, neque se eam recte feliciterque percipere posse nisi Goettingae in scholis Gesneri. Parentes filio libenter gratificantur, putantes hoc ad Theologiam spectare. Nam illa aetate in plerisque aliis Germaniae Academiis Graecam linguam non nisi futuri Theologi discebant, et hi crassa Minerva, ad solam eamque levem sacrorum librorum intelligentiam: Graecae Literae pars Orientalium habebantur, et utraque fere unus et idem erat Professor.

Itaque domo proficiscitur adolescens eo consilio, ut Goettingam se conferret, et per itineris ac diverticuli opportunitatem claras urbes, in primis illas, quibus Saxonia floret, Academias inviseret. Berolinum, patriae regnique caput et regum domicilium, ampla aliis peregrinantibus spectandi materia, non nisi paucos eum dies tenet; quippe quo eum itineris magis necessitas, quam cognoscendi cupiditas, adduxerat, sperantem se eo rediturum, nunc omni impetu festinantem ad eos locos, qui

ipsi aliquod Antiquae venustiorisque doctrinae pabulum praeberent. Vicinam ingressus Saxoniam, venit Wittebergam. Huius urbis Academiam duo tunc ornabant praestantes doctrina viri, Jo. Daniel Ritterus, Juris Historiaeque omnis peritissimus, et Jo. Guilielmus Bergerus, in Eloquentia et Antiquitate, in primis Romana, versatissimus, uterque scriptis in publicum editis celebratissimus. Ruhnkenius qui jam in puerili institutione Orationes aliosque Bergeri libros cognovisset, magnamque ejus admirationem concepisset, eum adit salutatum. Hic adolescentem comiter excipit, ejusque colloquio ac doctrina delectatus, Rittero eum conciliat, alterum alterius cognitione dignum, et utrique illa conciliatione gratum se facturum judicans. Ergo unum alterumve diem his cum viris sic una fuit ut vicissim caperentur, et ipse illorum benivolentia ac doctrina, et illi ipsius ingenio et elegantia: ipse abitum de die in diem differre, Wittebergae manere malle, nec tamen audere, ne parentum voluntatem fefellisse videretur: illi, ut maneret, optare, nec tamen suadere velle id quod, nisi confutata pietatis opinione, suaderi non posset. Tandem ipse Ruhnkenius, rationibus secum agitatis, dubitationem tollit, constituit manere, et consilium parentibus probare. Et facile probavit. Nam quod parentibus ostendebat, se id, cujus caussa Goettingam peteret, uberius etiam Wittebergae discere posse, parentes judicare non poterant: et malebant filium propius abesse,

mo-

modo intra duorum spatium annorum domum rediret. Neque vero Ruhnkenio quod sequeretur deerat. Nam licet Graecarum institutio Literarum Wittebergae aut nulla, aut nullo in numero esset, claro certe Professore careret; earum tamen ea scientia valebant duumviri illi, ut ab iis Ruhnkenius discere posset: et si forte Gesnerus maiore esset scientia, hoc non tantum erat, ut caeteras Wittebergenses opportunitates obrueret, ubi duos habebat doctores et amantes sui et ad familiaritatem conciliatos: quod an item Goettingae inventurus esset, in majore et studiosorum adolescentium numero et Professorum occupatione, non sine ratione dubitabat.

Duos annos Wittebergae audivit Ritterum Jurisprudentiam et Historias, Bergerum Antiquitates Romanas et Eloquentiae praecepta tradentem: iisque in doctrinis magnos fecit progressus: quorum specimen biennio postea prodidit libello ad publicam disceptationem proposito, *De Galla Placidia Augusta.* Sed quum utriusque doctoris institutiones ita consectaretur, ut nullam earum partem praeterfluere sineret, tum Bergerianae ad duorum in primis scientiam locorum valuerunt, in quibus postea et ipse regnavit, et mihi ad discendum profuit: dico, Latinae orationis puritatem, et bonorum librorum ex recentiore aevo cognitionem. Noti sunt Bergeriani libri de Latina Eloquentia, cum Orationes tum Praecepta. Insignis inest probitas castitasque, cum verborum, tum

dictionum: suavitas non inest: nulla magnopere exstat varietas vel orationis vel doctrinae: summa in puritatis et concinnitatis cura, desideres sententiarum lumina, lacertos, sales. Fertur ejus liber *de Naturali Pulcritudine Orationis*, accurati ille judicii et multae doctrinae, sed nulla minus dote quam naturali pulcritudine commendatus; nisi forte naturalis ea sit pulcritudo, cui minima est cum Gratiis communio, cujusque ea est simplicitas et mundities quae frigeat. Ruhnkenius ex hac institutione non nisi utilia assumebat: eam a natura acceperat ingenii suavitatem, eum pulcri venustique sensum, qui a compositionis istiusmodi eum contagione integrum intactumque praestaret. Sed bonorum librorum, eorum qui post renatas Literas scripti essent, incredibilem habebat Bergerus non modo cognitionem, sed etiam copiam, de omni argumento, quod ad Scriptores Veteres Graecos et Latinos pertineret, Critico, Grammatico, Antiquario, Nummis, Inscriptionibus. Theca ei erat nummorum veterum, optimorum et rarissimorum, referta et locuples. Principum eruditione virorum plerorumque scripta, quae singulatim edita feruntur, necdum unâ editione comprehensa exstant, sedulo colligere solebat: in iis Joachimi Camerarii scripta, quorum corpus ad formam ab J. A. Fabricio in Bibliotheca Graeca (10) designatam, edere constituerat. Quod item Ruhnke-

(10) Vol. XIII. p. 493. seq.

kenius postea subinde agitavit consilium, qui Camerarii libros ad eum paulatim collegit numerum, ut ad summam paucissimi desiderentur.

Caeterum Ruhnkenius Wittebergae nonnihil etiam operae tribuit scholis Mathematicis, Dialecticis, et vero Metaphysicis, quae ad rationem Wolfianam habebantur: ita quidem, ut gustaret, nec ignoraret, Philosophiam. Et quod Nepos ait de Attico (11), *attigit quoque poëticen, credimus, ne ejus expers esset suavitatis:* idem de studio a se Philosophiae impertito dicere solebat Ruhnkenius, suavitatem fructumque Philosophiae positum esse in ratione et forma, non in materia et argumento; quippe de cujus veritate omnia esse incerta. De quo equidem ut nolim statuere, ita illud haud dubitanter affirmem, Ruhnkenium ex illa, quaecumque fuit, Philosophiae cognitione, ejusmodi sensum ingeniique habitum traxisse, ut postea Philosophos Veteres et legeret libentius, et intelligeret facilius, quam solent fere literati Philosophiae ignari: tum vero eloquentiae facultatem corroborasse, eamque disserendi consuetudinem duxisse, quae in omnibus ejus ejus scriptis commentationibusque apparet, definiendi, distribuendi, argumentandi, et rem quamque suo loco ponendi: quibus officiis neglectis, laus perspicuitatis elegantiaeque, et omnino bene scribendi facultas, exstare nulla potest.

In-

(11) Cap. 18.

Interea, quo magis in Latinis Literis aliisque disciplinis progrediebatur, eo magis quotidie animadvertebat, ad eas percipiendas majore sibi opus esse Graecarum Literarum scientia, quam quantam suo ipse studio et Bergeri Ritterique admonitione consequi posset. Et ex his saepe audiebat, interiorem quidem Graecarum Literarum cognitionem nunc apud solos fere Batavos florere, in primis Lugduni, ubi disciplinae quondam a Josepho Scaligero constitutae nunc summum praeesse virum, Tiberium Hemsterhusium. Accedebat ut per idem tempus Lipsia Wittebergam excurreret Joannes Augustus Ernestus, tredecim fere annis Ruhnkenio major, jam edito Cicerone aliisque libris famam doctrinae adeptus, isque, apud Ritterum ei conciliatus, vehementer eum hortaretur ad Graecarum studium Literarum gnaviter persequendum duce in primis Hemsterhusio, huic illarum principatum, quamvis caeteroquin Gesneri amantissimus, haud dubie tribuens. Igitur Ruhnkenius incredibili Hemsterhusianae disciplinae cupiditate incensus, ei se dare et Lugdunum proficisci constituit, parentes tamen antea consilii sui certiores facere, ejusque efficiendi ab iis copiam facultatemque petere; quamquam, quid responsuri essent, facile augurabatur. Nam hi ab hoc vehementer abhorrentes consilio, redire filium jubent, ut reliquum studiis destinatum tempus in patriarum una Academiarum, ut lex erat, transigeret, eoque transacto munus peteret, quo vitae sub-

si-

sidiis prospiceret: mittunt pecuniam viatico et negotiis ad reditum componendis, necessariam primo, deinde uberiorem, inducti à Bergero ad filii propositum nisi probandum, tamen ferendum. Filius pietati satisfactum, et suum sibi potius quam parentum judicium, in re ubi plus quam illi ipse videret, sequendum existimans, res suas cogitationesque ad profectionem in Bataviam comparat; in primis confirmatus prudentissimis benivolentissimisque adhortationibus duumvirorum Wittebergensium et Ernesti, affirmantium, nusquam ipsius doctrinae sua praemia defutura; quippe quae, nisi apud Batavos, certe apud Germanos ei parata esse, ubi sua se commendatione effecturos, ut prima quaeque cathedra ei deferretur.

Hoc exemplo discant juvenes, quorum rectissimis studiis parentes obsecundare aut, cum possunt, nolunt, quod Ruhnkenio contigit, aut, cum volunt, non possunt, quod pluribus etiam evenire solet: discant igitur non absterreri à proposito, nec temporum difficultatem aut parentum errorem ad ignavam pietatis opinionem interpretari: erigant se adversus fortunam, sequantur integram naturae, immo Dei, vocem. Est enim profecto Deus in nobis (12), certe divinum quid a Deo nobis inditum, virtus, prudentia et fortitudo, qua suam sibi quisque fingit fortunam. Sed eos dico juvenes

(12) Veterum placitum. Plutarch. Quaest. Plat. I. p. 999. E. Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. p. 17, seq.

nes qui generosa nati indole, juvenis instar Herculis (13) a diversa utrimque sollicitati Dea, Virtute et Ignavia, audeant laboriosam virtutem molli ignaviae praeponere, et ita in animum suum inducere ut omnes labores exantlare, omnes voluptates contemnere non recusent, dummodo propositum excellentis scientiae fructum consequantur. Non eos dico juvenes, quos quum ad hoc laudis iter ingrediendum hortamur, quamquam in facili et parentum voluntate et subsidiorum copia, tamen respondere audimus, *At nimius est hic labor! Nimium temporis hujus scientiae studium postulat!* Abeant isti ad Deam Ignaviam, hujus in campo pascantur, et cum ignavo vulgo vitam traducant inertem!

Ruhnkenius Lugdunum proficiscitur comite juvene quodam nobile ac divite, inde per alias Europae terras peregrinaturo: recto ac brevissimo tendit itinere, nulla jam diverticula captans. Habebat commendatitias literas Ritteri ad Ruckerum Jureconsultum Antecessorem et Gerardum Meermannum Syndicum Rotterodamensem, Bergeri ad Franciscum Oudendorpium Historiarum et Eloquentiae Professorem: ad unum Hemsterhusium, quem unum et spectabat et cogitabat, literas non habebat. Hujus amicitiam sua ipse, nulla aliena, commendatione, sola doctrinae conjunctione, se si-

(13) Xenophon loco notissimo, Mem. Socrat. II, 1, 19.

sibi conciliaturum certo confidebat. Hunc, simul urbem ingressus est, relictis aliis negotiis, continuo adit, Latine alloquitur, narrat quis et unde sit, ex Ritteri Bergerique disciplina se unice Lugdunum venisse, ut Hemsterhusiana institutione ad Graecarum scientiam Literarum proficeret, eamque redux aliquando in Germania explicaret. Hemsterhusius statim animadvertit, hunc non esse ex vulgari genere studiosum et salutatorem: agnoscit egregiam indolem, et ingenii elegantiam: miratur doctrinae, quamvis in adolescente, maturitatem, sermonis Latini inusitatam bonitatem: tum vero amplexatur candorem ingenuum, qui quemvis etiam doctrinae ignarum facile caperet: gaudet discipulum sibi venisse non tironem et rudem, sed universae jam eruditionis supellectile instructum, cui ad perfectionem non nisi ultima quasi manus et lima deesset. Igitur prima illa congressio, ut solet fieri in studiorum sensuumque similitudine, eam vim habuit ut dubium esset uter utrum magis cepisset. Nam et in Hemsterhusio multa erant quae homines etiam indoctos ad eum suspiciendum converterent: summa in habitu, vultu, gestu, motu, cum comitate gravitas: prudentis orationis, tamquam meditatae, sedatum quoddam flumen. Quo majore admiratione Ruhnkenium adfectum fuisse par est, qui ad hunc viri adspectum maximam de ejus doctrina existimationem attulisset. Saepe mihi narravit, se, licet absens de Hemsterhusio summa omnia opinione praecepis-

set,

set, praesentem omnia uberiora amplioraque deprehendisse; ut, quum absens admirabilem sibi virum informasset, jam praesens aliquem Deum videre sibi videretur. Huic igitur similis fieri studebat: hunc dies noctesque sibi proponebat: hujus ab ore pendebat: hujus per sex deinceps annos scholis assiduam operam navabat: hujus et tunc et postea familiares sermones et consuetudinem ita consectatus est, ut, quoad posset, ab ejus latere non discederet, nec dictum monitumve è senis ore exiret, quin id exciperet ac fideli memoria reponeret. Ergo, non modo eamdem, quam in Hemsterhusio mirabatur, doctrinam et ipse consecutus est, sed eam praeterea sua quadam et propria ingenii suavitate auxit et exhilaravit. Et quandoquidem Hemsterhusianae doctrinae praestantia posita erat in Antiquarum, id est Graecarum et Latinarum, Literarum critica scientia; haud alienum videtur ab hoc loco, quae sit illius scientiae materia et ratio, breviter, quoad ejus fieri potest, declarare.

Constat inter omnes, omnem ingenii cultum, omnem verae elegantiae et pulcritudinis rationem, omnes artes ac disciplinas, et exstitisse et floruisse apud Graecos: ab his ad Romanos, à Romanis ad alios Europae populos venisse, et partim horum socordia et calamitate, partim exterorum populorum barbarie ac dominio, quorum utrorumque è colluvione majores nostri exstiterunt, obrutas neglectasque jacuisse per mille fere annos, quibus medium aevum censetur, ad saeculum deci-

cimum et quintum, quo earumdem studium Graecis Latinisque Scriptoribus legendis repeti instaurarique coepit: et ab eo inde tempore ita quemque populum ad divinarum humanarumque rerum scientiam, omnemque doctrinarum ac liberalium artium rationem magis profecisse, quo quisque magis veteris Graecae Romanaeque originis, tamquam igniculos et semina in animis abdita elicuisset ac suscitasset, ad ejusque originis sensum habitumque se tractandis Antiquis Scriptoribus restituisset atque conformasset. Quo in judicio, nemo facile humanior à nobis dissentiat: aut si quis forte dissentit, illud certe nobis concedat necesse est, uberrimum esse omnis humanae cognitionis fontem in Antiquorum scriptis, multas adhuc superesse in nostris ingeniis, animis, moribus, institutis, disciplinis, studiis, barbaricae semina originis, ac reliquias sordesque medii aevi, quas ita quemque certissime abstergere et eluere, ut maxime diligentissimeque pectus limpidissimis Antiquarum Literarum fontibus irrigaverit. Adeo illud Horatii (14) de Romanis dictum, verissime in nostram aetatem nostraque tempora, veluti vatis oraculum, valet:

Sed in longum tamen aevum
Manserunt, hodieque manent, vestigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis.

An-

(14) Epist. II, 1, 159.

Antiquorum monumentorum quatuor sunt genera. Primo, longe omnium uberrimo et maximo, ipsi continentur Scriptores, et numero multi, et materia varii, Poetae, Philosophi, Historici, Oratores, Rhetores, Grammatici, et de aliis etiam artibus argumentisque Scriptores. Horum vel uno in genere recte versari quum magnum quid sit; is, quem significamus, in omnibus habitare debet generibus, ut omnes omnino Scriptores, et optimum quemque maxime, pertractatos habeat. Ex reliquis tribus monumentorum generibus, duo sunt literata, Inscriptiones et Nummi: unum illiteratum, artium opera ea quae oculorum sensu et corporeae materiae conformatione censentur, veluti statuariae, sculpturae, architecturae, et similium: quae tria genera ita teneantur, ut eorum intelligentia maxime et referatur ad intelligentiam primi et maximi generis, id est, Scriptorum, et ab ea ducatur; qua quippe instructo facilis et expedita est horum trium cognitio, sine hac inanis et potius nulla.

Scientiae hujus est finis, omnem illam ex antiquis monumentis materiam proferre, ad ingenii cultum fructumque, vitae usum, virtutis et honestatis studium, referre: officium, id est, via qua hunc finem consequitur, positum est in grammatica interpretatione, quae à diligente et accurata linguae verborumque cognitione ad rerum cognitionem proficiscitur. Primi illi sub initium renascentium Literarum florentes doctrinâ viri omnem Antiquitatis ma-

materiam suis studiis complectebantur, Latinam Graecamque linguam, Grammaticam, Criticam, omnem Historiam, Eloquentiam, bene scribendi facultatem, Philosophiam, et reliquas artes disciplinasque, quatenus, Antiquorum scriptis consignatae, eorumdem lectione percipiuntur: quibus multi adeo Hebraicas et Orientales Literas adjungebant. Qui his omnibus fere in rebus probabiliter valerent, innumerabiles fuerunt: qui vero, cum harum rerum egregia scientia, Literarum quoque Graecarum et Latinarum principatum tenerent, tres ad hunc diem censentur, Josephus Scaliger, Isaacus Casaubonus, Claudius Salmasius. Jam horum aetate, et magis etiam postea, plerique, pro ingenii quisque sui mediocritate et studii ratione, ex illa rerum infinitate in arctius spatium, ad hujus, de qua agimus, scientiae veterem propriamque sedem, ad grammaticam Graecae Latinaeque linguae rationem, se retulerunt: angustis sane se finibus circumscribentes, observatione verborum, formarum, dictionis, compositionis: veluti ampli aedificii superioribus partibus et conclavibus, penuria supellectilis familiaeque, vacuis relictis, in fundo ac solo habitatum concedentes: sive, ut splendidiore exemplo utar, tamquam imperii ac ditionis nimis late patentis, quod tueri non possent, longinquas dissitasque provincias deserentes, copiasque inde suas in patrium avitumque regnum et agrum contrahentes. Horum alii intra illud verborum se regnum continebant: alii

alii subinde in proximas regiones egrediebantur Critices factitandae, vel in emendandis scripturae corruptelis, vel in confutandis Historiae erroribus, verborum tamen semper magis studiosi quam rerum, neque fere has attingentes nisi quatenus cum verbis conjunctae sunt. Et vero prudenter et cum ratione agebant, quod virium suarum rationem habentes, ne altius, quam quantum possent, in rerum regiones adscenderent. At alii imprudenter, atque adeo impudenter, qui nulla linguae et grammaticae rationis intelligentia instructi, continuo in Antiquorum res, veluti Philosophiam aliasque disciplinas, involant, de iis audacter scribunt, rudes et ignari verborum linguaeque quibus res illae disciplinaeque proditae sunt: volatici, profecto, et ventosi homines, quasi in aedificio fabricando initium facientes à tecto et apice, de fundamentis et parietibus non cogitantes. Hemsterhusii prudens erat ratio tuendi Literarum imperii, qui a verborum intelligentia ad omnes egrederetur Critices et Antiquitatis regiones, in iisque frequens diverteret, semper tamen sedem imperii habitationemque meminisset esse grammaticam scientiam, eamque in primis et curaret et ornaret.

Sed illa intelligentiae unica effectrix, grammatica interpretatio, in recentiorum libris facilis expeditaque est: in Antiquorum scriptis difficillimum habet aditum, obstructa quippe interjectis cum aliis, tum praecipue duobus magnis impedimentis et quasi sepimentis. Primum et exterius

se-

sepimentum est veterum linguarum ad discendum intelligendumque difficultas: quam ubi superaveris, restat alterum et interius sepimentum, exemplarium labes et corruptela. Linguarum difficultas exsistit ab earum in vulgus ignoratione, utpote ex usu communi remotarum, nec hominum continuo et quotidiano sermone ad nostra tempora propagatarum, sed solis literarum monumentis servatarum. Hujus impedimenti igitur expediendi duo sunt instrumenta. Alterum scientia Artis Grammaticae, confirmata continuo legendorum Scriptorum usu; ut cognita cum singulorum verborum significatione, tum eorum compositione et constructione, loci cujusque sententiam assequamur. Alterum, Analogiae nomine celebratum, versatur in singulorum originibus verborum indagandis, unde cum prima et propria notatio, tum ducta inde et tralata vis cujusque et potestas perspiciatur: de quo quamvis maximo ad interiorem Graecae Latinaeque linguae scientiam subsidio pauci adhuc cogitaverant, nec fere nisi triumviri illi, Scaliger, Casaubonus, Salmasius, pauciores etiam scripserunt probabiliter quidem, nisi forte brevia quaedam et inchoata Aegidius Menagius (15) et Lambertus Bosius (16). Utrumque instrumentum

(15) In Amoenitat. Juris Civilis: praesertim Cap. XXXIX, De Etymologiis Jurisconsultorum.

(16) Dissertatione Etymologica, addita ejus Exercitationibus Philologicis, Franequerae, 1713.

tum ita tenebat Hemsterhusius, ut illius in tractatione primus copiarum ubertatem cum severitate delectus conjungeret: hujus et materiam augeret et rationem primus constitueret, atque adeo unicus ejus haberetur inventor, et unus, post renatas Literas, Graecae Latinaeque linguae fines insigniter proferret.

Gravius etiam difficiliusque expeditu est alterum impedimentum, positum in corruptela et erroribus scripturae, ortis illis cum à librariorum vel fraude vel negligentia, tum à situs ac diuturnitatis injuria: quod omnem intelligendi interpretandique sollertiam eludit, nisi corruptela ad sanitatem restituta fuerit, adhibitâ emendatrice facultate Critica. Haec, ut nomen habet, ita proficiscitur a judicando quid verum falsumve, probum vel vitiosum, sanum vel mendosum; rectum vel pravum, turpe vel secus, germanum suppositumve sit: indeque ad inveniendum progreditur, suum cuique tribuens, reprehenso falso verum restituens, ostensa corruptela simul medicinam expromens, vel conjecturae felicitate, vel vetustorum codicum auctoritate. Hujus scientiae tantam facultatem habuit Hemsterhusius, ut omnium consensu in ea regnaret, et Ruhnkenius eum verissime in exemplum perfecti Critici proponeret, scripto illo divinitus viri Elogio, in quo ita totam illius doctrinam explicuit, ut simul significaret quid ipse probaverit ac secutus sit. Hunc libellum et legant et ediscant, cum omnes humanitatis studiosi, tum ii qui Hemster-

sterhusianae et omnino criticae doctrinae vim rationemque uberius cognoscere cupiunt. Nos hunc locum nostro more et universe adumbravimus; quo certius de Ruhnkenio judicari posset, quem constat Hemsterhusiani exempli praestantiam et secutum et assecutum esse. Nunc quibus eam gradibus studiisque assecutus sit, porro videamus.

Et primum quidem suo exemplo probavit verissimum esse vetus illud, *sui cuique mores fingunt fortunam* (17). Venerat Lugdunum invitis parentibus. Vitae subsidiis prospectum erat in breve tempus, illud quo in Germania cathedram adeptus esset: quod tempus breve fore Wittebergenses amici affirmaverant. Nunc, ne illa quidem subsidia desideravit. Eo erat ingenio, iis moribus, ut non modo doctos, sed indoctos etiam, facile sibi conciliaret. Erat in eo cum officiosa comitate et sermonis affabilitate ingenuus candor, ab omni et adulatione, et simulatione, et vero eruditionis ostentatione, prorsus alienus: animus simplex et apertus, veri studiosus et tenax, et constans etiam assertor, gravioribus in negotiis ubi amicorum commodum et officii consiliique fides ageretur: levioribus in rebus, sententiae nec alienae sedulus reprehensor, nec suae pertinax defensor: caeterum fere Pamphili (18) Terentiani similis, Sic

(17) Nepos Attico, 11: fluxit dictum ab Heraclitea sententia. Vid. Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. p. 19.

(18) Terent. Andr. I, 1.

Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cunque una, iis se dedere,
Eorum obsequi studiis; advorsus nemini:
Numquam praeponens se illis.

Erat omnino in ejus natura princeps dos et reliquarum quasi fundamentum, εὐκολία, facilitas, ut ingenii ad discendum et inveniendum, ita animi ad ferendos varios hominum mores, suscipiendaque et sua et aliorum negotia: qua facilitate multum per totam vitam juvabatur sive ad felicitatem, sive ad felicitatis opinionem; ut aequabili semper esset animo, eodem vultu, adversos casus leniter exciperet, patienter toleraret, suaque ipse sorte contentus viveret. Porro, quod Graecorum dicto (19) fertur, *formae pulcritudinem omni commendatitia epistola plus valere*, neque haec Ruhnkenio deerat commendatio, corporis nisi venustas et pulcritudo, certe concinnitas et dignitas, juvenilis vigor, hilaritas in vultu, et *quae*, ut cum Tullio loquar, *sunt minima, tamen bona dicantur necesse est, candiduli dentes, venusti oculi, color suavis* (20): habitus, motus, incessus, gestus, decorus: index liberalis institutionis, facultas artium quibus corpus ad agilitatem et vitae usum formatur, saltationis, equitationis, palaestrae,

(19) Aristoteli tribuunt Diog. Laert. V, 18: et Stobaeus, Serm. LXIV. p. 408, τὸ κάλλος πάσης συστατικώτερον ἐπιστολῆς.

(20) Tusc. V, 14, ex vetere Poëta.

strae, et, quibus visus auditusque erudiuntur, linearis picturae et musicae, hujus quidem ejusmodi profectus ut probabiliter tibia caneret: denique venationis studium inde à teneris susceptum, et progressu aetatis ad scientiam et rationem perductum: de quibus artificiis studiisque cum horum peritis, quamquam illiteratis, tam libenter, jucunde, intelligenter confabulabatur, quam de Literis cum literatis. Quae dotes etiamsi exiguae sint, si cum ingenii doctrinaeque virtutibus comparentur, advenae et hospiti multiplices ansas conciliandae multorum notitiae amicitiaeque praebebant, plurimumque valebant ad benivolam opinionem vulgi, cujus in manu doctissimorum saepe hominum posita est fortuna. Ad hoc vulgi praejudicium quum accederet judicium magnorum virorum, in primis Hemsterhusii, qui eum quovis in sermone et congressu haud obscure aliis adolescentibus et praeponebat et in exemplum proponebat, brevi factum est, ut studiosissimi quique bonarum Literarum juvenes ejus amicitiam expeterent, et parentes eum filiis morum studiorumque praefectum adjungere cuperent. Hujusmodi ille stationes lubens accipiebat, cum suo ipse judicio, quo diutius copiam haberet fruendae disciplinae Hemsterhusianae: tum auctore in primis ipso Hemsterhusio, qui ab initio statim illud agebat ut Ruhnkenium in Batavia retineret, et aliquando in cathedra collocaret. Quod perfecit tandem, quamvis multos post annos, Hemsterhusius, et

immortalibus suis in patriam meritis hunc adjecit cumulum, ut ei Ruhnkenium futurum suum laudis heredem, et bonarum Literarum statorem formaret ac vindicaret.

Attulerat multarum doctrinarum, Juris, Historiarum, Antiquitatum, Literarum Graecarum et Latinarum, aliarum, haud contemnendam scientiam, inchoatam puerili institutione, mox Wittebergensi disciplina cultam et locupletatam; ut nullam non in hoc genere cathedram ornare tuerique posset: cujus scientiae si qui vel dimidiam et multo adeo minorem partem tenent adolescentes popularem auram captantes, ut sibi placent! ut se efferunt! ut alios prae se contemnunt, et Professorum scholas despiciunt! At Ruhnkenium, ô superbum juvenem! non puduit tam doctum cum adolescentulis tironibus ac paene pueris condiscipulum in Hemsterhusii schola sedere: immo, qui Socratis sibi proposuisset praeceptum, se ipsum nosset, ac doctus magis esse quam videri studeret, constituit veluti ignarus omnium rerum et rudis, tamquam novus ac recens, tamquam denuo natus, novam vitam ordiri, studiorum viam rursus ingredi, ejus initium a Graecis Literis ducere, earumque scientiae, quasi fundamento, postea Latinarum Literarum ac deinceps aliarum doctrinarum tractationem superstruere. Ita enim et ipse judicabat, et Hemsterhusium judicantem audiebat, praeposterum esse puerilis institutionis ordinem, quo primum Latinis, deinde Graecis, imbuimur

Literis; igitur eos qui semel hunc errorem errassent, et tamen ad Literarum principatum contenderent, denuo veluti pueros debere fieri, puerilis institutionis aliam viam ingredi, a Graecis ad Latinas Literas progredi. Hanc viam ingressus, bipertitum sibi studiorum pensum constituit: alterum, ut quotidie Hemsterhusium in schola Graecos Scriptores, ea qua diximus, critica grammaticaque ratione interpretantem audiret: alterum, ut ipse domi Graecos omnes deinceps legeret Scriptores, et primum quidem Poëtas, initium ducens à principe ut ingenio, ita aetate, Homero, quamquam antea lecto, nunc melioribus auspiciis ac rite tractando, indeque ad proximum quemque aetate et argumento Poëtam, usque ad postremum, progrediens; ne Nonno quidem, Silentiario, et postremis Byzantinorum, neglectis, modo aliquam cum veteris doctrinae elegantia conjunctionem haberent. Et ne studium ad solos Poëtas adhaeresceret, neve aliquando, quod multis accidit, ad prosae orationis Scriptores traduci nequiret, Herodotum, Thucydidem, Platonem, et in primis Xenophontem, eadem qua Poëtas cura, eodem tempore, legebat: et ne à Latinis Literis desuesceret, Graecorum Poëtarum lectioni Latinorum lectionem Poëtarum adjungebat: denique ne, quod item compluribus evenire solet, Latinae orationis prosae sensum facultatemque lectione Poëtarum restingueret, sed integrum servaret, partim jam cautum erat Bergeri disciplina, ubi Cicero ei

vehementer placere coeperat, qui quibus placet, hi multum, judice Quinctiliano (21), jam profecerunt: partim adhuc etiam cavebat, legendo Cicerone, adhibito item Terentio, Nepote, et simillimo quoque horum nativa elegantia castaque simplicitate.

Jam si quis quaerat, qua ratione Scriptores Graecos legerit, infinitum sit de singulis respondere, universe dixisse sufficiat, Hemsterhusianam eum secutum esse rationem. Ergo primum ad singula verba attendebat: novorum et minus cognitorum vim aperiebat cum ex originis notatione, tum ex usu: quem quia legendo nondum tenebat, cognoscebat è Lexicis, Stephaniano Thesauro, in primis autem è veteribus, Polluce, Suida, Hesychio, aliis, quibuscum, inter lectionem Scriptorum, familiaritatem contrahebat, et utrorumque comparatione utrisque mutuo lucem medicinamque adferebat; tum vero judicabat quamnam è variis significationibus praesens locus vel admitteret vel postularet. Deinde animadvertebat ad compositionem et structuram totius loci, eamque cum investigando sententiae nexu, tum observatione grammaticae rationis constituebat. Locum ita patefactum relegebat aliquoties, antequam ad proximum pergeret. Denique perlectum Scriptorem, uno et continuo tenore rursus totum relegendo iterabat; unde fiebat ut se in ejus mentem, mores, aetatem, locum, quasi insinuaret: formam dicendi, cogitan-

(21) Instit. Or. X, 1.

tandi, argumentandi, animo imprimeret: multa, in quibus antea haesisset, expediret: perperam à se intellecta rectius perspiceret, corrupta emendaret; quum quovis dubio loco facile videret quam sententiam scripturamque consuetudo et ingenium Scriptoris postularet. Ita è grammaticae interpretationis exercitio, sponte et nascebantur verissimae emendationes, et ingenium ad criticam facultatem formabatur.

Ac ne forte ingeniosi juvenes, qui haec legerint, opinione laboris ab ingrediendo ejusdem laudis itinere deterreantur, cogitantes infinitum et humanis, suis certe, viribus majus esse tam multos Veterum libros tanta cum cura tractare, et tractatos memoria continere; operae pretium est eos admonere. Sane, si unusquisque Scriptor tantumdem operae ac laboris postularet quantum primus, infinitum esset negotium et ita aerumnosum, ut nemo non liberalis ingenii homo aliam quamvis, quam hanc, vitae viam ingredi mallet. Nunc plane Hesiodeum (22) illud fit, τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα. Virtus difficilem et sudoris plenum habet aditum, progressum facilem et jucundum. Uniuscujusque deinceps Scriptoris facilior fit lectio et ad sequentes viam aperit: ac brevi tempore ad eam facultatem pervenitur, ut Graeci libri aeque promte expediteque intelligantur, quam aut Latini, aut patria adeo lingua scripti. Ad hanc facilitatem mul-

(22) Op. et D. 289.

multum valet cum ipsa linguae indoles, tum vero plurimum recta progrediundi ratio. Linguae, prae caeteris omnibus linguis, ea est indoles, ut et singulorum significatio verborum appareat vel ex origine, vel è nexu cujusque loci: et constructio compositioque dictionum enunciationumque ad simplicem naturae rationem conformata sit; ut neutra in parte opem Lexici tam diu, quam aliis in linguis, desideremus. Recta progrediundi ratio duabus continetur partibus: altera, justa difficultatis cujusque aestimatione: altera, annotandi consuetudine. Illa hanc habet vim, ut locis difficilibus nec parum, nec nimium operae tribuamus. Parum tribuimus, quum eos leviter, nec adhibitis iis, de quibus diximus, expediendi instrumentis praeterimus. Nimium tribuimus, quum ita ad eos adhaerescimus, ut, nisi penetus expeditis, progredi nolimus: ad quam pertinaciam etiam studiosissimorum hominum industriam, tamquam ad scopulum naufragio, affligi novimus. Fuit mihi familiaris quidam, elegantis homo ingenii, qui hac pertinacia captus, in facillimis etiam locis difficultates sibi fingeret, et, quod ajunt, nodum in scirpo quaereret, mihique ingenue fateretur, sibi majus videri quam pro humani ingenii viribus vel unum è majoribus quidem, aut Graecis, aut Latinis prosae orationis, Scriptoribus, accurate legisse. Quid igitur? Laboris molestia ac taedio, à continua lectione rejectus, ad Latinos adhaesit Poëtas: horum item paucissimos legit totos; in

re-

reliquis eorum, et magis etiam in solutae orationis Scriptoribus, maxime vero et omnino in Graecis, desultor evasit, et, ut in proverbio est, canis è Nilo bibit: modo in hoc, modo in alio, versus aliquot degustavit: totum ne unum quidem vel minimum perlegit: numquam, ne ad mediocrem quidem, Graecae scientiam linguae pervenit. Ruhnkenius institutum iter strenue persequebatur: ad locum perveniens in quo haereret, si bis terve lectum expedire non posset, ad eum non adhaerescebat, eum relinquebat, notabat, in aliud tempus reponebat, progrediebatur: mox ultro lux oboriebatur, vel simili in sequentibus oblato loco, vel per iteratam totius Scriptoris lectionem nexu accuratius perspecto. Si qui superessent loci neutrâ harum rationum patefacti, de his Hemsterhusium consulebat.

Annotandi consuetudo in eo est posita, ut locum quemque memoratu dignum, item verba dictaque excerpamus, certoque ordine in adversaria referamus. Fructus ejus multiplex est: primum, ut inventa ne perire sinamus, sed custodiamus, unde ea, postulante usu, facile expromamus: deinde, ut expeditior faciliorque quotidie fiat progressus, quum in promtu habemus prius animadversa, quibus revocandis eas, quae postea obveniunt, difficultates expediamus: tum, ut similium copiam exemplorum congeramus, quibus inter se comparandis et rerum rationem et linguae usum colligamus, quae observatio inductioque una

est

est verissima in his rebus via naturae et ingenii humani; denique, ut sub manu ac sensim congeratur ac digeratur sylva et apparatus omnis interpretationis, emendationis, et omnino grammaticae criticaeque doctrinae. Ruhnkenius cum ex veteribus Scriptoribus, tum ex recentioribus eorum interpretibus, Criticis, Grammaticis, Antiquariis, omnibusque omnino hujus argumenti libris, quos omnes et cognoverat et perlegerat: ex his igitur verba dictionesque et quidquid ad grammaticam rationem pertineret, suis locis adscribebat, Graeca in Scapulae Lexico, Latina in Fabri Thesauro: utriusque exemplum, interjecta quibusvis paginis purâ charta ligatum, in hos usus ad manum habebat: res quae ad Historiam, Antiquitates, aliasve doctrinas referrentur, in compendio cujusque argumenti edito, aut, si hujusmodi editum compendium non haberet, in peculiaribus adversariorum libellis annotabat.

Quantam illa annotandi consuetudo vim habeat, et quantum per eam vir viro praestet, facile est attendentem intelligere. Quis neget magnos fuisse viros Gesnerum et Ernestum, doctrinae praestantia et varietate, judicandi facultate, scribendi laude? ut eorum in disserendo miramur diligentiam, copiam, subtilitatem, elegantiam, prudentiam, ita in animadversionibus ad Scriptores antiquos, in primis Graecos, veluti Gesneri ad Lucianum et Orpheum, Ernesti ad Homerum, Xenophontem, Callimachum; quamquam ne illas quidem disseren-

di

di judicandique dotes desideramus, easdem tamen copiarum et apparatus penuria obscurari labefactarique videmus: quam sunt illi viri, et sui quisque, et magis etiam Hemsterhusii, Valckenarii, Ruhnkenii, similiumque virorum dissimiles. Nimirum interpretatio est res non modo subtilitatis, sed etiam testimonii: et omnis judicandi subtilitas, vana est et fluctuat, nisi tamquam fundamento nitatur copia doctrinae eaque praesente et parata; ut testes, quorum auctoritate sententiam tuam tamquam in judicio probes, producantur et excitentur; quippe aliter probatio, atque adeo interpretationis munus ac finis, exstare nullo modo potest. Jam vero, in Scriptore edendo quot sunt animadversiones, tot sunt caussae et quaestiones, quarum cujusque probatio suis sibi et argumentis et testibus continetur; ut testium fere innumerabili multitudine opus sit, tanta certe quae non nisi assidua et propemodum infinita lectione colligi queat. Quid igitur? an Gesnerus et Ernestus antiquos Scriptores non assidue legebant? Vero, assidue legebant: sed parum annotabant, forte aliarum occupationum multitudine impediti: et ad plerasque etiam Scriptorum editiones faciendas subito et imparati accedebant. Et reperiemus fere, ingeniosos quamvis ac doctos homines, sed in annotando et congerendis adversariis negligentes, infelices in emendando esse conjectores et hebetes. Scilicet, haec facultas maxime proculditur et acuitur multo usu et linguae consuetudine, quam

te-

tenere nemo potest, nisi qui multum legit, nec id effluere sivit, sed omnia et notavit et notata saepe inter se comparavit.

Caeterum Ruhnkenius, eodem auctore Hemsterhusio, in Scriptoribus legendis ita versabatur, non ut omnibus aequalem, sed ut nonnullis praecipuam tribueret operam; ut singulis deinceps locis, non solum difficilibus, sed intellectis etiam sua opinione ac facilibus, criticam diligentiam adhiberet; ut quaereret, quo quidquid pertineret, quid verum, sanum, germanum, secusve esset, obscura illustraret, corrupta emendaret, spuria argueret. Hoc ad multas utilitates consilium spectabat. Nam ita, in legendo excitabatur animus, ut numquam dormitaret, et vigilans ubique aciem intenderet suspicacem et perspicacem in detegendis interpolatorum fraudibus et librariorum erroribus: ita, ingenium exercebatur ad criticam, cui natum erat, facultatem: ita, paulatim colligebatur materia conscribendi libelli, quo doctrinam adolescentiamque suam ad publicam notitiam, munerisque adeptionem, commendaret: ita denique alebatur annotandi studium, quod saepe refrigescit, quum non nisi universe adversaria instruimus ad incertum et longinquum doctrinae ex iis expromendae tempus; contra, augetur et incenditur proposito opere mox in publicum emittendo. Hanc operam in quibus poneret, Scriptores elegit sibi Ruhnkenius eos quos primos legerat, Homerum, Hesiodum, Callimachum, Apollonium Rhodium: ejusque

que operae fructum, sexto posteaquam in Hemsterhusii disciplinam venerat anno, quadragesimo nono hujus saeculi, prodidit duabus Epistolis Criticis: altera de Homero et Hesiodo, ad Valckenarium, novum amicum, Hemsterhusii discipulum, alterum ab illo nostra aetate memoriaque Graecarum Literarum principem: altera de Callimacho et Apollonio Rhodio, biennio postea, ad Ernestum, veterem amicum, elegantis doctrinae cum Graecae, tum in primis Latinae, cum Gesnero in Germania primas tenentem. Utriusque Epistolae argumentum congruebat cum eorum, ad quos scriptae erant, studiis. Nam et Ernestus meditabatur novam Callimachi editionem: et Valckenarius versabatur in Homero ad criticam rationem exigendo et poliendo, cujus studii exstat specimen in Iliadis libro vigesimo secundo, qui separatim ab eo editus est. Ruhnkenius majoribus Homeri carminibus critice tractandis aliud tempus destinabat: tunc Hymnos argumentum Epistolae sumebat; quod criticae facultati ampliorem promtioremque materiam praebere viderentur. Utraque non solum in iis, quos titulus profitebatur, sed in aliis quibusvis versabatur Scriptoribus Graecis, Epigrammatibus, Orphicis carminibus, Hesychio et caeteris Lexicographis. In utraque, ut primo Ruhnkenii critico opere, adolescentis ingenium, tamquam Phidiae signum (23), simul adspectum et probatum est. Tan-

(23) Cicero Brut. 64.

Tanta erat doctrinae ubertas, tanta interioris et exquisitae scientia Graecae linguae, ducta illa cum ex accurata grammaticae rationis et originum intelligentia, tum è continua Scriptorum lectione, tum ex assiduo Lexicorum, Hesychii, Suidae, Etymologi, Pollucis, aliorumque omnium et Grammaticorum et Scholiastarum usu; ut in iis nil tam abditum et obliteratum, nullum tam reconditum esset latibulum, quod ejus aciem effugeret: tanta erat indagandi sagacitas, judicandi subtilitas, inveniendi solertia; ut spurios quosque et corruptos locos, cum animadverteret celerrime, tum emendaret felicissime. Quibus dotibus ut aequabat principes Criticos, ita eosdem propria quadam dote superabat ea, quod ipsius ratio et oratio integra et immunis esset ab illa non modo scribentium, sed omnino doctorum hominum, labe, quam paucissimi, quos aequus amavit Jupiter, vitare possunt, quam Graeci τὸ Φορτικὸν, Latini *molestum*, credo, vocant; quo significatur quidquid nimis est quaesitum, coactum, affectatum, frigidum, tortuosum, implicatum, ingratum: quorum in aliquam partem quis non aliquando incidit scribens? Ruhnkenii scriptio ab ipsa natura ad elegantiam facta formataque erat: per totam diffusus quidam et perspicuitatis candor et antiquae venustatis vigor, Ruhnkeniani ingenii felicitatem, facilitatem, simplicitatem, prorsus et referebat et exprimebat.

Sed, ut quis miretur tantam doctrinae copiam fa-

facultatemque tam brevi tempore potuisse comparari, ita magis etiam miretur, si cogitet quantopere illud tempus aliis curis negotiisque distractum occupatumque fuerit. Nam interea amantissimo ipsius viro, Joanni Albertio, Theologo inter Batavos Graece doctissimo, in ornanda expoliendaque Hesychii editione haud contemnendam praestabat operam: eumdem gravi morbo afflictum, restituendae valitudini fontes Spadanos petentem, eo comitatus est, medio inter utriusque Epistolae editionem anno, hujus saeculi quinquagesimo. Porro cum suo ipse nomine, tum amicorum consuetudine, et alumni, cujus studia regebat, caussâ, in multorum, etiam illustrium, hominum familiaritatem amicitiamque pervenerat: quam ut retineret, eorum ipse et domus frequentare, et voluntatem observare, et studiis obsequi, debebat. Ergo magnam temporis partem auferebant salutationes, congressus, convivia, rusticationes, aliaque hujusmodi officia. Attamen, qua erat naturae facilitate, haec incommoda ad Literarum suarum studiorumque commoda referebat: et cum alios percepit istiusmodi vitae fructus, tum duos in primis hos: alterum, ut assuesceret subsecivas horas captare, Literisque eas tribuere, ac tantum subito et ex impetu efficere quantum alii ex praeparato ac meditato: alterum, ut corpus animumque à studiorum intentione aliorumque negotiorum satietate recrearet ambulatione, motu, cursu, in primis venatione, atque ita na-

turale robur sanitatemque firmaret. Denique accedebat Jurisprudentiae studium, cui non solum communiter cum alumno et contubernali suo operam dabat ventitando quotidie in scholas Professorum, traditisque domi commentando, sed suo ipse consilio peculiarem laborem diligentiamque impendebat. Hoc illud est, quod in Epistola ad Valckenarium scribit: *Nam etsi nemini elegantiorum literarum amore concedimus, Jurisprudentiae tamen studium latissime patens, tantum sibi temporis vindicat, ut, si horis subsecivis animum reficere Poëtarum lectione liceat, valde nobis beati videamur.* Hujus studii quod fuerit consilium, quae ratio, paucis declarandum videtur.

Nam Hemsterhusius, quo magis Ruhnkenii evolabat ingenium famaque crescebat, et quo magis ipse eum diligebat, eo magis metuebat ne, oblata ei apud exteros cathedra, Bataviam relinqueret, nisi arctiore ad eam honesti luculentique muneris vinculo adstringeretur: neque tamen impetrandae ei Literarum cathedrae spem facultatemque satis propinquam expeditamque videbat, propter excellentium in eo genere hominum copiam. Et erat sane illo tempore rara quaedam Batavae terrae in his Literis felicitas, uberiorque doctorum virorum proventus, quorum aetas in Ruhnkenii adolescentiam incideret. Nam, ut omittam inferiores classes, nec nisi primarum classium literatos nominem: erat primum in hac ipsa Academia Lugdunobatava, veluti quadam sapientiae arce, omnium

um princeps et horum sacrorum quasi antistes, Hemsterhusius: erat, in altera Literarum cathedra, illius collega Oudendorpius: erat Theologus rara Graecarum Literarum scientia, Albertius. Trajecti modo fuerant Drakenborchius et Dukerus, quibus succedebant Wesselingius et Saxius. Amstelodamum habebat Dorvillium: Franequera Valckenarium, Burmannum Secundum, mox Schraderum: Groninga Lennepium: in Valckenarii schola jam succrescebat Piersonus, cui instabat Koenius. Porro clari erant Literarum scientia, Jureconsulti Röverus et Bondamus; Medici, Bernardus et Heringa: denique Gymnasiorum Rectores, Zwollani Abreschius, Delphensis Hoogeveenius, Graecae linguae grammatica scientia insignes. Horum nemo non in suo genere excelluit, nemo non apud exteros doctrinae fama clarus fuit. Sed cum universae eruditionis, tum Graecarum Literarum et criticae facultatis, habita ratione, principatus erat apud triumviros illos, Hemsterhusium, Wesselingium, Valckenarium: quibus jam, omnium consensu, quartus, quamvis adolescens, adjungebatur Ruhnkenius. Quis vero non miretur tot tantorumque Literis praestantium hominum, una aetate, uno eodemque parvo Batavorum in populo, proventum, quot quantorumque ne totus quidem reliquus terrarum orbis numerum habebat? Et ab illa copia si ad praesentem inopiam respiciamus, quamnam hujus calamitatis caussam esse dicamus? temporumne adversitatem,

an hominum perversitatem? Equidem potius hominum perversitatem dixerim, et frequentem in adolescentia Deae Ignaviae cultum. Sed nolo nunc istud vulnus aperire, in recente praesertim Ruhnkenii desiderio: quod magis omni ratione consolandum, quam novarum cogitatione miseriarum exasperandum est. Quare animum à praesente orbitate ad laetiora tempora adolescentis ac florentis Ruhnkenii convertamus, Deum immortalem precantes, ut cum pristino reliquarum laudum fructu, hanc etiam Literarum laudem Batavo populo restituat.

Ergo Hemsterhusius Ruhnkenium hortabatur, ut aliquid temporis Jurisprudentiae daret, eique aliquando è cathedra docendae idoneum se redderet. Habuerat Hemsterhusius Franequerae in eodem genere discipulum Arnaldum, à Literis ad Jurisprudentiam profectum, immatura morte his terris ereptum, et funebri ab ipso oratione laudatum: hujus rationem Ruhnkenium sequi volebat. Habebat Ernestus disciplinae alumnum Bachium, elegantissimae juvenem doctrinae, insigne decus Jurisprudentiae, veteres Cujacios et Gothofredos relaturum, nisi longiorem ei vitam fata invidissent. De Ruhnkenio longe majus quid ampliusque exspectabat Hemsterhusius, quo majore ille interiorum Literarum copia abundaret, quoque majore earum usu subactum haberet judicium. Itaque Ruhnkenius vetus Jurisprudentiae studium, in Ritteri scholis inchoatum, longo intervallo inter-

termissum repetivit, atque effecit ut proximo ab edita altera Epistola Critica anno, hujus saeculi quinquagesimo secundo, progessuum suorum specimen ad publicam notitiam proderet, *Thalelaei, Theodori, Stephani, Cyrilli, Commentarios Graecos in Titulum Codicis et Digestorum de postulando, sive de Advocatis et Procuratoribus*, Latina interpretatione ac doctis animadversionibus illustratos. Quo specimine quum et Hemsterhusii consilio satisfecisset, et eruditissimis adeo judicibus scientiam probasset suam, statuit Jurisprudentiae studium denuo intermittere, et interea, dum forte illius docendae munus offerretur, Graecis rursus Musis operari, earumque alio ac novo in argumento nomen suum immortalitati consecrare.

Nam quum Epistolarum Criticarum ei materia fuissent principes Poëtae; novae sibi scriptionis argumentum elegit principem prosae orationis, Philosophorum Deum, Platonem. Hujus cognitionem quum pauci adhuc attigissent Literati, eamque fere, ut vacuam possessionem, Philosophis relinquerent, et ipsis eam cum infrequenter colentibus, tum illiberaliter et inficete ac sine Graecarum scientia literarum tractantibus, ut auctoris sententiam ad ineptissimum quodque commentum detorquerent, et à germano veri pulcrique sensu ad scholasticas nugas converterent; Ruhnkenius ad veram grammaticam interpretationem, solam certae intelligentiae effectricem, primus et signum

sustulit, et viam patefecit, patefactamque illustravit, edito eruditissimisque commentariis ornato explicitoque Timaei Lexico Vocum Platonicarum. Cujus libri editionisque materia, vis, usus, praestantia quo accuratius cognoscatur, operae pretium est, ejus rei rationem a principio repetere.

E Graecis Scriptoribus, Poëtis, Historicis, Philosophis, Oratoribus, principes ingeniorum censentur, cum aetate, quae ab Homero ad finem fere primi post Alexandrum Macedonem saeculi fuit: tum auctoritate, quam obtinuerunt apud posteriores, qui se ad illorum exemplum composuerunt, eorumque scripta ad aliorum intelligentiam interpretati sunt. Interpretandi varia fuerunt genera: unum quidem omnibus commune interpretibus, quod refertur ad scientiam materiae in qua versatur auctor; veluti Philosophi interpres, ignarus Philosophiae, aut Medici interpres, Medicinae imperitus, nemo esse potest. Alia fuerunt genera diversa modo et argumento. Rhetores eloquentiae artificium explicabant. Grammatici verba obsoleta ex linguae scientia, res obscuras ex Historiae et Antiquitatis cognitione illustrabant, Critici utrumque munus et Rhetorum et Grammaticorum complectebantur, ac tertium propriumque assumebant munus judicandi qui liber locusque germanus cujusque Auctoris spuriusve, qui sanus mendosusve esset; ut spurium confutarent, mendosum emendarent: porro, principum Scriptorum censuram agebant, et classes constituebant

co-

eorum qui tamquam scribendi cogitandique normae et exempla auctoritatem haberent; quibus inde Auctorum classicorum nomen venit. Criticorum primarii et aetate et fama celebrantur Zenodotus, Aristophanes Byzantius, Aristarchus, Crates, quorum non nisi levia supersunt fragmenta: et quorum libri servati hoc genus vel attingunt, vel complectuntur, Aristoteles, Dionysius Halicarnassensis, Athenaeus, Longinus, Porphyrius: eruditissimi homines, qui et multiplicem Auctorum doctrinam materiamque perceptam haberent, et Rhetoricam Grammaticamque tenerent. Sed quo solo Rhetoricae munere contenti, laudabiliter eo fungerentur, laudataque scripta relinquerent, fere sunt Hermogenes, Aristides, Theon, Demetrius, alii non quidem contemnendi, nec tamen cum his doctrinae praestantia comparandi. Sunt vero etiam quidam levis et nullius fere momenti, qui non nisi Dialecticae abusu loquacem jejunitatem sequuntur in definiendis generibus et caussis, meri Scriptores de Arte, uti vocantur, τεχνόγραφοι, ab omni aliarum Literarum suavitate nudi et vacui. In eadem tenuitate et levitate permulti sunt Grammatici: at vero plures etiam exstant egregie docti, maximaeque ad interiorem linguae Literarumque cognitionem utilitatis. Horum alii orationis elementa et compositionem, naturae observatione et vera dialectica ratione explicant, veluti Apollonius Dyscolus, et Dionysius Thrax: aliorum opera continentur Lexicis, veluti Pollu-

cis, Hesychii, Suidae, Etymologi, Harpocrationis, Ammonii, minorum item quorumdam: aliorum, scholiis ad Auctores, maxime Byzantino aevo compilatis ex commentariis Grammaticorum nunc perditis. Sed et Rhetor et Grammaticus ita quisque nobis majoris pretii aestimandus est, ut et artis rationem magis tenet, et in primis ut frequentior est in memorandis cum rebus ex Historia et Antiquitate non aliunde cognitis, tum locis et notitiis Scriptorum perditorum. Ita enim se res habet, ut, quo plures per illam medii aevi barbariem perierunt boni libri, eo majore cum cura ex hoc tamquam naufragio tabulas colligere debeamus. Igitur inde à renatis Literis multa inedita paulatim prolata sunt, ut nil jam superesse videretur. Ruhnkenius cum alia ex bibliothecarum latebris protraxit egregia, tum Grammaticorum ingentem vim; è quibus tot tamque praeclaras doctrinae notitias ac reliquias in lucem exspromsit, quot quantasque eorum quidem, qui hoc et superiore seculo fuerunt, hominum novimus neminem.

Timaei hic libellus est ex genere mere grammatico. Neque enim Philosophiam attingit, aut voces Platonicae proprias doctrinae persequitur: neque cum Critica ratione conjunctum habet munus, ut de librorum auctoritate locorumve germana scriptura judicetur: neque cum Rhetorica, ut compositio artificiumque orationis aperiatur. Est Lexicon breve vocabulorum dictionumque rariorum

rum et exquisitiorum, quae grammatice explicantur, idque breviter, nullo cum eruditionis apparatu, nullis aliorum Scriptorum testimoniis: accurate tamen et diligenter, utiliter item ad multorum locorum cum intelligentiam aperiundam, tum veram lectionem constituendam. Credibile est, pleniorem amplioremque, quam ut nunc fertur, a Timaeo editum fuisse librum, ac postea ab aliis ad hanc brevitatem redactum. Interpolatoris quoque manus apparet, cum aliis in locis, tum in additis frequenter glossis Herodoteis. Ejus libelli exemplum exstabat in Bibliotheca Coisliniana, unde eum in opere hoc ipso nomine Bibliothecae Coislinianae insignito ediderat B. Montfauconus (24); et Ruhnkenius qui ejus seorsim edendi consilium agitabat, accuratius ex ipso vetere codice descriptum exemplum nanciscebatur beneficio Gallyi, Canonici Norvicensis, quocum ad fontes Spadanos notitiam amicitiamque contraxerat, cujusque nomini item postea Timaei editionem inscripsit.

Hunc igitur libellum Hemsterhusius et dignum censebat qui peculiari editione ornaretur, et idoneum in quo ornando doctus editor doctior etiam fieret. Nam cum semper, ut diximus, judicabat, studium excerpendi annotandique in juvenibus, ne hebesceret, retinendum alendumque esse proposito

(24) Titulus libri est, *Bibliotheca Coisliniana, olim Segueriana* — Parisiis 1715.

to certo alicujus libri edendi consilio: tum huic edendi consilio in primis accommodatos esse libros grammatici argumenti arbitrabatur. Ita Valckenarius adolescens tractaverat Ammonium de Differentiis Vocabulorum, ut et egregiae fundamenta doctrinae jaceret, et eruditissimis animadversionibus conscribendis immortalem nominis famam consequeretur. Ita postea pari, aut simili certe, fructu, Piersonus Moeridem Atticistam, Bernardus Thomam Magistrum, Koenius Corinthum de Dialectis, ornaverunt: eamdemque operam Glossariis Hippocrateis destinaverat Heringa. Est autem hujusmodi negotium, ut per ejus rite tractandi tamquam gradus adolescens, cui quidem nec ingenium nec studium desit, ad insignem doctrinae facultatem adscendere possit. Primum, libellus edendus debet conferri cum aliis omnibus Grammaticis, ut appareat quis alterum secutus sit, quid ab eo habeat ac retinuerit, sive omiserit, sive addiderit, quomodo alter ex altero supplendus, interpretandus, corrigendus sit. Quod ut utilissimam habet ingenii exercitationem, ita tenue et exile est cum ad editionis laudem, tum ad editoris in doctrina progressum. Alterum est majus negotii hujus officium, accurata Scriptorum lectio, cujus et necessitatem imponit, et jucundissimum invitamentum, et acerrimum incitamentum, adhibet probe administrandae editionis munus. Nam lectio optimorum Scriptorum cum per se sit suavissima, tum suavitatis ei quasi cumulum adjicit inventio nova-

rum

rum rerum, quibus propositum opus ornetur et locupletetur; quum inter legendum continuo incidimus in voces, dictiones, historias, in libro à nobis edendo item proditas: quum similium multorum comparatione locorum, vim usumque verborum dictionumque constituimus, corrupta sanitati restituimus, ignotarum parumve cognitarum ex omni Historia et Antiquitate rerum reliquiarumque notitiam patefacimus: quae omnia per accuratam lectionem et annotationem sponte ac sub manu nascuntur. Ruhnkenii Timaeus non modo insignibus et absolutissimis ab illius ingenio doctrinaque adfluentibus copiis ornatus prodiit: sed peculiarem etiam ac praecipuam habuit accessionem suavitatis, cum ab ipsius editoris indole, consuetudine, et facultate, tum à libri argumento, profectae. Argumentum versatur in Platonis dictione, quae ab omni aevo et nominata et habita est divina; quippe ita et verborum delectu et compositionis ratione formata, omnibusque eloquentiae luminibus distincta; ut triplicem illam orationis dotem, perspicuitatem in docendo, venustatem in delectando, gravitatem in commovendo, unus omnium in tota antiquitate maxime tenuerit, et unum apud posteros hujus laudis socium habuerit Ciceronem. Et prouti Latinos, qui post Ciceronem fuerunt, Scriptores, nisi lecto Cicerone, recte intelligere nemo potest: aut, ut exemplo magis ad popularem captum accommodato utar, prouti Patrem Ecclesiasticum nemo intelligit, nisi qui sacros libros

in numerato habeat, propterea quod eorum dicta et verba in Patribus utramque, ut ita dicam, paginam faciunt: ita Graeci classici Auctores apud posteros omnis liberalis institutionis fuerunt initium et fundamentum, eorum lectione omnes ingenui liberales homines à teneris, cum domi, tum in Grammaticorum et Rhetorum scholis imbuebantur, ut dictiones verbaque illorum Auctorum per omnem omnis aetatis et loquendi et scribendi consuetudinem late paterent ac dominarentur et ex illorum scriptis, tamquam fontibus, rivulos ducerent omnes posteri Scriptores, orationemque inde suam quasi irrigarent. In hujus auctoritatis societatem cum omnes venerunt classici, qui dicuntur, Auctores, tum ejus quasi possessionem nonnulli prae caeteris obtinuerunt, maxime princeps omnium Homerus, ad quem ex Poëtis proxime accedunt Hesiodus, Euripides, Menander: prosaici Herodotus, Thucydides, Xenophon, Demosthenes, et maxime omnium, tamquam aliquis inter prosae Scriptores Homerus, atque adeo inter Philosophos Deus, Plato. Hunc posteri omnes et Graeci et Latini, non modo Platonici, sed caeteri Philosophi, Peripatetici et Stoici, nec modo Philosophi, sed alii omnes omni in genere Scriptores, Rhetores, Oratores, et Ecclesiae adeo Patres ii, quibus quidem aliquod esset cum humanitate commercium: hunc igitur omnes posteri, ut quisque bene scribendi maxime esset studiosus, ita maxime et lectitarunt et imitando

ex-

expresserunt. Porro in Ruhnkenio admirabilis erat quaedam ad omnem interpretationis virtutem indoles; non solum ut copiis ad confirmandum, subtilitate ad judicandum, ingenio ad inveniendum, valeret: sed etiam ut collectum his facultatibus apparatum cum perspicuitate, ordine, ac delectu explicaret, et insigni prorsus et ad rem accommodata orationis elegantia ac venustate ornaret et quasi laetificaret. Quibus in dotibus singulis quum excellere magnum sit; qui in universis excelleret, et cum criticis ingenii doctrinaeque copiis ac divitiis tantis, tantam Latinae orationis scientiam, facultatem, castitatem, et nativam veluti gratiam conjungeret, recentiore aetate, quod quidem sciam, nemo exstitit. Ad has editoris dotes quum accederet Platonici argumenti suavitas, prodiit Timaeus ita ornatus ac dotatus, ut, quamvis parvus volumine, tamen doctrinae cum pondere et praestantia, tum nitore ac lumine, vere aureus et esset et haberetur. Ac principio quidem, in praefatione Ruhnkenius omnem argumenti caussam, Platonicae orationis vim et auctoritatem, veterum ejus interpretum et Grammaticorum usum rationemque ita patefecit, ut legentes tamquam per lucidum atrium in religiosissimum templum introducere videretur. Deinde, in ipso libro quot sunt animadversiones, tot sunt disputationes suis numeris absolutae, ratione ac via ab idoneo initio ad idoneum exitum deductae. Nam primum glossae cujusque scriptura constituitur consensu aliorum Gram-

Grammaticorum: tum loci Platonis, ad quos glossa spectat, apponuntur, quorum nullus fere non insigne, vel sapientiae, vel venustatis lumen habet: porro, qui hos locos vel verbo, vel sententia, imitati sunt, et varii varie è Platonico exemplo simulacra expresserunt, ordine recensentur Scriptores: quae res una in primis jucundam legenti habet cognitionem, ex loco Platonico veluti sapientiae arce conspicienti posteros Scriptores ad eamdem arcem partim enitentes, partim evolantes: quorum et invicem et cum Platone comparatione, plurimi et hujus et illorum loci illustrantur et emendantur: nullus non ex tota Graeca Latinaque antiquitate Scriptor pertractatus, nullus non recentior de his Literis probabilis quidem criticus liber perlectus, suo quisque loco opportune memoratur: subinde ineditorum veterum Grammaticorum praestantes exquisita doctrina notae expromuntur: est etiam ubi ad simile argumentum digressio fit, non illa quaesita et captata, sed ultro ac sponte oblata: ubique apparet animus praesenti operi intentus, nil sibi intermissionis ad vagandum indulgens, summam temporis ac brevitatis rationem ducens. Igitur nil nisi novum et nemini antea dictum profertur: si quid eorum, quae ad rem pertinerent, jam ab aliis recentiorum hominum doctorum animadversum proditumque esset, paucissimis verbis, non nisi nominato auctoris nomine, significataque libri pagina, monetur. Ita doctrinae severitas temperatur suavitate rationis, ut dubi-

tes

tes jucundioremne an fructuosiorem libri lectionem dicas: ita modus cum copia componitur, ut non dubites affirmare, nullum esse umquam hoc in genere scriptum librum, qui tanta in brevitate tantam praestantissimarum rerum copiam complecteretur. Hoc ipsum aliquando dicere me memini Kulenkampio, Goettingensi Professori, docto sane homini et librorum callentissimo: qui, *At parvus est*, inquit, *Timaei libellus:* cui ego, *Atqui*, inquam, *si decies maior fuisset, Ruhnkenio non deerant copiae ad eum eodem modo ornandum.* Et hoc dicebam, Ruhnkenio adhuc ignotus, nondum praesens praesentem cognoscens. Sed item quosdam de Hemsterhusio judicantes audivi cum dicerent, eum Luciani editionem deposuisse, quod jam omnem animadversionum materiam consumsisset, nec haberet unde caeteros Scriptoris libros eadem copia ornaret. Enimvero, qui harum rerum usum habent, vel ex quavis una animadversione Hemsterhusii, Valckenarii, Ruhnkenii, et similium virorum, facile intelligat, eos quantasvis et longas et praestantes animadversiones scribere potuisse: et quominus plura scriberent, tempus, locum, occasionem, voluntatem, et quidvis potius quam copiarum abundantiam, iis defuisse. Copiae quotidie legendo affluunt et et augentur: ad scribendum, laboris patientia, studii intentio, ardoris impetus, progressu aetatis minuitur; itaque fit, ut materiae faber, non ut fabro materia desit. Rectius mihi conveniebat

cum

cum Brunckio: apud quem quum aliquando essem, isque Timaeum Ruhnkenianum, qui forte in promtu erat, in manus sumens, diceret, *Hic est unus in tota Literatura Graeca libellus simul et brevissimus et doctissimus! Recte*, inquam, *ais: hoc semper et ipso dico, et nunc dicere me volentem occupasti.* Quo magis miror doctum quemdam virum Lipsiensem chartae pepercisse, minime ceteroquin ejus parcum, qui Timaeum et Moeridem nova editione repetiit, omissis Ruhnkenii et Piersoni animadversionibus, in quibus maxime et praecipue illorum Grammaticorum posita est utilitas et commendatio. Ruhnkenius quidem hac in Timaeo navanda opera, praeter animadversiones in ipso libro proditas, tantum doctrinae apparatum collegit, qui instruendae novae Platonis editioni sufficeret: idque et tunc jam cepit consilium, et postea magis distulit quam abjecit, et perfecisset, nisi deinceps aliae ex aliis scriptiones, denique senectus, supervenissent.

Quantam apud me vim ad progrediendum proficiendumque habuerit Ruhnkenii Timaeus, infra narrabo. Valuit vero ejus cognitio et auctoritas apud multos ad Platonem legendum: certe ab eo tempore ejus dialogi apud exteros, in primis Germanos et Britannos, editionibus celebrari coeperunt. Et, ne hoc praeteream, Ruhnkenii exemplo ad studium Platonis adductus est Hemsterhusii filius Franciscus, et ita ad Philosophi rationem suum ipse ingenium conformavit, ita in li-

bel-

vellis, quos de Philosophia deinde scripsit Francica lingua, Metaphysices abstrusissima argumenta suaviter ac dilucide exposuit; ut cum dubites subtilitatemne an Socraticam nativam venustatem magis mireris, certe Platonem ipsum Francice disserentem tibi audire videaris. Quam rationem adhuc in Germania elegantissimi quique tenuerunt philosophi, Mendelssohni, Sultzeri, alii; et eamdem profecto repetent seque ipsi ex verborum obscuritate et involucris ad popularem captum et Socraticam perspicuitatem explicabunt novissimi illi doctrinae à Regiomontano Ruhnkenii condiscipulo proditae sequaces; si quidem Philosophia ad communem humani generis utilitatem intelligentiamque spectat, nec ejus studiosi magis verbis quam rebus fidunt.

Edito Timaeo, Ruhnkenius jam ita et doctrina perfectus, et doctrinae fama clarus erat, ut accessioni nullus superesse locus videretur. Et jam decem annos in Batavia degerat, et cum tantarum laudum commendatione adhuc erat privatus, necdum ad publicum docendi munus provectus. Atqui ita acciderat, ipso partim volente, partim non nolente. Subinde eum veteres amici, Ritterus, Bergerus, Ernestus, per literas monebant, habere se opportunitatem impetrandi ei muneris professorii in Germania, et, modo ipse vellet, in promtu esse ejus muneris adeptionem. Sane, accipienda tali conditione melius, quam postea fecit, rationibus suis et futurae rei familiari consu-

luisset. At ista eum cura nondum tangebat. Multis Batavae terrae suavitatibus captus, et sua ipse natura cum hominum ingeniis mirifice congruens, perpetuo in ea manere constituerat. Principio, eum ceperat ille libertatis sensus, qui omnibus non obesae naris hominibus recens in hanc è vicina regione ingressis continuo, veluti quidam sanitatis odor, occurrit, et progressis apparet paulatim per omnes vitae partes civiumque ordines diffusus. Porro, vehementer mores Batavorum amabat: quos, ut ipse ajebat, cum sortis tum indolis felicitas tam à servili potentiorum adulatione, quam à superbo inferiorum contemtu aversos, à vanorum item titulorum ambitione alienos fecisset, contra ad generosam et civilem animorum aequalitatem conformasset. Ad hanc rationem ita adsueverat Ruhnkenius, ut in patriam redux ipse veluti novus ac recens in ea peregrinaturus, nec magis ipse illi, quam illa ipsi, amplius placere posse, videretur. Tum vero propter illas, de quibus diximus, dotes facilitatis et candoris, et morum sensuumque cum Batavis congruentiam, his omnibus, summis infimis, jucundus acceptusque erat: hi et hortabantur eum ut in Batavia maneret, et optabant ut intra breve tempus in cathedra Academica poneretur. Hemsterhusius ei Lugdunensem alterutram, vel Graecarum vel Latinarum, Literarum cathedram dudum destinaverat: sed in neutra succedere poterat Ruhnkenius, manentibus, qui eas tenebant,

ipso

ipso Hemsterhusio et Oudendorpio. Erant alia item publica docendi munera, quae Ruhnkenio subinde offerrentur. Puerili aetati Latinis Graecisque Literis imbuendae unaquaeque fere, paulo certe frequentior, in Batavia urbs habet gymnasium, scholam Latinam vulgo vocant, cui praeest Rector, sub eoque Conrector, plerumque etiam Praeceptor ac plures adeo subinde. Multa sunt Rectorum munera, quae luculentiore reditu fruantur plerisque Academicis Literarum cathedris: sed habent adjunctam necessitatem recipiundorum in contubernium et convictum discipulorum, eorum quidem qui statutis conditionibus uti velint; unde Rectori alia exsistit necessitas, matrimonii, vel certe instruendae alendaeque familiae. Conrectores ac Praeceptores minus quidem quaestuosa sunt conditione, at non obstricti illis necessitatibus solutiorem habent ad alia negotia rationem, et plus otii ad sua sibi Literarum studia colenda. Sane scholastica illa magisteria futuris etiam Professoribus cum honestissimam exspectandi stationem, tum idoneum instituendi tirocinium et praebent, et saepe praebuerunt. Hujusmodi nil placebat Ruhnkenio. Placebat adhuc, ut antea, singularis praefectura adolescentis quocum Lugduni aut in vicinia degeret; quo majorem adeundi Hemsterhusii sui faciliioremque copiam haberet. Praeterea, quo minus se stabili muneri alligaret, haec etiam accedebat caussa, quod mira dudum peregrinandi cupiditas eum ceperat lustran-

darumque celebriorum per Europam bibliothecarum, unde codicibus parum cognitis aut nondum editis, in lucem protrahendis Literas locupletaret.

Jam edito Timaeo, impatiens morae, propositi hujus perficiendi tempus porro differre noluit. Igitur proximo anno, (1755.) Lutetiam Parisiorum profectus est. Haec enim urbium ex eo genere et proxima erat, et magis quam omnes aliae abundans locupletissimis bibliothecis: quarum è numero duae in primis erant frequentissimae instructissimaeque antiquis codicibus scriptis: altera, cognomine *Regia:* altera *Sancti Germani in Pratis* (25), Benedictinorum è congregatione Sancti Mauri. Utramque è Catalogis ita jam cognitam perspectamque habebat Ruhnkenius, ac si in ea habitaret. Regiae bibliothecae, multo etiam quam altera ditioris ac refertioris, scriptis codicibus praefectus erat Capperonnerius, qui in plerisque eorum excerpendis aut describendis utilem jam operam navaverat Hemsterhusio, Dorvillio, Albertio, ipsi Ruhnkenio, aliis item. Is oblatam gratiae loco pecuniam solebat, ut illiberalem mercedem, spernere ac recusare, operaeque suae pretium aestimare certo bonorum librorum numero, in primis exemplorum ex optimis recentissimisque Veterum Auctorum editionibus, veluti Livii Drakenborchiani, Virgilii Ovidiique et aliorum à Bur-

(25) Haec magnam ante paucos annos incendio calamitatem subiisse fertur.

Burmanno editorum, Aristophanis et Suidae Kusteriani, Josephi Haverkampiani, Diodori Siculi Wesselingiani, et nullorum non Scriptorum Graecorum ac Latinorum: visus putare hos libros doctis Batavis sponte et gratis venire, nec gravi aere è bibliopoliis emenda esse. Erat vero illud librorum sive pretium sive donum, ut accipienti honestius quam parata pecunia, ita danti molestius multo et gravius. Neque tamen haec fuit Ruhnkenio caussa quare Lutetiam ire operamque ipse facere vellet; nam erat ad sumtus hujusmodi, si quis alius, paratus ac solutus: et illa Capperonnerii conditione, ut antea, postea redux in Bataviam, usus est. Volebat externas regiones visere, bibliothecas lustrare, et primum omnium Lutetiam excurrere; cum ut veteres illos libros suis ipse et oculis cerneret, et manibus tractaret, tum ut illum populum, terram, urbem, cognosceret. Quo quum venisset, non minus, quam antea absens, tunc praesens benivolum officiosumque expertus est Capperonnerium; quippe qui ipsum non modo in familiaritatem reciperet, exemplaribus regiae bibliothecae libere uti, et, quo liberius commodiusque uteretur, auferre domum ea secum pateretur: sed reliquarum etiam eum praefectis bibliothecarum commendaret. Quod in primis utile Ruhnkenio fuit in Benedictinorum bibliotheca, cujus praefectus minus ad gratificandum facilis videbatur. Nam Capperonnerius Benedictinis, qui regiae bibliothecae libris frequen-

ter et opus haberent et uterentur, disertis verbis significavit, se in ejus usu ipsis commodando ita porro paratum fore, ut ipsos erga Ruhnkenium paratos fuisse cognovisset. Jam nil attinet narrare, quo impetu in has bibliothecas involaverit, ut longam quasi sitim restingueret et diu desideratis libris heluaretur. Qui ipsi aliquando in simili caussa fuerunt, et Ruhnkenii quae fuerit in appetendo vehementia norunt, haec vel tacentibus nobis intelligent: neutrius gnaris, quamvis multa narrantes, surdis fabulam narremus. Alios totos, alios partim descripsit, alios excerpsit, alios cum editis comparavit, variasque lectiones enotavit; nec modo eos, quos antea destinaverat, sed complures adeo de quibus non cogitaverat. Nam cum codicem quemque suis ipse manibus evolveret excuteretque, saepe longe aliud in eo reperiebat, quam id quod titulus profiteretur; saepe hoc ipsum, sed alia praeterea nec exspectata. Haec enim fere est Catalogorum conditio, ut vel optimi eorum confecti sint ab hominibus non indoctis quidem, nec tamen satis doctis et intelligentibus eum in finem, ut in codice quoque pervolutando animadverterent utrum unius omnia in eo essent Scriptoris, an diversorum: si unius, quot ejus partes, si diversorum, qui illi et quae cujusque scripta continerentur. Veluti, ut hoc utar, titulus profitetur Patrem aliquem Ecclesiasticum: sed insunt praeterea aliorum optimorumque Auctorum libri, Platonis, Xenophontis, simi-

milium, ita eadem manu describendo continuati, ut nullo notabili intervallo distinguantur. Ergo, titulo non credere, sed alia etiam quaerere, est hominis in codicibus scriptis tractandis versati: invenire autem ea, est majoris ingenii, et assidua Auctorum lectione ad eorum varietatem orationemque continuo sentiendam notandamque diu multumque exercitati. Hanc facultatem tenebat Ruhnkenius. Sed qui eam teneret bibliothecae praefectus, ecquis umquam fuit, excepto Isaaco Casaubono (26), Luca Holstenio (27), et ipso postea Lugdunobatavae praefecto Ruhnkenio? Sed horum, quod sciam, nemo ejus, cui praeerat, bibliothecae Catalogum edidit. Casaubonus ad breve tempus praefuit regiae Parisiensi: et aediculam, in qua is Literis operari solebat, subinde Ruhnkenio monstrarunt Parisienses quidam, qui pauci veterem venustatem retinerent, eoque ventitarent quasi salutatum manes herois de optimo hominum genere optime meriti.

An-

(26) Siquidem ad breve tempus fuit vel praefectus, vel custos, bibliothecae regiae. Vid. Ejus Epist. 256. ad Jos. Scaligerum.

(27) Vid. B. G. Struvii Introductio in Notitiam Rei Literariae p. 282. Mediceae quidem bibliothecae codices in catalogum redegit, quem ex Mstis Holstenii, medio fere hoc saeculo, edidit Lilienthalius: ut Colerus notavit ad Struvii librum p. 291. editionis J. Chr. Fischeri Lips. 1754.

Annum Lutetiae transegit Ruhnkenius: et incredibile est dictu, quot tam brevi spatio descripserit ineditos Grammaticos, Scholiastas, Rhetores: quot item contulerit editos Scriptores cum codicibus scriptis, Homerum, Hesiodum, Callimachum, Apollonium Rhodium, Orpheum, Platonem, Xenophontem, Athenaeum, Philostratum, Alciphronem, alios quos enumerare longum sit. Quorum omnium excerpta et apographa, ex multis illa aliis Europae bibliothecis aucta et locupletata, insigne sunt, et unicum inter privatos, Ruhnkenianorum librorum ornamentum et instrumentum. Neque vero sibi soli Lutetiae vixit, sed amicis Batavis multa in hoc studiorum genere officia praestitit, Hemsterhusio, Wesselingio, Valckenario, Albertio, Piersono. Atque tantum laborem exantlare non potuisset, nisi valuisset ea, quam supra diximus, ingenii animique facilitate, studii constantia et efficacia, quae praesertim Herculeo quodam corporis robore niteretur, quod item in toto ejus habitu et motu appareret; ut venusti homines quod mihi viginti annis postea eadem de caussa in eadem urbe degenti Parisienses quidam veteres illius familiares narrarunt, subinde eum Herculem Musageten vocarent. Equidem quotiescumque de Ruhnkenii Parisiensi anno cogito, toties mihi Herculis species ante oculos obversatur labores illos exantlantis. Neque animum capiebat satietas taediumve laboris: neque laborem intermittebat, nisi corpore ita defatigatus,

tus,

tus, ut aut otio se aut somno reficere deberet. Otium referebat non ad aliorum lectionem librorum recentioris generis saeculique: nam oculos mentemque per illum annum solis antiquis consecraverat codicibus: sed ad liberalem oblectationem, cognitionem urbis, hominum, rerumque memorabilium. Memini eum subinde in illius temporis memoriam redire, ac libenter suaviterque de eo mecum confabulari, cum me ad eamdem operam peregrinationemque faciendam hortaretur. Nullus, ajebat, in toto terrarum orbe locus, item ut Lutetia, cum abundat omni omnium artium doctrinarumque materia et suppellectile, tum adfluit omni omnis generis voluptatum deliciarumque instrumento. Ne dicam de ingentibus aedificiorum operibus, basilicis, templis, gymnasiis, porticibus, theatris, ambulationibus, aliis, eorumque et magnificentia et multitudine: confluit in eam urbem quidquid et arte effici et ingenio excogitari potest, cum ad deliniendos oculos, tum ad oblectandas aures, tum ad reliquos sensus titillandos ac mulcendos. Igitur et doctrinae studiosus habet, quo descendat, placando genio honestum diverticulum: et voluptarius habet, quo se à Sirenibus ad Musas attollat, opportunum receptaculum: cerniturque illud in morum diversitate temperamentum, ut nec doctrinae studiosus rigida austeritate horreat, sed habeat aliquem suavitatis et comitatis nitorem: nec voluptarius redoleat vitae suae labem, sed gerat aliquem haud

 alie-

alienum à Musis decorem. Omnes ad Musas aditus unicuique patent et aperti sunt; si quidem publico et communi usui dicata sunt Musea, ubi cum libri omnis generis expromuntur, tum spectanda exponuntur artium liberalium opera manu facta, Picturae, Statuariae, Sculpturae, Numismaticae, aliarum: materies et opificia item Physicae, Anatomicae, Medicinae, Mechanicae, Astronomiae, Historiae Naturalis, et nullius non disciplinae. Quibus in locis fere conveniunt et periti et imperiti, fiunt circuli spectantium, de harum artium operibus et ratione colloquentium, narrantium, judicantium; ut imperiti ac rudes, adstantes et audientes, aliquid paulatim amoris et cognitionis colligant, unde ad interius etiam studium alliciantur, aut certe doctrinae specie colorentur. Sed non minus in promtu et obviae versantur voluptatum illecebrarumque variae formae, quibus ubique occurrentibus et blande accidentibus, qui non convertatur aliquando, is aut ferreus sit, aut perfectus è Stoica schola sapiens. Equidem à familiaribus per jocum Hercules Musagetes vocabar; qui voluptatem non fugisset, sed vicisset ac Musis parere coegisset. Tu, cujus Dei Deaeve tutelam et auctoritatem sequi velis, ipse judicabis: certe, Lutetiam tibi eundum censeo, cum Plutarchi tui Literarumque caussa, tum ad animi cognitionisque liberalem fructum percipiendum. Haec ille.

Erant eodem tempore Lutetiae duo doctissimi

Britanni, quibuscum Ruhnkenius amicitiam junxit, et postea absens constanter coluit: altér, Samuel Musgravius, qui Medicae arti discendae operam dabat: alter, Thomas Tyrwhittus, bene dives, genio et literato obsequebatur otio, et, ut erat ingeniosissimus elegantiarum judex et aestimator, Musarum Sirenumque cultum ita jungebat, ut, utrisque gratus, utrarumque muneribus frueretur.

Ruhnkenii doctrina quum Lutetiae non esset obscura, miretur quis eum non in sodalitium Academiae Inscriptionum fuisse adscitum. Atqui idem quis miretur de Hemsterhusio, Wesselingio, Valckenario, aliisque exteris in hoc genere excellentibus viris. Tales exteros ignorant fere plerique sodales illi: nisi si qui in his Literis veram grammaticam criticamque rationem sequuntur, cujusmodi adhuc sunt in primis Villoisonus, Larcherus, Sanctocrucius. Neque vero Ruhnkenius hujus honorem sodalitii quaerebat, qui, Hemsterhusii doctissimorumque Batavorum exemplo, omnem ostentationem et gloriolam odisset. Nam postea demum ista opinio ac vanitas nostrorum hominum animos infecit, ut eo se beatiores arbitrentur, quo plurium sodalitiorum titulos suis nominibus subscribant.

Ruhnkenius eo consilio Lutetiam profectus erat, ut perlustratis ejus urbis bibliothecis earumque codicibus scriptis excussis excerptisque, porro Hispaniam peteret, eamdemque operam in biblio-

bliothecis Scorialensibus ac Matritensibus navaret. Quarum quo faciliorem aditum haberet, jam cum Batavorum apud Hispanos legato per amicos egerat, ut ejus in comitatu et familia locum honorarium obtineret. Nunc anno Lutetiae transacto, videt complurium etiam annorum opus ibidem superesse: et jam tantum congesserat apographorum excerptorumque acervum, ut eum digerere tandem et ad usum conferre cuperet. Interea Hemsterhusius quoque eum per literas monebat, tempus venisse adipiscendae cathedrae, nollet diutius Lugduno abesse, ne apud amicos fautoresque suos in oblivionem veniret: meminisset quid Cicero (28) sibi ipse subjecisset, absentiae ab urbe suae detrimenta commemorans: faceret ut in oculis suorum civium habitaret, ut eum praesentem potius quotidie viderent, quam de absente audirent: eos aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere. Ergo Bataviam ita repetiit, ut per proximas ferias, vel aliam vacationis opportunitatem, brevi Lutetiam rediturus, et reliquam operis partem confecturus.

Ignorabat adhuc Ruhnkenius quid illud esset quod Hemsterhusius vellet: hoc redux jam ex eo discit. Is jam magno natu, tardior ad scholas habendas, cupiebat sibi vel sufficí vel adjungi Ruhnkenium nomine Lectoris: eaque de re jam egerat cum Bentinkiis aliisque principibus viris: sed vole-

(28) Oratione pro Plancio, 27.

lebat ipsum adesse Ruhnkenium, ut sua ipse praesentia et amicorum opera aliquid momenti ad efficiendum propositum adferret. Ruhnkenius minus, quam quis putet, cupide conditionem accipit. Primum noverat Hemsterhusio successorem et omnium opinione destinari, et suis meritis deberi, Valckenarium, si quidem vellet succedere, eumque ad eam voluntatem ac spem jam olim adductum fuisse quibusdam Hemsterhusii sermonibus. Deinde quod hic ipsi suadebat, ut interea saltem Lectoris Graeci munere fungeretur dum Oudendorpius viveret, eique aliquando in cathedra Historiarum et Eloquentiae succederet; gratum acceptumque ei erat de successione in Oudendorpii cathedra, non item ut interea Graecas haberet scholas ad brevis temporis usum et mox relinquendas. Accepit tamen conditionem, cum pietate erga Hemsterhusium, tum certa persuasione praecipiens quantum ad honores consequendos valeret illud *in oculis civium habitare*, et in minorum statione honorum majores exspectare.

Proviciam Lectoris Graecarum Literarum, mense Octobre anno hujus saeculi quinquagesimo et septimo, auspicatus est solemni oratione *de Graecia artium et doctrinarum inventrice*; materia pervulgata, sed ad popularem auditionem accommodata, eademque gravi nec umquam satis celebranda: ceterum à Ruhnkenio ex iis locis ducta, iis et argumentis confirmata et luminibus distincta, ut plane nova nec à quoquam ante eum tractata videre-

retur. Et erat hoc eloquentiae proprium, de veteribus nove, de tritis exquisite, dicere. Et vere videor affirmare posse, hanc primam post longum tempus è cathedra auditorii Lugdunobatavi vere orationem, id est, quae et Latinitatis et eloquentiae officio satisfaceret, tunc habitam esse, et, haud dubio omnium hac laude dignarum, ante habitarum principem exstitisse. Quod quale sit, infra videbimus.

Scholas habuit bifariam, interpretandis Scriptoribus vel sacris, Lucae Evangelio et Actis, vel classicis, Homero, Xenophonte, aliis. Utrasque ita habebat, ut Scriptorem ipse legeret et interpretaretur, tum ad locos difficiliores dictaret animadversiones de scripto: ita factitabant Hemsterhusius et Oudendorpius, factitaverant Burmannus, Perizonius, Gronovii, et caeteri in illa Academia clari quondam viri. Quae ratio quum Ruhnkenio item placuerit, cumque omnino multum referat quam quis doctor institutionis viam sequatur, eaque multum in utramque partem ad literatam ejus vitam existimationemque valeat, et valuerit apud Ruhnkenium; haud alienum à re praesente esse videtur, in toto hoc dictandi negotio quid ipse spectaverit, paucis monere.

Si ratione et modo, tempore et loco, fit, si à magistro ad ipsius et discipulorum progressus accommodatur, perutile hoc est utrisque negotium. Discipulis, ineunte aetate, qua sunt fere plerique quum ad Academicas Literarum scholas accedunt,

non-

nondum exercitati ad comprehendendam mente memoriaque continuam magistri disputationem: his igitur schola non perit, scripto servatur, habent quod domi relegant. Magister commentanda diligenter conscribendaque schola, plus proficit cum ad accuratam rerum cognitionem, tum ad bene scribendi facultatem. Quam facultatem et egregie tenebat, et porro augere tuerique volebat Ruhnkenius: qui, ut acerrimo erat cum omnis pulcri venustique, tum Latinae orationis sensu studioque, ita nolebat se continuo extemporali consuetudini committere, ne quid vitiosi traheret. Meminerat illud Thucydidis (29), *peritia timorem, imperitia audaciam facit:* meminerat homines Latine doctissimos ex tempore disserentes haesitare subinde ac subsistere, quod nomen verbumve sibi probatum non succurreret: meminerat etiam imperitos audacter se in extemporale flumen conjicientes, lutulentos quidem barbariei et inficetiarum sordibus fluere, sed fluere tamen magno et suo cum strepitu et audientium plausu. Ipse, qui à natura ita factus esset, ut suum et peritorum, non vulgi, judicium sequeretur, et nil magis fugeret quam speciem hominis populo se venditantis, judicabat tutius esse ab initio quidem se adstringere scripto quam solutum vagari: memor Ciceroniani moniti (30), scriben-

(29) II, 43. ita reddidimus illud, ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.

(30) De Oratore, I, 33.

bendi consuetudine comparandam esse extemporalem dicendi facultatem, neque quemquam, nisi diu multumque scriptitarit, etiam si se vehementer in subitis dictionibus exercuerit, admirabilem existere oratorem: contra perverse dicere, perverse dicendo homines facillime consequi. Est vero etiam ubi detrimentum adfert dictandi consuetudo; nisi magister dictata quotannis recenseat, corrigat, suppleat, ad captum ingeniaque discipulorum accommodet: tum vero frequenter aliquid ex tempore adjiciat, argumentationis, exempli, amplificationis, vel ad explicandum, vel ad illustrandum, sive ad rationis nexum demonstrandum, sive ad usum vitae aliarumve disciplinarum; quo magis certiusque intelligatur quam quovis loco sententiam habeant dictata, quem fructum, quam late pateant. Ita solebant Hemsterhusius et Valckenarius, eamdemque viam ingrediebatur Ruhnkenius. Nisi enim ita fit; discipulus paulatim in eam opinionem inductus, ut putet omnem scholae fructum unice in dictatis positum esse, mox officium in scholam ventitandi negligit, dictata à condiscipulo commodata domi describit, servat ea ut κτῆμα, non ut χρῆμα, mancipii loco, non ad usum, omnem denique discendi fructum perdit: magister sensim adeo ab extemporali facultate abducitur, ut ne verbum quidem nisi de scripto proferre audeat: scholae semel dictatae, per manus traduntur, describendo frequentantur, ac, veluti pervulgata mysteria, omnem in posterum novitatis gratiam, omnem commendatio-

nem

nem auctoritatemque amittunt, vacuae relinquuntur.

Attamen apud nos in Batavia discipuli, cum Literarum, tum aliarum plerarumque doctrinarum studiosi, fere aliquid sibi dictari volunt: sunt adeo qui dictatorum longitudine, latitudine, crassitudine, spissitudine, et locorum citatorum multitudine, magistri doctrinam metiantur. Cognovi aliquando Professorem in Graecis Literis novum ac rudem, qui scholas haberet interpretationi Xenophonteorum Memorabilium Socratis destinatas: utebatur, item ut discipuli, exemplo editionis Ernestinae: ex hujus notis novas compilabat notulas, locos citatos transscribebat, quorum nec sensum perspiceret, nec auctores nosset: has dapes apponebat discipulis, qui eas ita hiantes captabant ac devorabant, ut sibi valde beati viderentur, nec tamen vel Xenophontis librum vel magistri notulas intelligerent; quippe quorum neutrum ipse intelligebat magister. Horum discipulorum postea nonnulli in cujusdam scholas doctioris Professoris ventitarunt, in quibus forte idem Xenophonteum opus tractaretur, ea quidem ratione, ut discipuli ipsi singulos locos interpretarentur, et à magistro adjuti correctique, ad intelligentiam auctoris, rerum, proprietatis Graecae exercerentur: pauca dictarentur, sed accommodata ad illam intelligentiam, et ad praesentium discipulorum captum, usum, necessitatem: pauciora etiam citarentur. Illi veterani nec verba Xenophontis nec constructionem norant: et tamen, ut veterani, qui

plus saperent et jam sub alio imperatore meruissent, ut ignorantiae suspicionem apud condiscipulos novos à se amolirentur, dictitabant se talibus scholis non esse adsuetos, melioribus usos apud priorem Professorem. Erat è reliquis discipulis qui illis reponeret, *Atqui noster Professor vos Xenophontem intelligere docet, prior ille vester non docuit.* Tum illi, *Hoc quidem non negamus, sed prior doctius dictabat.* Quid facias istiusmodi hominibus, qui auctorem negligunt, dictatis adhaerescunt, iisque temere compilatis, et id quod in editi exempli notis bene dictum jam exstat, idem deterius à magistro redditum dictari sibi volunt? Scilicet, tuum ipse judicium sequaris, et omnem institutionis operam industriamque ad discentium progressus referas. Hoc Ruhnkenius faciebat. Nos haec nunc ideo uberius diximus, quo rectius ea, quae infra eodem de loco dicemus, intelligantur.

Sed cum duo sint publici doctoris officia, alterum necessarium, institutio studiosae juventutis, alterum honorarium, scriptio librorum in quibus doctrinam ipse suam ad communem omnium usum prodat, et provectiores adeo ac seniores doceat: illius laus intra parietes alebatur Ruhnkenio, hujus lumen ac splendor simul et scriptoris doctrinam et famam Academiae Lugdunobatavae per totum terrarum orbem et commendabat et illustrabat. Ernestus quantopere amaret Ruhnkenium ejusque miraretur ingenium, multis librorum suo-

rum

rum locis testatum reliquit. Neque minus Ernestum amabat Ruhnkenius, ejusque doctrinam magni faciebat, et cupiebat eum, ut in aliis Literarum partibus, ita in critico illo acute emendandi docteque illustrandi munere, et esse magnum et haberi. Itaque persuasit ei ut Callimachum, jam antea ab eo Lipsiae in tironum usus editum, retractaret, uberioribus animadversionibus locupletaret, easque cum Graeviana editione conjungeret, quam Lugdunibatavorum repetere instituebant Luchtmansii bibliopolae; offerens ei codicum scriptorum collationes, suas item auctiores, tum vero Hemsterhusii, Valckenariique, annotationes. Ernestus suscipit hanc editionis provinciam: nec multo post mittit ad Ruhnkenium notulas suas, tenues illas valde et exiles, sed satis, ut ipse quidem putabat, ad novae editionis ac recensionis nomen parandum ac tuendum. Ruhnkenio ista notularum levitas inexspectata accidebat; dat eas Hemsterhusio legendas: huic item videtur: ergo de communi sententia eas Ernesto remittunt, suadentes ut, quoad posset maxime, eas doctrinae copiis augeret, significantes simul copiarum petendarum fontes, porro monentes ut à Valckenario etiam opem peteret, quem in primis ad ornanda fragmenta egregium emendationis et interpretationis apparatum habere. Facit Ernestus. Redeunt notulae paulo locupletiores, probabiles judicio ac diligentia, sed ingenio et doctrinae ubertate, nil ad horum rationem triumvirorum: nec à

Valckenario quid adjumenti; non quod hic nollet dare, sed quod Ernestus nollet rogare, intelligens suas copiolas in tantis auxiliis obrutum iri. Haec qui noverit, jam intelliget quo pertineat hujus de Veterum fragmentis judicium in praefatione Callimachea proditum, in qua quum frequens sit de Ruhnkenio mentio, paucos inde ex multis locos referre operae pretium est, ut appareat quam honorifice Ernestus de Ruhnkenii cum opera in Callimachum, tum tota doctrina, senserit. „In hac denique parte" inquit „plurimum etiam debeo benevolentiae singulari et humanitati Davidis Ruhnkenii, V. C. qui Graecas literas in illustri Leidensi Academia magna cum laude docet, mihique saepe post in hac praefatione laudandus erit: — atque haec prima veluti pensio gratiae est, quam ipsi libentissime exsolvo. — Addidi etiam fragmentorum auctarium, in quo non nulla à me observata et notata sunt, pleraque Ruhnkenio debentur, qui ex ineditis Grammaticis in gratiam meam excerpta misit. — Non sine laude praetereunda sunt Ruhnkenii nostri, de quo saepe dixi, merita in Spanhemianum commentarium: quem ille multis locis vitiosum antea, ut sensus perturbaretur, diligentissime correxit. In fragmentis Callimachiis erunt forte qui copiosiores notas datas velint; quibus me non contemtu excusare cupio; quod possim forte, favente majore doctorum hominum parte, facere. Valde enim vereor ne plerique sint in ea qua Kusterus fuit senten-

tia,

tia, qui, ad Suid. II. p. 327, non postulandum putabat, ut corruptas et laceras veterum Scriptorum reliquias emendaremus et explicaremus, putentque in iis bonas horas non valde bene consumi, cum nec sententiae saepe admodum probabiles insint, nec verba aliam, quam interdum raritatis, commendationem habeant. Atque ipse non dubito fateri, me semper maluisse libris veterum Scriptorum integris legendis ingenium ad copiam rerum et verborum alere, et ad elegantiam cogitandi ac dicendi acuere ac polire, quam in veterum et rariorum verborum, ut Augustus vocabat, foetoribus eruendis et tractandis, cum Grammaticis veteribus, ingenium et tempus meum, quod sic satis exercitum habeo, vexare". Eloquenter sane, partim prudenter, partim callide nec satis vere: ignoscamus viro ceteroquin magno, qui facultatem, quam sibi deesse sentiret, argutando elevare maluit: et Ruhnkenii eo magis miremur ingenium, qui et parva illa, quae Ernestus vocabat, sed sine quibus maxima nemo consequi potest, intime perspecta pertractataque habuit, et tamen legendis integris veterum Scriptorum libris ingenium ad copiam rerum et verborum aluit, et ad cogitandi dicendique elegantiam acuit ac polivit. Sed referamus ultimam ex Ernesti praefatione partem, veriorem illam denuo et aequiorem. „Quo magis gratum," inquit „et nobis fuit, et lectoribus fore confido, quod Cel. Hemsterhusius, qui omnes Graecae literaturae recessus te-

net, et dignus tanto magistro discipulus, Ruhnkenius, his fragmentis aliquid lucis et ornatus ab doctrina sua accedere voluerunt. Atque utinam mihi otii tantum fuisset, ut magis uti in hac parte potuissem consilio Cel. Valckenarii, cujus ille mihi copiam aliquando humanissimis literis fecit; profecto, ut intelligi potest ex iis quae de sententia ejus in notulis meis subinde dixi, multum lucis accessisset his fragmentis ab ejus recondita et accurata in his literis doctrina. Haec habui quae in principio operis novi dicerem. In quo navatam Callimacho et Graecis literis operam ita probari eruditis et prodesse cupio, ut meminerint Ruhnkenii mei, eique non modo gratias mecum agant, quod tam studiose et enixe institutum meum consilio et re juvit, etiam speciminibus typographicis meam in gratiam inspiciendis, ut quam emendatissime exprimerentur omnia: sed etiam faveant Viri excellenti ingenio parique doctrinae, faciantque vota ut ei vita longissima cum rebus secundissimis contingat: quod ego non modo ipsius, sed etiam communium literarum caussa, serio opto. Scr. Lipsiae Idibus Jan. a. 1761."

Caeterum, quae caussa moverat Ernestum ne Callimacho Valckenariana subsidia adhiberet, eadem apud Gesnerum valuit quominus Ruhnkenianis Orpheum ornaret. Is sub idem tempus, jam senio gravis editionem parabat Orphicorum Carminum; quam ipso mortuo demum absolvit, certe in publicum emisit, Hambergerus, anno

h. s.

h. s. sexagesimo quarto, Ruhnkenius, qui in Orpheo emendando multum operae posuisset, ejusque specimen in Epistola Critica ad Ernestum prodidisset, emendationes postea sibi natas obtulit Gesnero; at ille iis noluit uti, metuens ne sua quaedam inventa occupasset, certe eorum commendationi officeret Ruhnkenii lumen: cujus adeo et Fragmentorum ineditorum collectionem et scriptorum codicum collationes omissurus fuisse videtur, nisi Ernesti vicisset auctoritas. Atque eo pertinet locus hic in praefatione Hambergeri: „Nec studuit Gesnerus valde multa habere, ne res longa fieret; et hanc ob caussam ne oblatis quidem per Ruhnkenium V. Cl. cujus ingenium et doctrinam quanti ipse fecerit, non unus locus in his Orphicis declarat, uti voluit, potius suo solius remigio rem gerere; forte etiam quod metuebat, ne sibi simile iterum accideret quod in Scriptoribus Rei Rusticae factum est. Ruhnkenio tamen V. Cl. debentur Fragmenta inedita et collatio Carminum Orphicorum cum codicibus regiis Parisiensibus tribus, quae in manibus viri incomparabilis Ernesti erant, cujus suasu et consilio editioni Gesnerianae adjecta sunt." Ruhnkenius quidem suis animadversionibus postea alteram Epistolarum Criticarum editionem auxit. Quod attinet ad Scriptores Rei Rusticae: constat ad horum editionem locupletandam Gesnero doctissimum Italum, Julium Pontederam, suas animadversiones dedisse, deinde objecisse eidem vel ne-

gligentiam in iis edendis vel perfidiam. De qua lite ut non est quod plura dicamus, ita facere non possumus quin simile negotium cum illa Ruhnkenii aetate rebusque conjunctum memoremus.

Novam Herodoti editionem instituebat Wesselingius, à cujus doctrina cum nil nisi egregium exspectaretur, tum ad eam in hoc opere veluti cumulus accedebat Valckenarii doctrina. Iam fieri non poterat quin hi viri, in pari fere eruditionis facultate, in easdem saepe sententias, conjecturas, citatorum ex aliis Scriptoribus locorum mentiones, inciderent. A neutro postulandum erat, ut sua inventa, quamvis communia, tamen ipse supprimeret, socioque soli tamquam propria concederet: iniquum erat, ut alter acciperet auxilium, iniquius etiam ut alter praestaret, cum sua ipse laudis jactura. Edito libro, erant qui, nescio quid, de Wesselingio suspicarentur, ac si is Valckenariana quaedam sibi assumsisset: quibus suspicionibus, ut infra utriusque ingenii animique magnitudinem positis, neuter movebatur. Valckenarius quidem moleste ferebat, varias codicum scriptorum lectiones à Wesselingio non secum fuisse communicatas, quas si, ante conscriptas suas animadversiones, habuisset, earum comparatione multo plures locos emendasset. Et vero tanta erat in Herodoto criticae facultatis exercendae materia et ubertas, tantus ad excurrendum campus, unde uterque suam sibi ac propriam laudem reportaret: praesertim, quum in pari universae eru-

di-

ditionis copia esset tamen quaedam voluntatis, studii, ingeniorumque dissimilitudo; ut quum omnes uterque teneret Literas, diversa earum prae caeteris genera sequeretur. Wesselingius magis res, omnem Historiam, Chronologiam, Geographiam, Antiquitates, consectabatur: Valckenarius magis verba et Grammaticam rationem complectebatur, valebat interiore Graecae linguae scientia, venustatis sensu, emendandi acumine, et ex omni veterum Scriptorum Grammaticorumque quamvis horrida farragine, tamquam gemmas, optima quaeque praecepta et fragmenta indagandi expiscandique sagacitate: posses hunc Grammaticorum Criticorumque ἱστορικώτατον nominare, illum Historicorum κριτικώτατον καὶ γραμματικώτατον· qui nisi conjunctam ingeniorum operam in Herodotum contulissent, careremus illa editione, quae adhuc una ex omnibus omnium Graecorum auctorum editionibus excellentissima et vere palmaria exstat: cujus operae et conjungendae ipsis suasores fuerunt Hemsterhusius et Ruhnkenius communes amici, iidemque, si quae forte inde nata esset disjunctio, veteris gratiae reconciliatores. Sed Ruhnkenii quoque studium utile fuit Wesselingio ad ornandum Herodotum, comparandis Parisiensium codicum scriptorum lectionibus: quod et in praefatione ipse fatetur, et ex ejus ad hunc epistolis, nuperrime mihi in manus incidentibus, cognovi.

Sub idem fere tempus, quo Ruhnkenius Lector docendis Graecis Literis factus est, accidit

ut Lugduni cathedra Iuris Publici vacaret, eique ornandae cum scientiae facultate excellens, tum famae celebritate clarus, doctor quaereretur. Continuo Ruhnkenium subit Ritteri sui cogitatio: eam cum Hemsterhusio communicat: qui, ut nomen Ritteri audit, ita hunc unice expetit ac probat, ut in Literis et Antiquitate versatissimum, et omnis Historiae, sine qua haec Jurisprudentiae pars constare non posset, peritissimum: persuadet consilium Curatoribus: hi Ruhnkenio negotium dant, ut ipsorum nomine Ritterum invitet eique cathedram offerat. Ruhnkenius mandatum lubenter peragit: Curatorum invitationi addit suam ipse adhortationem. Ritterus conditionem accipit: Ruhnkenio peramanter respondens, ad eam accipiendam plurimum apud se valuisse quod ad Academiae cathedraeque Lugdunobatavae celebritatem accederet peculiaris illa suavitas instaurandae veteris cum ipso consuetudinis: rogans simul, ut domum famulitiumque conduceret, ac suppellectilem prospiceret. Ruhnkenius hoc nuntio laetus, confestim omnia et procurat et efficit. Interea mensis unus, et item alter, et plures, nec Ritterus venit: frustra ab omnibus exspectatur, nec Ruhnkenio subinde scribenti ac morae caussas quaerenti respondet: tandem veniunt ejus literae conditionem renunciantis; scilicet uxorem suam nullo modo adduci potuisse ut secum in Bataviam veniret, illam antea consilium accipiundae novae stationis probasse, postea prorsus ab eo abalienatam

tam esse: se quidem facere non posse, quin uxoris voluntati hoc det eique obsequatur. Qui fuerit Ruhnkenii dolor, qui aliorum sensus et indignatio, ab illa potiundi Ritteri spe dejectorum, referre non est opus. Ad uxoris animum à Batava conditione avertendum quae caussae valuissent, alii alias suspicabantur: in quibus haec in primis fidem invenit. Ut solent homines peregre profecturi quaerere ex aliis de regione quam petunt, multaque in utramque partem audire, ita mulieri narratur tam esse diversam à Saxonia Bataviam coeli et aëris temperie, hominum vita et moribus, omnium rerum ratione, ut ipsi inter Batavos Batavasque vita parum vitalis futura esset: addunt exemplum de uxore Heineccii, qui Franequeram profectus delatam ipsi Jurisprudentiae cathedram non nisi breve tempus tenuerat, quum ejus taedio ex adversa ipsius valitudine et morte uxoris concepto, Germaniam repeteret: nam uxor, ut ipse, Franequerae in incommodam valitudinem, sed et ex illius vitae et morum insolentia in animi aegrimoniam incidit, ut paulatim viribus deficeret, denique ex partu obiret. Ita Lugdunobatava Academia frustrata est luce Ritteri, hujus erga uxorem indulgentia, non malam quidem illam, sed in eo reprehendendam, quod mallet imperitorum hominum narratiunculis, quam marito, credere, vere ei ex Ruhnkenii literis affirmanti Lugdunum in primis esse urbem copia instrumentoque vitae suaviter commodeque degendae abundantem,

tem, cum aliis omnibus in rebus, tum civium utriusque sexus comitate et urbanitate, vix ut ulli frequentissimarum urbium hac laude cederet.

Ruhnkenius per quatuor annos obtinuerat provinciam Lectoris magna cum industriae doctrinaeque laude, quum Oudendorpius moritur: cui mox veluti de jure et pacto, adjuvante in primis Hemsterhusio, succedit in ordinaria Historiarum et Eloquentiae professione: eamque mense Septembre anni h. s. sexagesimi et primi auspicatur dicta oratione *de Doctore umbratico*. In simili fere argumento erat Menkenii Lipsiensis libellus *de Charlataneria Eruditorum*, et Huberi Franequerani Antecessoris *de Pedantismo*. Quibus nominibus minime Latinis quid significetur, non est cur explicemus; quandoquidem quotidie non solum nomina audimus, sed res ipsas videmus. Ruhnkenii aliud erat institutum. Nam ut complures in moribus Eruditorum sive sunt, sive esse dicuntur, ineptiae; ita ipse eorum probabat genus, in eoque et nomen profitebatur suum et ut censeretur studebat, qui in neutram partem conspicerentur, qui et in Literis et vitae consuetudine minimum haberent ineptiarum, elegantiae ac decori nec ignorantia aut negligentia, nec putida affectatione notarentur. Literarum doctorem volebat eum, qui earum et cognitionem ratione teneret, et pulcritudinem sensu perciperet, utramque in lucem promeret, in venustiorum hominum principumque civitatis virorum consuetudinem produceret, ad

mo-

morum elegantiam referret, ad omnem vitae usum conditionemque accommodaret, et Socratica ratione popularem redderet. Hoc qui non ageret, sine sensu judicioque pulcri Literas tractaret, ipse pinguis crassusque in scholae umbra se mirantibus jactaret discipulis, eorumque plausu inflatus beatum se et solum sapere putaret, hunc doctorem umbraticum intelligebat. Et argumentum Orationis congruebat Literarum professioni; et tractatio plane satisfaciebat Eloquentiae muneri, cum germana Latinitatis ratione, tum apta descriptione, tum perspicuitate, suavitate, gravitate: et vero adeo erat festiva et quasi Attico sale perspersa, tam frequens facetiarum leporibus, ut et attente audiretur, et cupide legeretur, omniumque manibus frequentaretur. Sed eadem multorum in offensionem odiumque incurrit, multumque Ruhnkenio invidiae peperit. Erant qui doctoris umbratici imaginem ex ipsorum exemplo ductam, se depingi, significari, et quasi digito demonstrari putarent: erant nonnulli Scholarum Rectores qui hoc et ipsi putarent, et aliis hominibus scholasticis persuaderent, suum vitae genus ac munus in illa oratione rideri ac veluti in scena traduci à Ruhnkenio, sibi placente quod numquam in ipsorum ordine et obscuritate, semper in elegantiorum hominum principumque virorum consuetudine et celebritate, vixisset. Atqui Ruhnkenius doctorem umbraticum intelligebat universe eum, qui illis, de quibus diximus, ineptiis laboraret, nec Scholae potius Ma-

gi-

gistrum, quam Academiae Professorem, spectaverat: scholasticum ordinem magni faciebat, à nemine, nisi qui ipsas Literas contemneret, contemni posse judicabat, et quo magis laboriosum, eo majoribus praemiis laudibusque dignum censebat. Quod judicium quum haud obscure prae se ferret, factum est ut multorum sibi voluntatem reconciliaret. Attamen haud paucorum in animis remanebant offensionis reliquiae, qui disciplinae suae alumnos Lugdunobatavam Academiam petentes ea opinione imbuebant, ut putarent se Ruhnkenii scholis iis, in quibus Scriptores Latini tractarentur, facile carere posse. Atque hanc ego praecipuam fuisse dixerim caussam, cur hae scholae non, pro earum praestantia et utilitate, frequentes fuerint. Accedebat, quod eamdem sibi cathedram et deberi existimabant, et delatum iri speraverant Petrus Burmannus Secundus Amstelodamensis, et Johannes Schraderus Franequeranus, Professores, versatissimi sane in Latinis Literis homines, hic accurata, ille varia, doctrina clarus, qui ad has laudes etiam hereditariam Burmanniani nominis laudem adjungeret. Uterque eam sibi cathedram deferri optaverat, cum propter Academiae celebritatem, tum opportunitatem urbis, cujus in vicinia suum uterque habebat suburbanum, ubi ferias transigere solebat. Igitur fieri vix poterat, ut bona horum virorum cum gratia iis Ruhnkenius praeponeretur. Sed cum Burmanno eum animorum liberalitas et similitudo facilius reconciliavit: apud Schraderum

se-

sedit alta mente repostum hoc, veluti Paridis (31), judicium, spretaeque injuria doctrinae. Horum amici non verebantur dictitare, Ruhnkenium magis Graecae quam Latinae cathedrae aptum esse, nec provinciam civibus debitam debuisse peregrinum occupare. Quae voculae ab insigniorine stupore an malevolentia profectae fuerint, difficile est statuere. Ac primum quidem, ignorare videbantur isti, et antiquitus Latinam linguam è Graeca esse natam, et Romanos postea se totos ad Graecorum exemplum conformasse, ex horum fontibus Literas omnes, artes, doctrinas, hausisse, eas in linguam suam et solum quasi suum transtulisse; ut prorsus sit, quod proverbio dicitur, iter caeci, ejus qui in Latinis Literis sine Graecarum scientia Literarum progredi velit, quarum lumine quivis unus et gradus et passus illustrandus sit: quarum quo majore valebat scientia Ruhnkenius, eo ipse melior, quam alii minus ab ea parati, censendus erat Latinarum doctor Literarum: earumque ita peritus è Bergeri Ritterique disciplina prodierat adolescens, ut quamvis professionem jam illo tempore ornare posset. Peregrinitatis crimen reprehenso laudem, reprehensori dedecus habebat: erat enim invidiae à virtute superatae clamor, et in istam nativitatis gloriolam, ut in unicum praesidium confugientis: erat mentis

(31) Virgil. Aen. I, 26: *Manet alta mente repostum Judicium Paridis, spretaeque injuria formae.*

tis ad praejudicatas vulgi opiniones abjectae necdum ab earum sordibus purgatae per liberalem institutionem et studium sapientiae: ignorabant naturam eruditae civitatis, cujus ipsi se cives profitebantur: ignorabant, in erudita civitate nullos esse Batavos, nullos Germanos, nullos unius alicujus populi cives, omnes esse mundanos. Quo nomine Diogenes (32) stuporem cujusdam homunculi confutavit, ei objicientis eum non esse Atheniensem, *Atqui*, inquit, *multo praestantiorem patriam habeo, mundum: mundanus sum, non Atheniensis.* Ceterum peregrinitatis reprehensio in Ruhnkenium eo minus valebat, quod jam duodeviginti annos in Batavia degisset, eamque doctrinae fama illustrasset, porro à principe Literarum Hemsterhusio veluti adoptatus esset: aut si valebat, debebat item valuisse adversus Wesselingium, Graevium, Gronovium, Vossium, Salmasium, Scaligerum, innumerabiles alios in suó quemque genere principes: quibus et prudentissimi hujus rei publicae rectores, et boni cives omnes, veluti insignis beneficii, magnas habuerunt gratias, quod hanc potius quam aliam terram, ubi habitarent et doctrinam suam explicarent, ele-

(32) Diog. Laert. VI, 63. Tribuitur et Socrati ab aliis, et Cicerone Tusc. V, 37: ubi multa similia aliorum dicta notat Davisius. Caeterum, ego memoriter conscribens hunc locum, formam ejus duxi è simili dicto Antisthenis apud Diog. Laert. VI, 1.

elegissent. Sed istud, quidquid est, in peregrinos convicii; quippe non nisi in illiberali vulgo jactatum; nec auditum in elegantiorum humaniorumque consuetudine hominum, quibuscum vivebat Rühnkenius, ipse nec audiebat, nec morabatur.

Ruhnkenius, ut in Literis Latinis egregie versatus, licet Scriptores Latinos omnes antea legisset, tamen; hac suscepta professione, iterum à primo ad postremum omnes relegit et excerpsit, adhibitis animadversionibus non modo Editorum sed et caeterorum interpretum ex grammatico, critico, antiquario genere, omnium; ut quantam Graecarum collegisset, tantam item colligeret Latinarum copiam materiemque Literarum. Et hoc fere otii ei instar erat et relaxationis. Nam necessarium et quotidianum opus erat scholas non solum habere, sed iis etiam habendis dictata instruere: idque factitavit eodem quo antea in Graecis scholis consilio modoque. Nunc triplex erat pensum: Historia Universalis: Antiquitates Romanae: Auctoris Latini interpretatio; qua ferè Eloquentiae munus ac nomen censebatur.

In Historia tradenda secutus est exemplum Jacobi Perizonii, cum in omni Literarum genere magni viri, et insignis earum in hac Academia ineunte hoc saeculo doctoris, tum in primis Historia tractanda tradendaque laudem apud intelligentissimos judices adepti. Hae scholae, ut mos erat inde à longo tempore, tamquam fundamento superstruebantur libello Tursellini; probatissimae

quidem illo Latinitatis et orationis, sed in ratione et materia non item probando. Eum sequitur ordinem, ut primum res Judaicas narret usque ad tempus conditae urbis Romae, deinde Romanas, earumque spatium ac nomen continuet per Caesarum Byzantinorum successiones ad Carolum Magnum, indeque per Occidentis Caesares, uti item vocantur, ad novissima tempora. Reliquorum omnium populorum rebus non item suos cuique locos suamque et propriam historiam dat, sed eas non nisi obiter ac subinde attingit: maxime res Ecclesiasticàs consectatur, ac saepe aniliter ineptit, superstitione judicium praepediente, ut in illius aetatis Theologo, et pontificio et Jesuita. Hujus rationis errores corrigens Ruhnkenius id agebat, ut Historiam, quod nomine profitetur, re ipsa Universalem redderet, ex istis angustiis educeret, ineptiis purgaret, principum imperio doctrinaque populorum rebus locupletaret, caussas conversionum, Literarum progressus, hominum mores notaret: subinde testium fidem censeret, veri disceptatricem Criticam adhiberet, singula apte necteret, et à principio ad saeculum decimum quintum deduceret; ita quidem, ut nec rationis diligentia, nec rerum delectu, nec orationis elegantia, quidquam ad Historiae institutionem desiderari posset. Et profecto nil nisi egregium prodire poterat ab ejus viri studio et scriptione, qui omnis Historiae genera monumentaque pertractata, stilum ad egregiam orationis facul-

cultatem exercitatum, ingenium sensumque optimorum quorumque veterum Historicorum quotidiana lectione et consuetudine tritum ac formatum, haberet. Hanc scriptionem veluti dictans praelegebat in schola, ita ut frequenter aliquid ad rem praesentem accommodatum subito ac memoriter adderet. Atque harum utilitati ac suavitati scholarum indicio etiam fuit earum frequentia, non quidem illa maxima, sed major tamen quam ab illius saeculi perversitate exspectari poterat. Recens tunc inter homines nostros invaluerat error, Historiam libris legendis rectius disci, quam audiundis Professorum scholis. Hemsterhusius (33) solitus erat Historiam rei publicae Batavae enarrare tanta audientium multitudine et approbatione, ut illa non solum Historiae, sed et prudentiae civilis, institutio haberetur: at, Wagenarii de Historia Patriae opere edito, paulatim deficientibus discipulorum ad audiendum id quod, ut quidem putabant, jam editum legere possent, studiis, illae Hemsterhusii scholae vacuae relinquebantur. Error latius serpebat ad Historiae Universalis institutionem, aliasque ad Academias. Unus Wesselingius, qui obiit Ruhnkenio recens Professore, anno h. s. sexagesimo et quarto, Trajecti se ad vitae finem usque in vetere laudis possessione tutatus est: tradebat Historiam Universalem cum auditorum incredibili studio, admi-

(33) Vid. Ruhnkenius in Elogio illius p. 77.

miratione, frequentia: memoriter omnia narrabat, subinde per auditorium ambulans, nil in manibus habens nisi parvam scidulam in qua nomina quaedam propria hominum ac tempora notata essent, habebat procero cum corpore magnam in habitu, gestu, vultu, voce, gravitatem: haec admirationem faciebant, multoque plus, quam singularis ejus doctrina, apud multitudinem vulgumque juventutis ad excitanda retinendaque ejus studia valebant. Igitur Ruhnkenius bene secum agi arbitrabatur in illo, qui erat, auditorum numero, qui decrescentes aliorum scholas Professorum videret, et antea saepe interfuisset sermonibus hominum in eodem errore versantium. Quo in genere quid ei aliquando acciderit, non est à nostro consilio alienum, referre.

Nondum in publico docendi munere constitutus, degebat adhuc in familia cujusdam principum civitatis virorum, quum adesset aliquando in coena aliquis vir dives et honoratus, sed animo et voluntate, quam ingenio et eruditione, melior: is forte narrabat, se domi filium habere puerum mox in Academiam venturum, et quibus is uti deberet scholis Ruhnkenium interrogabat. Hic et alias disciplinas, et Historiam, censebat. Tum pater, „Atqui, inquit, Historiâ non opus est meo filio, hanc jam satis novit; nam ego, qui duas etiam filias habeo, praefeci eis domesticam magistram, 'gubernatricem, ut vocant, et ejusdem institutioni filium item subjeci:' haec Histo-

storiam quovis Professore melius novit." Ruhnkenius illa aetate in confutandis aliorum, praesertim talium hominum, erroribus solebat Socratica ironia uti: progressu aetatis ad naturae ipse suae candorem rediens, simpliciter reprehendebat. Igitur „Nae tu beatus es, inquit, qui tantum domi bonum possideas: noli, quaeso, solus eo frui, sed ad publicam illud civium utilitatem prome, et hanc tam doctam magistram, qua es auctoritate, in Academica Historiae cathedra colloca. Tum ille: „Tu quidem jocaris, at ego tibi affirmo ita esse." Quid igitur, inquit Ruhnkenius, didicit filius tuus, quam Historiae partem, ex quo libro, qua via et ratione. „Equidem, inquit pater, non possum tibi ad haec omnia respondere: Historiam juvenis didici: jam provectior aetate incipio has res oblivisci: sed mittam ad te filium meum, qui tibi ad omnia, quae interrogabis, satisfaciet." Venit post aliquot dies ille gubernatricis pullus, adhuc pipiens, sed alas jam quatiens, sibique nunc demum placens, qui apud clarum doctrina virum doctrinam ipse suam ostentaturus esset. Ruhnkenius puerum comiter excipit, eumque sermonem cum eo habuit, quem est cognoscere operae pretium, et nos, quo facilius cognoscatur, ita reddemus quasi agatur, non quasi narretur.

R. Audio, te magnos progressus fecisse in Historia, ejusque peritissimam domi habere magistram. P. Sane, gubernatrix nostra omnem Histo-

riam novit: nec diffiteor, me ex ejus institutione multum profecisse. R. Quid ergo didicisti? narra. P. Omnem Historiam. R. Quid est omnis Historia? an vero magistra te docuit omnem Historiam, nec tamen quid esset omnis Historia? P. Ita fecit; nam est perdocta. R. Non dubito, quin jure eam magni facias: sed cogita tecum, quid hoc sit, omnis Historia. P. Omnis Historia? haec est — ea quae in libris est prodita. R. En tibi hoc loco libros, quos habeo, multos de Historia, Herodotum, Livium, Tacitum, alios: nosti certe hos auctores. P. Non novi, sed res ipsas novi. R. Credo: sed tamen ab illa omni Historia, quam tenes, primo excipiamus Historicorum cognitionem: sed fortasse magistra tibi tua narravit, quis fuerit Homerus, Hesiodus, Plato, aliique Philosophi et Poëtae. P. Non puto; nam, si narrasset, meminissem. R. Ergo item de hac omni Historia, quam nosti, excipiamus Historiam Poëtarum et Philosophorum. P. Modo dixi, me non ista, sed res ipsas, didicisse. R. Sed *ista*, quae tu vocas, sunt homines; tu ergo rerum, non item hominum cognitionem percepisti: veluti didicisti urbem Romam esse conditam, sed non item à quibus hominibus. P. Recte mones, recte! Roma condita est à Romulo et Remo, fratribus geminis, filiis Rheae Sylviae et Martis, quos recens natos Amulius rex exposuit, sed lupa lacte suo nutrivit, mox pastor sustulit et educavit. — R. Iam satis, ô bone, di-

xi-

xisti, unde intelligas rerum hominumque conjunctam esse Historiam: sed narra tandem, de quibus rebus hominibusque praeterea didiceris: verbi caussa, de Sylla, quis fuerit, dic mihi. P. Tyrannus Romae. R. An tyrannus fuit nomen quoddam magistratus et muneris? P. Nescio: certe ita Sylla in Historia cognominatur. R. Nonne didicisti, eum Dictatorem fuisse, et quae fuerit hujus nominis munerisque potestas? P. Haud equidem, quod memini. R. Sed fortasse magistra tibi narravit, quae fuerit vis et ratio aliorum apud Romanos magistratuum, Quaestoris, Aedilis, Praetoris, Consulis, Censoris, Tribuni plebis, et reliquorum? P. Non narravit: nam haec difficilia, nec item jucunda cognitu sunt, ac res gestae: et nimium nobis temporis explicatio illorum abstulisset. R. De hoc fortasse rectius judicabis alio tempore: nunc ex omni illa Historia rerum, quas nosti, porro detrahamus cognitionem magistratuum Romanorum. P. At nos magis delectabamur bellis et factis cognoscendis. R. An igitur audivisti de Carthagine, gestisque cum ea bellis? P. Vero, audivi; tria bella fuerunt. R. Dic de secundo, utri fuerunt victores? P. Romani. R. An item ab initio victores fuerunt? P. Minime! quatuor deinceps pugnis victi sunt ab Hannibale, ad Ticinum, Trebiam, Thrasymenum, et Cannas. R. An caussas narravit magistra, quare victi sint Romani? P. Non illa caussas, sed facta, narravit. R. Fortasse ipse tua sponte intelli-

ligis caussas, quare Romani res lapsas restituerint. P. Certo, intelligo: caussa hujus rei fuit eorum fortitudo. R. An igitur initio belli non fuerunt fortes? P. Fuerunt vero fortes. R. Ergo fortitudo caussa fuit, ut et vincerent et vincerentur. P. Nescio: sed hoc scio, neminem me adhuc tam difficili ratione interrogasse. R. Age, facilia interrogabo: an credibile est Romanos victores ex hoc bello discessuros fuisse, si potentíssimi, qui tunc erant, reges copias suas cum Carthaginiensibus conjunxissent? P. Quinam reges illi? R. An nescis fuisse illa aetate potentissimos reges illos, Alexandri Magni successores, in Macedonia, Asia, Syria, Aegypto? P. Scio equidem, et eorum Historiam alio capite tractavimus: sed non cogitavi eos fuisse tempore belli Punici secundi. R. Caussamne (34) igitur, mutuam eorum aemulationem fuisse animadvertis, quominus copias suas, aut cum Carthaginiensibus illo in bello, aut postea inter se, conjungerent, ad Romanorum incrementa et impetus retardandos; unde factum est, ut postea omnes illi reges, singulatim ac deinceps, à Romanis subigerentur. P. Animadverto nunc demum, te dicente: et placet mihi haec animadversio. R. Est sane caussarum animadversio non solum jucunda, sed etiam fructuosa: sed nunc quidem non repugnabis, quominus de illa omni

(34) Hanc breviter attigit Plutarchus De Fortuna Rom. p. 324. C.

omni Historia, quam nosti, detrahamus porro caussarum cognitionem. P. Non possum repugnare: sed hoc tamen affirmo, nos reliquas, praeter illas à te exceptas, omnes res tractasse. R. Ergo de aliis, quae didicisti, narra: aut, si forte propter multitudinem rerum nescis unde initium facias, dic ipsum initium Historiae quodnam vobis sit. P. Creatio mundi. R. De hominibus et rebus humanis quaero. P. Primi homines fuerunt Adamus et Eva, quos Deus sexto die ad sui imaginem creavit, in Paradiso collocavit, unde postea expulsi sunt. — R. Noli plura addere: intelligo, te libellum aliquem strenue et memoriter didicisse: dic universe de quibus hominibus rebusque deinde te docuerit. P. De Adami posteris, de Patriarchis ante et post diluvium, omnino de Judaico populo usque ad ejus eversionem. R. Quare credis haec Ita fuisse, ut didicisti? P. Quia prodita sunt in libris sacris, inspiratione divina. R. An vero etiam Romanae aliaeque, quas didicisti, res, proditae sunt in sacris libris? P. Non sane. R. Et tamen eas item credis. P. Quidni credam? sunt enim proditae in aliis libris fide dignis. R. Cedo, hos libros. P. Magistra nostra duos habet Francica lingua scriptos: alterum parvum, quem ediscimus et recitamus: alterum magnum, aliquot voluminibus, ex quo nobis subinde praelegit. R. An igitur scriptores horum duorum librorum ipsi interfuerunt rebus quas narrant? P. Haudquaquam: nam sunt recentiores, et nostra vel patrum me-

memoria vixerunt. R. Unde igitur harum rerum notitiam acceperunt? P. Ex aliis libris fide dignis. R. Nostine eos? P. Non novi. R. Quomodo igitur eos, quos non nosti, audes affirmare esse fide dignos? P. Credo magistrae. R. Quot annos natus es? P. Quindecim. R. Ecce! jam prope adolescens, et magistra te adhuc tractat ut puellum. P. Quid ita? R. Quia tibi, ut puello, fabulam, ita Historiam narrat: an vero putas Historiam, quam illa te docet, veram esse? aut nil tua refert, fabula tibi pro vero narrari. P. Immo multum mea refert: sed scio vera omnia esse, quae ab illa docemur. R. Si hoc scis, necesse est te scire rationem, qua verum à falso discernas. P. Non scio hanc rationem, sed credo magistrae, quia docta et veridica est. R. Vides te tibi non constare, modo scis, modo nescis, modo credis. P. Non possum tibi tam facile respondere ac magistrae; haec enim, nescio quomodo, facilius interrogat. R. Igitur, ô bone, facilius te interrogabo: Historia quid tradit, verumne an fictum? P. Verum, profecto! R. Historiam ergo an quis tradere aut accipere recte, docere aut discere, potest, qui verum a ficto discernere nequit? P. Nescio. R. Nescis? an item nescis, an Historia alicujus utilitatis caussa discatur? P. Et magnae quidem, opinor, utilitatis caussa discitur. R. Quae est illa utilitas? P. Nescio. R. Nonne tibi magistra narravit, multarum doctrinarum fundamenta in factis historicis esse posi-

sita, Historiam nos docere alias doctrinas rectius faciliusque percipere: tum vero eam plurimum valere exemplis ad vitam regendam et rem publicam administrandam? P. Non narravit: sed tibi credo ita esse; nam probabiliter mihi dicere videris. R. Ergo porro responde: id cujus auxilio aliquid efficimus et facilius assequimur, nonne est quasi instrumentum? P. Est sane. R. Igitur Historia est quasi instrumentum earum utilitatum consequendarum, de quibus modo diximus. P. Ita prorsus. R. Iam dic mihi: nummi suntne instrumentum vitae agendae? P. Et magnum quidem. R. Si quis igitur nummos ita congerat, nullam ut rationem habeat, utrum sint probi an adulterini, itaque deceptus accipiat multos adulterinos, quid huic eventurum putas? nonne magnum damnum, ut qui non habeat quibus utatur, quum tempus et necessitas emendarum rerum inciderit? P. Est profecto, ut dicis. R, Vide porro: navigationis instrumenta nonne sunt gubernator, nautae, navis ejusque partes, carina, tabulata, gubernaculum, anchora, vela, malus, rudentes, aliae? igitur mercator aut nauclerus, antequam se mari et ventis committit, haec sibi prospicit, et parat instrumenta: nec ea temere et inconsiderate ab aliis accipit, sed inspicit et judicat firmane et proba sint ad usum; ne forte negligentiae poenas luat naufragio aut morte. P. Verissime ais. R. Diximus vero etiam Historiam esse fundamentum doctrinarum: jam ad aedificii laudem referrene putas utrum fundamenta

so-

solida et firma, an vana et infirma, sint? P. Immo totum quantum refert. R. Iam intelligis, ó mirifice, tua Historia quale sit instrumentum et fundamentum: quanto tuo cum periculo ea usurus sis, quum in vitae actione, tamquam navigatione, aut nulla, aut falsa tibi agendi exempla praebebit, et in studiorum ratione vanas tibi auctoritates ac praecepta subjiciet: tu omnem Historiam tibi percepisse videbaris: vides quantum inde detractum sit: nil audivisti de Historicis, nil de Poëtis ac Philosophis, nil de munerum et magistratuum ratione, et, ut suspicor, nil de aliis multis rebus cum civilibus, tum bellicis, locis, temporibus, nil de caussarum observatione, nil denique de ratione qua verum à falso discernatur: quibus omnibus detractis, ecquid reliquum Historiae tibi manet? P. Iam intelligo, et poenitet me operae in Historia positae. R. Bono animo sis: nunc primum proficis ad scientiam, quum intelligere incipis quantum sit quod nescias: et vides, credo, tibi, qui brevi in Academia doctrinas percepturus, ac porro vitae et privatae et publicae quasi iter et navigationem ingressurus sis, tibi igitur illud puerile Historiae fundamentum et instrumentum non sufficere, sed opus esse firmiore et efficaciore et quasi virili, quod ad uberiorem omnium rerum cognitionem, caussarum observationem, veri falsique judicium, tum denique, ut ita dicam, ad Historiam Historiae, valeat, id est ut cognoscas qui Scriptores, quibus in rebus, qua fide et au-

auctoritate versati sint. P. Verissime mones: et obsecro te, ut mihi aliquem libellum des, ex quo haec omnia brevi tempore discam. R. Tu quidem, ó bone, omnia ex libellis quibusdam percipi posse putas, qui scilicet illum de Historia libellum, quem magistrae tuae recitare soles, edidicisti: neque hoc ita dico, ac si te laboris tui, aut magistrae tuae, poenitere debeat, quae utilissimam rem fecit inculcanda memoriae tuae hac puerili Historiae cognitione: nunc tempus est, judicium exercere, virilem doctrinae rationem consectari, quae dicitur critica ratio: haec non subito, et unius libelli quasi haustu percipitur: libros de ea scriptos tum demum intelliges et cum fructu leges, si ad eam sensim adsueveris diligenter ventitando in scholas Professorum Historiam illa ratione tradentium.

Ita Ruhnkenius et hunc, et alios saepe adolescentes, à falsa sapientiae opinione et puerilis institutionis erroribus liberavit, atque ad se ipsum quemque cognoscendum, rectamque studiorum viam ingrediendam, convertit.

Alterum pensum erat Antiquitatum Romanarum. Has item enarrabat è dictatis magna accurataque diligentia scriptis, quibus nil esset vel ad cognitionem jucundius vel ad usum praestantius. Nam et universe totius rei publicae imperiique ingenium et caussam, et singularum partium formam, statum, conversiones, ordinum jura et conditionem, magistratuum munera, porro instituta, mores, leges, in rebus publicis, privatis, domesticis, ci-

civilibus, militaribus, sacris, historica et vere Polybiana ratione explicabat. Deinde singulis locis adhibebat grammaticam criticamque interpretationem, tamquam veri obrussam; ne rei vulgo traditae, aut falsae aut non satis perceptae, vel ipse assentiret, vel assentiri discipulos sineret, sed ab assentiendi eos temeritate cohiberet, et ad eamdem judicii severitatem adsuefaceret. Atque harum rerum materiam non è turbidis recentiorum rivulis, sed è limpidissimis Veterum fontibus hauriebat: aut si quos recentiores advocaret, non eos promiscue è Graeviano Thesauro aut similibus collectionibus promebat; sed eorum qui postea fuissent, et Antiquitatum locos singulares, vel singularibus libris, vel in animadversionibus ad veteres Scriptores ab ipsis editos, explicuissent, et accuratissimi cujusque maxime et rationem ducebat et mentionem faciebat, cum aliorum, tum in primis Dukeri et Ernesti.

Tertium erat pensum, interpretatio Latinorum Scriptorum. In qua quomodo versatus sit, facile est ad suspicandum iis, qui ejus animadversiones in Rutilium Lupum et Vellejum Paterculum cognoverunt. Ne vero quis putet, harum instar animadversionum fuisse scholas illas supra plerorumque captum discipulorum. Mirifice fuerunt temperatae et exquisita doctrina et perspicuitate, ut rudibus novitiis et eruditis veteranis aeque pariterque essent accommodatae. Ad locos vel difficiles vel memorabiles dictabat annotationes breves quidem illas,

las, sed bonae frugis plenas. Rerum interpretatio ducebatur ab Historia et Antiquitatibus, eadem, qua has tractabat, diligentia: frequens in primis erat verborum interpretatio, qua Latinae orationis potestas et usus, cum in singulis vocibus, tum in dictionibus et compositione, et grammatica ratione explicaretur, et exemplis Veterum illustraretur, et praeceptis observatisque optimorum recentiorum confirmaretur. Igitur fructuosae erant hae scholae cum ad intelligentiam ipsius Auctoris, tum universe ad rerum scientiam, judicium et facultatem Latinae orationis ac dictionis, cognitionem optimorum interpretum et Scriptorum de Latinitate, sensum denique pulcri venustique non vagum et vanum, sed certum et firmum à certo judicio et accurata grammatica ratione ductum. Auctores Latini, quos in his tractaret scholis, cum alii erant, tum in primis Terentius, Suetonius, item Cicero et Ovidius, illius ad Familiares Epistolae, hujus Heroides. Scholasticorum hominum cum invidia, de qua supra diximus, tum gloriola, discipulis suis persuadentium eos ex ipsorum disciplina adeo doctos prodire, ut his Ruhnkenii scholis non opus haberent, factum est, ut pauciores, quam quis putaret, ventitarent recentes à puerili institutione tirones, pauciores etiam qui harum vim praestantiamque scholarum caperent: at veterani, et exteri, qui haud infrequentes erant, eas devorabant, nec quidquam fructuosius elegantiusque in hoc genere se usquam audivisse fatebantur. Equidem

dem et ipse jam in Graecis Literis ad eum progressus modum ut Epistolam Criticam ad Ruhnkenium scripsissem, Lugdunum veniens ut ex ejus et Valckenarii cum consuetudine, tum vero scholis, amplius proficerem: ego igitur Terentianas illius scholas magno cum doctrinae fructu audivi; ut tum demum in hoc genere discere mihi viderer, quod in proverbio dicitur, quantum aera distarent lupinis: idque postea narravi saepius aliis, qui easdem scholas quondam alio tempore, sed negligentius, usurpassent, nunc demum mihi affirmanti de illarum praestantia sero credentibus, et pristinam suam negligentiam dolentibus: quibus quid dicerem? nisi, *felices nimium qui sua bona norunt* (35). Ruhnkenius sua sorte contentus erat; reputans sortem J. F. Gronovii, Latinarum Literarum recentiore aevo principis, qui in majore Academiae flore ne dimidium quidem discipulorum habuisset numerum, subinde vix decem: hujus enim scholarum indices nactus erat, quibus nomina sua, qui se discipulos profitentur, inscribere solent. Sed tum Cartesiana Philosophia omnium

(35) Ductum ex Virgiliano Georg. II, 458: *O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas.* Siquidem nobis licet, quod Antiquis licuit, Poëtarum versus ad scriptionis nostrae consilium immutare. Dictum Censoribus, quibus nisi versus ad syllabam annumerantur, notam continuo injiciunt, et inscitiam arguunt, ipsi inscii antiquitatis.

omnium erga omnes alias disciplinas studia absorbebat, et Literarum scholas, ut ita dicam, viduabat. Ruhnkenii tempora minus Literis iniquam habuerunt Philosophiam. Nam ad insanum ejus amorem deferbuerant Batavorum ingenia, omnem istum furorem in illa Cartesiana febri effuderant, et jam certa quadam judicii sanitate constiterant. Successerunt deinceps aliae rationes et quasi sectae, Newtoniana, Lockiana, Clarckiana, Leibnitiana, Wolfiana: et, ut fit, novissima quaeque sola vera, et per omnem posteritatem dominatura, videbatur: nostrorum hominum erga illas lenia fuerunt, nec cum Literarum contemtu conjuncta, studia. At apud Germanos immoderatus Wolfiani studii fervor Literas, veluti tempestatis calamitate, afflixit. Fuerunt tamen qui eas ornarent ac tuerentur, in primis Gesnerus et Ernestus: hic acer, saepe adeo acrior quam verior, Wolfianae rationis reprehensor. Novissima à vetere Regiomontano Ruhnkenii condiscipulo prodita ratio apud nos quidem Literis nondum obfuit, nec, ut speramus, oberit: si quidem priores illae partim maximarum scientiam rerum profiterentur, partim disserendi spinis et verborum novitate minus obstructam haberent cognitionem, partim interpretes nanciscerentur, qui eas ad communem captum intelligentiamque explicarent: quae et secus sunt in hac novissima ratione, et plurimum valent ad studii cum frequentiam tum diuturnitatem.

Ruhnkenio recens in Lugdunobatava cathedra

posito alia offertur apud exteros, Goettingensis, morte Gesneri eodem anno defuncti vacans. Hanc generosissimus illius Academiae stator et altor, verissimo Curatoris et Maecenatis cognomine ad posteritatem commendatus, Munchusius obtulerat Ernesto, qui eam recusans, rogatus ecquem alium doctrina clarum ac dignum Gesnero successorem nosset, Ruhnkenium dixit, sed eum ita ad Batavam stationem adstrictum, vix ut inde deduci posse videretur; quippe qui jam antea privatus exteras conditiones recusasset. Munchusius, qui nec sumtibus nec labori parceret, dummodo celeberrimos quosque ac doctissimos undique Professores Goettingam evocaret, mittit qui ei cathedram luculento quovis cum salario offerret, et accipere persuaderet. Ruhnkenius, qui propter eas caussas, quas supra memoravimus, apud Batavos vitam transigere constituisset, respondet in Germania doctum esse hominem dignumque qui Gesnero succedat, Heynium, hunc invitarent et in vacua provincia collocarent. Itaque Ruhnkenii commendatione factum est, ut Heynius Goettingam vocaretur, et eo in loco poneretur ubi plurimum ipsius et ingenium in Literis se proferret, et disciplina ad Literarum florem incrementumque valeret. Ejus doctrinam è duobus ab illo editis libris, Tibullo et Epicteti Enchiridio, cognitam probaverant Hemsterhusius et Ruhnkenius, de eaque et praeclare, et, ut eventus docuit, vere augurabantur. Caeterum Curatores Lugdunobatavi, ut tantum

tum Ruhnkenii erga Academiam suam amorem studiumque remunerarentur; salarium ejus annuis sexcentenis florenis auxerunt.

Proximus annus (1762.) luctuosus ei fuit obitu Joannis Albertii; amantissimi hominis, qui ipsum recens advenam singulari benivolentia, mox etiam familiaritate, complexus erat, ejus rationibus consulere, ei illustrium potentiumque virorum favorem conciliare, non destiterat, ejus porro assidua opera in adornando Hesychio utebatur, alterumque editionis volumen inchoatum ei moriens perficiendum relinquebat. Erat hic alter ex Ruhnkenii amicis; et omnino è doctis illa aetate hominibus; idem et Theologus et Graecarum Literarum scientia clarus, sed diverso uterque instituto: de quibus quid senserit Ruhnkenius, si ex ejus mecum saepe habitis sermonibus commemorem, haud ingratum plerisque me facturum existimem.

„ Duos" inquit „ habui amicos Theologos, eosdemque raro exemplo Graece perdoctos, qui doctiores etiam exstitissent nisi Theologi fuissent: nam, ut nunc quidem est hujus disciplinae ratio, qui eam profitentur, non solum certae sectae adstringuntur quae libere sentiendi facultatem tollit, sed eos ita occupatos tenet necessitate discendarum multarum rerum, diversarum à nostris Literis et Humanitatis elegantia, ut his recolendis nec tempus nec voluntas relinquatur. Igitur ego à matre Theologiae destinatus, tradens me totum Literis, videbar mihi revera effugisse illud δούλιον

ἦμαρ (36) quod ἡμισὺ ἀρετῆς ἀποαίνυται. Et uterque meus amicus in illustrem quidem, nec tamen principem, Graecarum Literarum pervenit locum: neque enim eam confecerat viam, quae sola ad illum principatum fert, Scriptorum omnium, inde à primo deinceps ad postremum, grammatica criticaque lectione, et sedula excerptione. Sed Ernestus à Literis ad Theologiam profectus erat, Albertius à Theologia ad Literas. In utroque apparuit illud *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu* (37). Ernestus omne ab ineunte aetate tempus tribuerat Literis, maxime Latinis, ejus linguae scientia, Historiarum et omnis Antiquitatis cognitione, critica ratione, pulcri venustique sensu, orationis denique facultate, ita valuit, ut verissime in principibus harum laudum censeatur; et in principum adeo principibus censendus esset, si Latinis Literis par in eo Graecarum facultas Literarum, lectionis multitudini et varietati par fuisset excerpendi patientia; nam hoc in primis ei defuit, locupletium copia adversariorum. Caeterum ea aderat bene scribendi ac disserendi facultas, quae non modo illarum penuriam dotum obtegeret, sed Literas etiam Graecas complurium Scriptorum editione ad communem cognitionem studiique apud multos incrementum commendaret.

Ad

(36) Odyss. ρ, 323,

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

(37) Horat. Ep. I, 2, 69.

Ad has dotes quum adjungeret Philosophiae cognitionem liberalem quidem et elegantem; poterat se vel Jureconsultum vel Theologum, quam primum hoc agere coepisset, profiteri. Et certe, ut nomen suum Theologiae dedit, ita statim in ea eluxit ac principatum obtinuit. Albertii alia fuit ratio, aliud iter. Puerili institutione, initia Literarum ita perceperat, ut inter pueros excelleret. Mox ad scholas Academicas delatus, eam rationem secutus est, qua vulgo meliores censentur Theologiae studiosi; ut primum et alterum annum propaedeuticis, uti vocant, daret studiis, id est Literis potissime Hebraicis, Orientalibus, Graecis. Nam est aliud etiam genus eorum, qui his neglectis, vel rudimentorum tenus degustatis, continuo in Theologiam involent. Et in Graecis quidem Literis egregio usus est Franequerae doctore Lamberto Bosio. Deinde, more pervulgato, systema percepit: quod ejusmodi erat, ut Professores Theologiam dogmaticam enarrantes audiret, nec unum cui se scilicet emanciparet, sed plures, quo liberius esset judicium, majorque nimirum eligendi facultas: nec unum annum, sed plures, tertium, quartum, quintum. Tum nomen in Candidatis professus, porro sacerdotium nactus, quidquid à muneris occupationibus supererat otii, dabat homiliis componendis, ut earum in posterum copia suppeteret. Harum copia provisa, multi in ea acquiescunt, et, ut studiorum officio defuncti, aut nihil agunt, aut quidvis potius quam Literas co-

cogitant. At non ita liberalis homines ingenii, è quibus erat Albertius. Is ex quo ingressus erat Theologiae studium, quotidie dolebat parum sibi temporis ad Graecas repetendas Literas relinqui: ad has frequenter reditum captabat: legebat Homerum, Hesiodum, Xenophontem; in primis vero libenter cognoscebat recentiores Novi Foederis interpretes, qui dictiones appositis Graecorum Scriptorum locis explicuissent: è quo numero fuerat ejus magister Lambertus Bosius, et alii deinceps, in primis Elsnerus et Raphelius: eumdemque in usum et finem ipse Graecos Scriptores legere constituebat, simul atque illum homiliarum apparatum struxisset. Quod quum tandem venisset tempus, continuo ad eos accessit Scriptores qui maxime cum Critica Novi Foederis conjuncti essent, Philonem, Josephum, Patres, minoris etiam molis et momenti alios: ad hoc genus adhaesit: et ad Hesychium edendum inductus est maxime Glossis ejus sacris. Nam regiam illam viam, gravissimorum et antiquissimorum quorumque deinceps Scriptorum ex ordine legendorum, aut non ingressus est, aut ingressus mox reliquit. Magnum tamen usum habuit veterum Lexicorum, Grammaticorum, Scholiastarum, et recentiorum Criticorum: multos legit Graecos libros: plures, opinor, quam Ernestus: lectos excerpsit et ad usum in promtu habuit: easque copias cum judicii severitate et grammatica diligentia expromsit in Hesychii editione, quae semper in egre-

egregiis editionibus censebitur. At Latinarum deerat ratio Literarum, deerat orationis elegantia: harum studium in Academia, ut solebant fere futuri Theologi, neglexerat, nec postea repetiverat. Igitur, ut Ernestus, Theologicis aliisque, de quibus scriberet, cum doctrinae elegantia minus conjunctis argumentis, eum addebat odorem, quo recens imbutus fuerat, ut antiquum nescio quid et plane Romanum spirare viderentur: ita quae in Albertii initiis primaque institutione fuerat horrida et inculta durities, postea venustioribus nullis ita mollita et abstersa est studiis, quin ejus reliquiae et quasi ruris vestigia (38) apparerent."

Nullae fere majores existunt dissensiones animorum et offensiones, quam inter eos, qui in earumdem rerum studiis diversas vias sequuntur; unde sectarum et nomen et odium dicitur, et proverbio usurpatur *fratrum quoque gratiam raram esse* (39). Attamen Ruhnkenius, qui ab Albertio tantopere discreparet cum via, tum judicio, tam amice conjuncteque cum eo vixit, ut nil umquam in amicitia fuerit conjunctius. Nec mirum. Haud facile fuit Albertio lenioris animi Theologus, nec Ruhnkenii amantior; ut summa inter eos esset morum voluntatumque similitudo, profecta illa ab animorum similitudine, lenitate et facilitate in ferendis dissentientibus, benevolentia ac bene meren-

(38) Horat. II, 1, 159: videatur supra, p. 541.
(39) Ovid. Met. I, 145.

rendi studio erga optimum quemque, caritate totius generis humani. Albertius, ut fieri solet in summo amore, magis etiam et arctiore studiorum vinculo conjungi cum Ruhnkenio cupiebat; et, quo major inter ipsos esset communitas sermonis et argumenti, optabat ut eadem uterque amaret, eum in suam viam traducere studebat, subinde hortans ut item sacrae Criticae operam navaret. *Hoc tum faciam*, ajebat Ruhnkenius, *quum satis percepero antiquas et germanas Graecas Literas, sine quibus novitiae istae ac peregrinae percipi non possunt.* Eidem subinde minutos quosdam et posterioris aetatis Graecos Scriptores legenti, rogantique, ut ipse quoque eos legeret, respondit, *Legam quando mea me via et temporis ordo eo deduxerit; nunc quidem in Demosthene versor.* Nec inique ferebat recusationem Albertius, sed ejus veritate victus, *Enim vero*, ajebat, *recte mones: et vellem ipse mature hanc viam ingressus essem: nunc quidem sero est.*

Annum primum supra quadragesimum agebat Ruhnkenius (1763), adhuc et erat caelebs et porro manere decreverat, nisi facultatem bonae, quam vocant, conditionis nancisceretur, id est, ejusmodi quae cum bonis fortunarum ac divitiis esset conjuncta. Tenebat id, quod a senioribus audiverat, et multis in utramque partem exemplis edoctus erat, homini in Literarum doctrinaeque studiis viventi, si non ipse habeat rem, uxorem aut nullam esse quaerendam, aut eam quae aliquid rei

ad-

adferret. Quod ejus propositum inopinatus casus elusit. Venerat Amstelodamo Lugdunum nuper habitatum senex, honestus civis, Gerardus Heirmans: quondam mercator et mercaturae Batavorum procurator, Consulem vulgo vocant, in Italiae portu Liburno, uxorem secum habens ac duas illic sibi ex ea natas filias. Harum natu minor, Mariamne, rarae erat pulcritudinis puella: quae si Crotone vixisset Zeuxidis (40) tempore, is eam haud dubie in quinque illis legisset puellis, è quarum exemplis imaginem Helenae duxit. Aetatis erat ipse flos, duodevicesimus annus: flori congruens color sanitatis, niveus candor roseo rubore suffusus: et in singulis partibus corporis et in universa conformatione omnia erant concinna, omnia plena simul et venustatis et dignitatis: in vultu et oculis dubitares plusne inesset laetitiae an majestatis: nil proterviae aut levitatis, contra evidens significatio modestiae et sapientiae: in habitu, gestu, motu, plurimum gratiae: in statura et incessu heroicus quidam decor, in quem verissime illud valeret, *vera incessu patuit Dea* (41): si loqueretur, nil poterat dulcius, nil amabilius, illa voce audiri: si caneret, nam et hoc probabili-

(40) Cicero, Invent. II, 1. Dionysius Hal. T. II. p. 68. Valerius Maximus III, 7, Ext. 3. Junius in Catalogo Artificum p. 252.

(41) Virgil. Aen. I, 409.

liter factitabat, ut ex pulcro ore pulcrior etiam ad aures accidebat sonus. Ruhnkenius non erat novus in amore: expertus erat quid esset, et amare, et amari: sed adhuc magis fuerat elegans formarum spectator, quam amator: Aristippi (42) exemplo, solebat magis habere quam haberi. In hujus vero puellae adspectum et colloquium quum forte veniret, captus est, nec modo captus, sed ingenti percussus amore. Erant qui tantam amoris vehementiam, ut alienam à doctrinae gravitate et magis puerili levitati convenientem, reprehenderent, eique illud *Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error* (43), objicerent. Nos eum Jovis exemplo excusemus, qui item apud Homerum,

Ὡς δ᾽ ἴδεν, ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν.

Sed, omissa Poëtarum auctoritate, communes nostras delicias Platonem (44) sequamur, certe Ruhnkenius δεξάμενος τὴν τοῦ κάλλους ἀποῤῥοὴν διὰ τῶν ὀμμάτων, ἐθερμάνθη, *suscepto per oculos effluvio pulcritudinis, incaluit:* in pulcro corpore pulcrum animum habitare ratus, hoc item Socratice ac Platonice, nil prius potiusque habuit, quam ut puellam sibi propriam assereret et in matrimonium du-

(42) Cicero, Ep. Divers. IX, 26.

(43) Virgil. Eclog. VIII, 41. ex Theocrito expressum Idyll. II, 82: hoc item ex Homerico loco, quem apposuimus Il. ξ, 294.

(44) Phaedro, p. 346, F.

duceret. Neque hac, profecto, in re ullus est reprehensioni locus; nisi si quis omnem à Literarum et doctore et principe amorem et uxoriam rem abjudicet. Ruhnkenius eo erat et aetatis et doctrinae modo, ut ei omnium consensu uxorem ducere liceret. Non pervulgatum morem sequebatur festinationis, qua plerique ingeniosi adolescentes omnem eruditionis progressum fructumque perdunt, qui tirones ac novitii in Literis ex harum studiis vix inchoatis, quo tempore maxime discere debebant, se in rei familiaris et uxoriae curas difficultatesque conjiciunt, indeque per reliquam vitam in proletariorum turba delitescunt, ad illustrem aliquem Literarum censum numquam adspirant. Quod formosam maluit quam deformem, juvenem quam vetulam; reprehendant ii, qui amorem ad calculos adstringunt, in uxore et formae turpitudinem, et victus immunditiem, et morum asperitatem, et sermonis inficetias, et animi stuporem, cupide arripiunt patienterque ferunt, modo conjuncta sint ista vitia cum divitiis, opibus, honoribus. Ruhnkenio incredibilem natura tribuerat pulcri venustique sensum, ut neque in Literarum artiumque operibus, neque in mulierum formis, quidquam nisi vere pulcrum venustumque aut probaret, aut suum esse vellet. Aliud erat, quod eum nec sine ratione monebant amici, meminissetne pristinum suum propositum de uxore ducenda, quae aliquid rei afferret: ipse ajebat, eam afferre aliquid: hi reponebant, hoc aliquid

pa-

parum esse. Haec aliaque iis monentibus ita satisfaciebat, ut eum dehortari desinerent, intelligentes se repugnando nihil efficere; puellae porro prudentiam interpretantes, quod à multis petita procis, aliorum juvenili levitati, Ruhnkenii provectiorem aetatem cum doctrina illam et virtute conjunctam anteposuisset: denique ad ipsum puellae adspectum molliores redditi, veluti senes Trojani illud accinerent,

Οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν (45).

Quod quidem dictum singulari quadam fati iniquitate in Ruhnkenio verum accidit. Nam cum uxore amanter, liberaliter, indulgenterque vivens, ac duabus mox auctus festivissimis filiabus, brevem ex ea percepit reliquum consuetudinis ac suavitatis fructum; ipsa, sexto conjugii anno, per apoplexiam, labefactata, ac primum loquendi facultate, postea etiam oculorum sensu orbata; ut nunc viro superstes, ex mirificis illis formae animique bonis, vix umbram et leve vestigium referat.

Matrimonium aliam vitam, alios mores, certe in studiorum temporibus mutationem, attulit. Ante solutior erat Ruhnkenius, genioque magis obsequens: tempus à scholis liberum tribuebat amicis, circulis, coetibus, conviviis, rusticatio-

ni,

(45) Homeri Il. γ, 156.

ni, omnino relaxationi: et fere diurnam hilaritatem nocturna lucubratione compensabat. Jam haec omnia ad strictiorem erant redigenda modum, ad uxoris amorem et rei familiaris usum accommodanda. Jam suae cuique negotio statutae dabantur horae: studiis matutinae et vespertinae. Surgere mane: duas plerumque horas Literis studere: tum duas vel tres habendis scholis transigere: inter has vel domo exire, vel quidvis aliud domi agere: porro, prandere: inde aut ipse ad amicos ventitare, aut illi ad ipsum: ambulare: sub vesperam domum redire: horam fere Literis dare: coenare cum uxore et liberis: dormitum abire. Tres tamen per hebdomadem dies à scholis vacabat, eorumque unum fere alterumque, ut antea, ita et tunc et postea, venationi dabat. Si quis paucitatem brevitatemque temporis studiis relicti cogitet, item reputet quantopere id imminutum distractumque fuerit multorum necessitate cum officiorum, Academicorum quidem, sed nil cum institutione et studiis commune habentium, adventitiorum nec nisi bonas horas intercipientium: tum negotiorum frequentia extraordinariorum, partim suorum, partim alienorum: tum salutatorum aliorumque interpellatorum importunitate: haec igitur si quis cogitet, is profecto non miretur, Ruhnkenium non plura edidisse doctrinae suae monumenta, sed potius miretur eum tam multa edidisse, ut numero paucis nostrae

aeta-

aetatis doctis hominibus cederet, bonitate tantum non omnes superaret.

Ergo quidquid integrum intactumque ab his quasi temporum studiorumque Harpyiis auferre sibi ac servare posset otii, hoc Literis tribuebat et maxime quidem Latinis: recte judicans sibi jam harum professionem tenenti faciundum esse, ut quid in iis posset, aliquo specimine ostenderet. Et vero elegit sibi quosdam Scriptores quos aliquando emendatos illustratosque ederet, quorum adeo aliis in Scriptoribus et antiquis et novis legendis excerpendisque rationem haberet. Hi tres in primis fuerunt: Rutilius Lupus, Vellejus Paterculus, de quibus infra dicemus: tertius, Cornelius Nepos. Hunc enim secundum Ciceronem, simplicis nativaeque venustatis caussa, maxime mirabatur: hujus dotes, cum propter corruptelas scripturae, tum propter ignorationem vel materiae vel proprietatis, minus quam par esset á multis percipi, et dolebat, et ut quoddam bonorum studiorum damnum moleste ferebat: cui resarciendo edere parabat Nepotem ad communem intelligentiam patefactum; ita ut caeteris quidem emendandi interpretandique muneribus breviter satisfaceret, praecipuum vero et maximum locum daret Graecorum Auctorum, è quibus historiae materiam sumsit Nepos, locis apponendis, Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Polybii, tum vero perditorum, Theopompi, Ephori, Timaei, Plistarchi, et si qui alii sunt; ut Latini rivuli cum Graecis fon-

fontibus comparari possent: quale fuit institutum Fulvii Ursini in Virgilio comparatione Graecorum Scriptorum illustrato. Et quandoquidem in scriptura et manu Nepotis restituenda, è recentioribus unus in primis egregie versatus fuisset Joannes Michaël Heusingerus, diligentissimae vir doctrinae: ejusque disciplinae alumnus, fratris filius, Jacobus Fredericus Heusingerus earumdem doctrinae laudum socius et heres, haec studia gnaviter persequeretur, hunc jam antea epistolarum officio sibi conjunctum et familiarem Ruhnkenius hortabatur, ut patrui schedas sedulo perscrutaretur, si quid forte ineditum animadversionis ad Nepotem inveniret. Ita Heusingerus ad Nepotis studium excitatus, è bibliotheca Guelpherbytana protraxit inedita quaedam Nepotis fragmenta, quae postea (1766.) recusa, simul cum libello Mallii Theodori de Metris, Ruhnkenio inscripsit, editione facta Lugdunibatavorum. De his fragmentis Heusingero lis ac disceptatio, publice agitata contrariis scriptionibus, intercesserat cum Christiano Adolpho Klotzio, qui ea germana esse negaverat. Intercesserat jam antea inter patruum Joannem Michaelem Heusingerum dissensio mutuaque reprehensio et Augustinum Staverenum Nepotis editorem, Gymnasii Lugdunobatavi Rectorem, Ruhnkenio ex illa hominum Scholasticorum offensione subiratum, qui se item doctoris umbratici nomine significari crederet. Ita Ruhnkenius, qui Heusingerorum laudem amicitiamque tueretur, nulla

sua

sua ipse culpa, inimicitiam adversus se cum veterem Staverení resuscitavit, tum novam Klotzii excitavit. De hac infra verbo dicemus.

Ex illis, quos dixi, tribus Latinis Scriptoribus primum edere destinabat Rutilium Lupum: ejusque caussâ denuo legebat Oratores et Rhetores Graecos. Rhetorum omnium, certe plerorumque, nec dum seorsim editorum, adhuc una est editio Aldina, eaque perrara, ut paucis in publicis, paucissimis privatis, exstet bibliothecis, et Hemsterhusius ejus exemplum, quovis pretio emere cupiens ac dedita opera quaerens, per sexaginta annos nullo in bibliopolio, nullo cujusquam in auctionis catalogo deprehenderit. Ruhnkenius duo, quibus haec editio continetur volumina, rara felicitate, diverso utrumque et loco et tempore, sibi comparaverat: et librum, ut suum, eo majore cum otio ac diligentia tractabat. Legens Apsinem, qui unus est ex illis Rhetoribus, animadvertit, subito se in aliam orationem incidere, similem eam Longini multo sibi usu cognitam: hujus, ut progreditur, ita deinceps nova vestigia deprehendit, locum etiam sub Longini nomine memoratum ab inedito Commentatore Aristidis Joanne Siceliota: nullum porro dubium relinquebatur, quin haec esset pars *de Inventione*, è perdito Longini opere *de Arte Rhetorica*. Ut vidit, ita ad Hemsterhusium suum volavit, non tam ejus judicium exploraturus, quam rem exploratam nunciaturus. Hic item, ut audiit et locum inspexit, ita

rationes Ruhnkenii probavit, eumque monuit ut hujus inventionis laudem sibi vindicaret, mentione ac notitia ejus in Diario Eruditorum Gallico prodenda. Fecit Ruhnkenius. Libellum porro cum scriptis codicibus contulit, emendavit, et ad editionem fere paratum reliquit moriens. Et ne hoc fugiat harum Literarum studiosos, hic est ille *Rhetor* et *Longinus*, quem simpliciter his nominibus significavit aliis deinde in scriptis, maxime in altera Timaei editione. Simile quid se animadvertisse, mihi narrabat, apud Photium in Agatharchide, cujus excerpta errore librarii in duo diversa capita esse divulsa, ut, interjectis aliis aliorum Scriptorum excerptis, alterum caput suo auctori subtractum et in alienum nomen migraverit. Sed hoc quale sit nondum satis judicare potui; quandoquidem neutra in Photii editione, Hoeschelii et Schotti, quid ad marginem notatum, nec in peculiaribus adversariorum schedis quidquam à Ruhnkenio significatum, adhuc reperi.

Mortuo Albertio, quaerebatur qui affectum alterum Hesychii volumen absolveret. Huic provinciae omnium exspectatione et voluntate destinabatur Ruhnkenius. Igitur, occupatus quamvis novae cathedrae studiis et commentationibus, noluit hoc sive pietatis, sive Literarum, munus defugere: et cum antea vivo Albertio multum profuisset ad ornandum Hesychium, ita tunc illo mortuo, egregiam eamque duplicem huic volumini dotem adjecit, alteram Animadversionum, cum

in ea parte ubi defecerat Albertius, tum in Auctario ad calcem additarum, Praefationis alteram. Nam ab edito primo volumine ad obitum editoris sedecim fuerant anni: et interea Ruhnkenius insignem illam ineditorum copiam Grammaticorum cum aliunde, tum è bibliothecis Parisiensibus nactus erat, quorum comparatione Hesychium emendaret: in his Lexicon Rhetoricum, cujus compilator è pleniore, quam nunc est, Hesychii exemplo plurima sumsit, unde ejus scriptura et corrigatur et locupletetur. Quod Ruhnkenius in Praefatione manifesto demonstravit, ostendens Hesychium proposito suo, quod in Epistola ad Eulogium profitetur, satisfecisse, Lexicon ipsum postea ab aliis mutilatum et interpolatum esse. „ Exortus enim erat", ut Ruhnkenii verbis utar „ vir longe eruditissimus, et in Graecis Literis familiam ducens, qui, cum vidisset Hesychii Lexicon non respondere Epistolae ad Eulogium, statueret Lexicon quod nunc habemus, non esse majoris operis Epitomen, sed sic de auctoris sui manu exiisse, Epistolam autem ad Eulogium ab impostore Graeculo, qui dotes libri, quisquiliis à se aucti, verbis exaggerandas et mendaciis commendandas putaret, illiberali mendacio esse confictam. Contra Albertius acutissimis viri excellentis amicique rationibus, quamvis etiam atque etiam à se perpensis, non movebatur, sed plura argumenta, quae receptam ab omnibus sententiam tuerentur, in praefatione huic volumini praemittenda expromere

in animo habebat". Hoc igitur egit Ruhnkenius, Albertii sententiam explicans multisque rationibus confirmans. Erat autem ille *vir familiam in Graecis Literis ducens*, Valckenarius, qui in Epistola ad M. Röverum, hanc suam suspicionem prodiderat, in eaque se postea perstitisse testatus est ad Theocritum Digress. IV. p. 299. Caeterum, Ruhnkenius in Animadversionibus et Auctario cum alios Hesychii locos expedivit, tum *de festis Dionysiorum diebus* praeclarem illam prodidit disputationem qua eorum rationem impeditam antea et obscuram, varioque doctorum hominum dissensu turbatam expedivit et illustravit. Atque utraque disputatione illustre exhibuit specimen criticae facultatis illius, quae non solum in emendando, sed et interpretando ac disserendo cernitur, et propositam caussam ex argumentorum latebris et involucris per ancipites ac difficillimos dubitationum anfractus ad liquidum planumque deducit. Utramque probavit Hemsterhusio suo: nam is anni h. s. sexagesimi et quinti mense Augusto, quo Ruhnkenius Praefationi et operae Hesychianae finem imposuit, et corpore satis valebat, ut octogenarius, et ingenio vigebat ad judicandum, si quidem à monitore excitaretur: itaque ab hoc excitatus multas cum eo, et alias, et ad Hesychium ornandum, animadversiones communicavit. Sequente demum anno 1766, mense Aprili, diem obiit supremum.

Nam is fuit exitus Hemsterhusio, ut ei inscio nec sentienti mors obreperet: fuit enim haec ejus-

modi quam Graeci ἄβληχρον θάνατον (46) vocant: non certus apparebat morbus, vires leniter sensimque deficiebant, succedente paulatim stupore. Ruhnkenius eum quotidie visitabat, et, ut antea, ita tunc, quoad cum eo agi posset, hortabatur, ut egregias animadversiones suas, quas scriptas in commentariis servabat, aut sibi daret, aut bibliothecae Lugdunobatavae legaret, aut certe quovis modo caveret ne interciderent. At Hemsterhusius etiam tum quum adhuc vigebat, quo magis aetate progrediebatur, eo sibi minus in Literis inventisque ipse suis satisfaciebat: et, licet quotidie in Antiquis Scriptoribus legendis versaretur, multorumque et emendationes et explicationes locorum continuo pareret, partasque annotaret scribendo, tamen inventa sua non digna censens quae in lucem proferrentur, in commentariis ea premebat, nec fere nisi diuturno convicio efflagitatus cum aliis communicabat. Atque tale fuisse Hemsterhusii jam inde à multo tempore negotium, duodecim ante illius mortem annis significavit Ruhnkenius in praefatione ad Timaeum. Huc accedebat, quod nullos haberet certos adversariorum libros, omnia singularibus in scidulis, vel-

(46) Homer. Od. λ, 132: ψ, 282. Plutarch. Pericle, p. 173. Aelian. Nat. Animal. IX. 11. ap. Suid. Voc. Ἄβληχρος. Hippocrates formam βληχρὸς sequitur: vid. Foesius Oecon. Hippocr. in Voce. Valckenarius ad Theocriti Adoniaz. p. 215, sqq.

veluti Sibyllae foliis, notaret: quas ipse senior, nisi multum quaerens, reperire non posset. Quae scidulae quum vivo Hemsterhusio vel extorqueri ei, vel ab aliis quamvis doctis hominibus investigari nequirent; Ruhnkenius filio illius et heredi, Francisco, persuasit, ut ipse patris commentarios et adversaria testamento bibliothecae Lugdunobatavae legaret, ejusque promissi fidem in Elogio patris (47) publice testificari se sineret. Ibi enim hic locus, quasi testimonii auctoritate, ad communem omnium notitiam proditus est. At Ruhnkenii spem laboremque successus destituit. Nam vel filium Franciscum, qui obiit anno h. s. nonagesimo, mors occupavit anteaquam de promisso efficiendo cavisset, vel patris illa adversaria interciderunt: heredes certe nil ejusmodi invenerunt, quod ex testamento tradere bibliothecae Lugdunobatavae deberent. Ita magno et nostro dolore et Literarum damno, ille thesaurus, quod proverbio dicitur, in cineres abiit.

Hemsterhusio in Literarum Graecarum et Historiae Patriae cathedra successit Ludovicus Casparus Valckenarius, vir in paucis magnus, dignus tanto et decessore successor, et magistro discipulus. Ac si quod fuit tempus, quo auream Literarum aetatem censere posset Academia Lugdunoba-

(47) Elog. Hemsterhusii p. 68. Caeterum, quae hic scripsi, corrigenda sunt aliquantum ex iis, quae postea in hoc libro prodidi ad annum 1791.

batava, hoc profecto fuit, quo collegam habuit et Hemsterhusius Ruhnkenium, et Ruhnkenius Valckenarium: sed magis etiam posterius hoc tempus. Nam prius illud et breve fuit, et in extremos incidit Hemsterhusii annos, quos torpor senilis obscuravit. Nunc succedebat Valckenarii vigor, non nisi septem annis Ruhnkenio majoris, aetate nisi florente, certe vegeta et ad omne Literarum disciplinaeque munus efficaci. Et vero, quamquam haec Academia inde fere ab ipsius incunabulis una omnium Academiarum maxime antiquae venustatis ac Literarum altrix et fuit et habita est, maximosque in eo genere habuit heroës, Lipsium, Scaligerum, Salmasium, Gronovium, Perizonium; tamen numquam tantos in utraque simul cathedra doctores habuit: quos non vereor dicere, habita quasi aestimatione ingenii, doctrinae, copiae, elegantiae, acuminis, et universae Literarum criticaeque facultatis, subductis rationibus, factaque totius laudis summa, illis heroibus nullo modo postponendos, immo nonnullis nominibus anteponendos esse. Sed Ruhnkenii Valckenariique in pari fere laude dispar fuit ratio. Profecti ex eadem Hemsterhusii disciplina, hic in eam venerat ab Orientalium et sacrarum initiis Literarum è Schultensii et Venemae institutione: ille à Romanis Literis, Historiis, Jurisprudentia, è Ritteri Bergerique schola. In Graecis Literis haud facile dixeris quid alteri defuerit quod alteri adesset: et erat tamen quod alter altero magis tractasset. Uterque et

An-

tiquos Scriptores omnes ea, quam laudavimus, ratione, eorumque recentiores interpretes criticos et antiquarios legerat omnes. Sed erat naturarum, et ipsorum inter se, et magistrum, dissimilitudo. In Hemsterhusio ratio dominabatur, ad inventionem sensim et quasi comparandis calculis progrediebatur. In Valckenario fere omnia erant ingenii, subito et velociter ad inventionem ferebatur, caussarum momenta magis sentiebat quam ponderabat. Ruhnkenius mediam inter utrumque habebat naturam: aderat impetus ingenii, aderat quae impetum regeret ratio: nec disserendi diligentia cedebat magistro, nec conjiciendi solertia condiscipulo: utraque illa dote valebat profecta ex pari et acuminis celeritate, et judicii subtilitate. Valckenarii mira fuit sagacitas in Poëtarum fragmentis per omnia Antiquitatis monumenta dispersis ac latentibus investigandis, excitandis, instaurandis: quo in Critices munere primus excelluit Scaliger, tum Bentlejus: cui ut Valckenarius, ita huic proximus fuit Ruhnkenius. Hic non contentus editis Veterum libris, ineditos etiam consectabatur omnes: Rhetorum, Grammaticorum, Scholiastarum, glossas cognitas perspectasque habebat, earumque fontes et quasi successiones unus omnium maxime tenebat. Valckenarius minus aliquanto ineditorum cupidus librorum, editis fere contentus, omnem item ex iis omnibus materiam excerpserat, eamque praeterea retulerat ad interiorem Linguae, Dialectorum, Analogiae et originum scientiam, qua

ipsum adeo magistrum vel superaret vel certe aequaret. Idem in Critica etiam sacra, Historia Ecclesiastica, Patribus, valebat. Ruhnkenius, exceptis Patribus iis, qui aliquam cum doctrinae elegantia conjunctionem haberent, reliquum hoc genus leviter attingere maluerat, idque abunde compensabat Philosophorum, Interpretum Platonicorum et Aristotelicorum, Jureconsultorum, Historicorum, Antiquariorum, Numismatum et Inscriptionum, cognitione. Neuter tam praeclarum quid ediderat, quin alter, quoad naturarum diversitas ferebat, idem facere potuisse videretur, si eodem in argumento laborem operamque ponere voluisset: nec dubium erat quin alter alterius cathedram ornare posset, si ei obtigisset. Hujus rei documentum Ruhnkenius facto et scriptis dedit: Valckenarius ut daret, locus tempusque non postularunt. Latinos Scriptores hic omnes legerat, indeque quidquid ad Graecos pertineret Scriptores illustrandos collegerat: Ruhnkenius, si quidem ea erat ei et muneris professio et juvenilis disciplina, uberius et ad interiorem criticamque rationem, in eoque genere princeps exstitit, quae ejus praecipua est laus: et Graecas, et Latinas Literas tamquam *ἔργον* et finem tractabat: Valckenarius Latinas ut *πάρεργον*, certe magis ut adjumentum, quam ut finem. Igitur, ut in robustissimorum pari athletarum, quorum alter est *ἀμφιδέξιος*, aeque manu valens utraque, alter dextera magis quam sinistra, summa tamen mensuraque virium in utroque aequa-

qualis constare videtur: ita hi viri, si in certamen invicem descendissent: quamquam ea erat in utroque et animi magnitudo, et mutua benivolentia, ut concertationis aut rivalitatis ne minima quidem in eorum mentibus vel cogitatio vel suspicio exsisteret: sed tamen si in certamen descendissent, in Ruhnkenio apparuissent et vires et concinnitas agilitasque in motu, quibus adversarium urgeret: Valckenarius suo ipse se pondere ac robore tueri, omnemque adversarii impetum confutare videretur.

Hoc in materia, majus etiam in forma erat discrimen. In scribendo explicandaque doctrina Ruhnkenius adhibebat delectum, ordinem, certam in rebus disponendis ac disserendo rationem; unde in omnibus ejus scriptis legenti, quasi lux quaedam, oboritur perspicuitas intelligentiaeque facilitas: harum dotum Valckenarius nec rationem habebat, nec fructum consequebatur, expromendis reconditae doctrinae copiis unice contentus. Porro Ruhnkenius illi, de qua diximus, perspicuitati adjungebat Latinae orationis bonitatem, elegantiam, suavitatem, lumina, omnino eloquentiae commendationem; ut ejus scriptis nil in hoc genere sit vel jucundius lectu, vel magis ad alliciendum tenendumque studium legentis efficax; isque unus in paucis eorum sit, qui criticum argumentum scribendi dote exhilararent. Valckenarius Latinae orationis castitatem et elegantiam nec spernebat, nec prorsus negligebat, numquam ta-

men in ea assequenda praecipuum quoddam studium posuerat; igitur in scribendo neque curae multum neque temporis formandae ornandaeque orationi tribuebat, verbis magis rarioribus ac poëticis quam propriis et usitatis delectabatur, et compositio fere dura impeditaque exibat; vix ut crederes, tantam in eo esse ingenii celeritatem. Huc accedebat alia diversitas. Valckenarius, ut magis etiam Hemsterhusius factitaverat, multos legebat hodiernos libros, et Belgicos et Francicos: Ruhnkenius etiam Italicos, Anglicos, Germanicos, sed paucissimos, nec fere nisi eos, qui cum ipsius professione conjuncti essent, idque et breviter et celeriter, nec ad illas linguas discendas, sed ad res cognoscendas: à Germanice loquendi facultate desueverat, Belgicae Francicaeque linguae hactenus assueverat, quatenus satis esset ad quotidianum vitae communis usum: omnem scribendi diligentiam in una ponebat Latina oratione: et cum illa consuetudine, tum sua natura, id consecutus est, ut, quod ab initio diximus, immunis ab hujus saeculi labe, aurea Latinarum aetate Literarum in Latio natus institutusque videretur.

Sed haec erat eorum in scriptis diversitas: omnia in dicendo et agendo aliter apparebant. Ruhnkenii excellens orationis virtus minus agnoscebatur: non deerat dignitas in corporis forma, habitu, gestu, motu: aderant laterum vires, vox etiam aderat ampla cum robore et impetu; deerat vocis

va-

varia tractatio et soni suavitas, atque ita deerat, ut reliquis eloquentiae dotibus officeret. Valckenarius quum semel os ad dicendum aperuisset, nil jam in compositione impeditum, difficile, tortuosum apparebat: non quin adesset, sed quod naturali quadam àgendi ac pronunciandi efficacia expeditum, facile, planum, redderetur: verba inusitata et poëticae dictiones jam decebant et ornabant prosam orationem. In vultu et oculis ea erat severitas ac sapientiae significatio, quae audientem exspectatione erigeret: vox gravis, sonora, magnificentiae plena, ex intimo quasi pectoris fonte deprompta volvebat orationis flumen crebrum cum altis animi sensibus, tum sententiarum et luminibus et acuminibus, ut vere illud diceres, *Fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore* (48): et cum per totam orationem audientes attentos et ex ore ipsius suspensos teneret, tum eos quasi tormento sententiae subinde percellebat. Memini me aliquando eum dicentem ita audire, ut, cum auferrer continuo orationis flumine, ad Euripideam (49) illam sententiam, quam Latine, nec nominato auctore pronunciabat, *Deus tacito ingre-*

(48) Horat. Carm. IV, 2, 8.

(49) In Troadibus, 886, celebratam à posteris:

Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν,
Προσηυξάμην σε· πάντα γὰρ, δι' ἀψόφου
Βαίνων κελεύθου, κατὰ δίκην τὰ θνητ' ἄγεις.

grediens vestigio, secundum justitiam res tractat humanas: hoc igitur memini ab eo ejusmodi affectu, eo oculorum quasi ardore pronunciari, ut veluti à Deo missum vatem et audire mihi et videre viderer, et, quod apud Poëtam (50) dicitur, *gelidus mihi per ossa curreret tremor.* Sed eamdem orationem legeres, nil jam sentires, frigeres: sensuum sententiarumque vim labefactabat dictionis compositionisque cum negligentia tum difficultas. Igitur Ruhnkenius lectus, Valckenarius auditus, magis placebat.

Caeterum in quotidiana vitae consuetudine quum uterque suus nec alienus esset, nil affectationis haberet, mores, incessum, gestum, et omnino externum habitum ad nullius cujusquam, quem imitari vellent, exemplum componerent, sed naturae ipsi suae obsequerentur; ita hominum tamen, qui eos non interius noscerent, diversa erant de utroque judicia. In Valckenario, ut fere in Hemsterhusio et Ernesto, natura omnia ad gravitatem finxerat; ut jam in juvene esset senilis forma: in Ruhnkenio contra, ad communem sensum ac facilitatem; ut, quod volebat, unus è multis videretur, et adhuc in sene juvenilis exstaret species. Itaque fiebat, ut vulgus, qui fere opinione et externo habitu movetur, Ruhnkenium Valckenario minus doctum putaret. Uterque praeju-

(50) Virgil. Aen. II, 120, *gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor.*

judicatas vulgi opiniones et gloriolae vanitatem contemnebat: Valckenarius alto etiam animo eas despiciebat, et oratione exemploque ipse suo confutabat; unde factum est, ut numquam corporis vultusque sui imaginem pingi fingique voluerit; Agesilai (51) auctoritatem sequens vetantis amicos, ne ipsius facerent μιμηλὰν γραπτὰν ἢ πλαστάν. Ruhnkenius hoc in loco facilior indulgentiorque erat; ut, paucis ante obitum annis, amicorum precibus victus, pateretur imaginem suam pingi, et aere excusam in vulgus edi. Ruhnkenii per totam fere vitam, ut Socratis idem erat animus, idem vultus. Valckenarius, quod magnis praesertim et heroicis ingeniis accidisse constat, nonnumquam intemperie quadam afficiebatur, quam μελαγχολίαν Graeci vocant, ut per aliquod tempus excitatior ferretur, tum ad se rediret, subtristis quasi ac taciturnus: naturae suae et consuetudini restituto admirabile inerat temperamentum gravitatis et jucunditatis, ut nil eo amabilius diceres. Neque tamen utriusque aut haec, aut reliqua, naturarum diversitas amicitiam eorum turbabat; quum uterque sibi eumdem proponeret virtutis ac doctrinae finem, alter alterum Literarum caussa magni faceret, hujus judicium et constantia voluntatem ingeniumque illius in mutua benivolentia retineret.

Proximus ab eo, quo Hemsterhusius obiit, annus

(51) Plutarch. Vita Agesil. p. 596, F, et alibi.

nus Ruhnkenii (1767.) periit Literarum studiis, quippe occupatus munere Rectoris Magnifici: hoc enim est nomen Professori quovis anno magistratum et fasces Academiae habenti. Ruhnkenius, vivo adhuc Hemsterhusio, constituerat eum aliquando mortuum scripto laudare. Jam ejus rei tempus et opportunitas sequente deinceps anno, Februarii die octavo, incidit oratione habenda more majorum Rectori abeunti illo magistratu. Huic orationi Ruhnkenius argumentum fecit Hemsterhusium. Atque hoc est illud *Hemsterhusii Elogium*, quo nil in omni elegantis doctrinae et eloquentiae genere recentior aetas perfectius absolutiusque vidit. Nam quum perfectam Critici formam in Hemsterhusio spectandam sibi proposuisset, ita ejus ingenium, doctrinam, animum, mores, explicuit, ita Criticae vim praestantiamque declaravit, ita nativa illa ipsique propria Latinae orationis castitate ac venustate rem argumentumque illustravit; ut, quum dubitemus, plusne sit in ea scriptione, suavitatis, leporis, pulcritudinis, nitoris, an prudentiae, gravitatis, dignitatis, majestatis, jucundiorne sit lectu an fructuosior exemplo et institutione, illud non dubitemus affirmare, vere aureolum esse libellum, in quo formando et Musae omnes et Gratiae conspirasse videantur.

Eodem anno edidit Rutilium Lupum de Figuris Sententiarum, cum Aquilae Romani et Julii Rufiniani de eodem argumento libellis. Rutilii opu-

opusculum, ex opere Graeco nunc perdito Gorgiae, ejus quem M. Cicero filius magistrum eloquentiae habuit, Latine versum fere negligebatur adhuc ab hominibus doctis, quamvis laudatum illud subinde à Quinctiliano, ac probandum et orationis bonitate et praeceptorum diligentia, tum vero magni aestimandum frequentia exemplorum Latine redditorum è Graecis Oratoribus, non solum Demosthene, Lysia, Hyperide, Dinarcho, Lycurgo, quos veteres Grammatici in decem classicis censuerunt Oratoribus, sed vero etiam ex Hegesia, Demetrio Phalereo, Charisio, Demochare, aliisque ex illo classicorum censu exclusis. Aliquanto minoris sunt momenti Aquila Romanus, rhetor è saeculo secundo extremo aut tertio, qui ex Alexandri Numenii superstite nunc libello nomina ac definitiones Figurarum sumsit, suppositis in exemplorum Graecorum locum Latinis: et Julius Rufinianus è Constantini aevo, qui exempla non fere habet nisi Ciceroniana et Virgiliana: quos Ruhnkenius et propter argumenti similitudinem, et priorum editionum auctoritatem, adjungendos Rutilio censebat. Ergo hanc Rhetorum editionem ita ornavit, ut quivis unus harum rerum peritus intelligeret, neminem nisi à Graecarum scientia Literarum profectum, nedum istos harum ignaros, Ruhnkenii obtrectatores, aut simile quidquam proferre, aut omnino Latinarum Literarum muneri professionique satisfacere posse. Principio, horum de Rhetorum rebus ac scriptis,

ptis, antea fere ignoratis, in praefatione docte exquisiteque exponitur. Deinde ipsi libri ita tractantur, ut loci et corrupti acute emendentur, et obscuri docte illustrentur, et manifesto appareat Ruhnkenium in Latinis item Literis eadem, qua in Graecis, valere critica cum facultate tum doctrina, nullum non veterem Scriptorem Latinum, nullum non recentiorem Criticum et Grammaticum ab eo lectum, pertractatum, excerptum esse. Denique, quum interpretis et editoris partes provinciamque ita explevisset, ut accessioni nullus relictus esse locus videretur, cumulavit etiam munus praeclara illa et singulari Historia Critica Oratorum Graecorum. Cujus quod fuerit consilium, quae caussa, utile et jucundum sit elegantis accurataeque doctrinae studiosis cognoscere.

Nam apud Graecos tempore adhuc Solonis, sexcentis ante vulgarem aeram annis, libri erant et pauci et rari, et hi fere oratione carmine ac numero ligata: docti, qui fuerant, homines, magis suo ipsi ingenio, studio, experientia, quam librorum lectione, exstiterant. Deinceps accedente prosae scriptione, utriusque orationis scriptores indies prodierunt multi: et crescente paulatim legendi scribendique studio, jam Aristotelis ac Demosthenis, et omnino Alexandri Macedonis, aevo, tantus ferebatur librorum numerus, ut eorum cognitio, interpretatio, censura, peculiarem postularet doctrinam et quasi provinciam, quam Grammatici et Critici sibi vindicabant. Porro, Grae-

cis

tis Literis totam obtinentibus Asiam et Aegyptum (52), constituendis instruendisque bibliothecis, cum aliis multis in locis, tum Alexandriae et Pergami, invalescente quotidie scribentium numero, ingens librorum cum multitudo tum varietas, obesse magis quam prodesse bonis Literis et Eloquentiae videbatur. Quod ut caverent detrimentum, duo summo ingenio et infinita doctrina Critici, Aristophanes Byzantius et Aristarchus, centum fere et quinquaginta post Alexandri aevum, totidemque ante nostram aeram annis, illam librorum multitudinem certo numero circumscribendam duxerunt, et veluti censu agendo cujusque generis optimos quosque Scriptores in suas classes redegerunt: quibus inde *Auctorum classicorum* nomen additum est; quippe qui soli justae classis auctoritatem obtinerent, quae tamquam lex et norma bene scribendi valeret. Igitur in hunc ordinem relati sunt (53) *Poëtae Heroici*, Homerus,

(52) Quae per Alexandrum ejusque successores Graecis colonis frequentatae sunt. Nam qui antea jam fuerant Graeci incolae in Sicilia, Italia, et maritima ora Asiae, Africae, Galliae, Hispaniae, aut aliis in regionibus, hos à nobis non excludi à communione Literarum, per se patet: nec moneri necesse erat in ipso libro. Hac annotatione monemus, tironum caussa.

(53) Hunc Scriptorum censum exhibuit Ruhnkenius in Historia Critica Orat. Gr. p. 94. sequens Quinctilianum Instit. Orat. X, 1: Grammaticum Bibliothecae Coislinianae

 p. 597,

rus, Hesiodus, Pisander, Panyasis, Antimachus: *Jambici*, Archilochus, Simonides, Hipponax: *Elegiaci*, Callinus, Mimnermus, Philetas, Callimachus: *Lyrici*, Alcman, Alcaeus, Sappho, Ste-

p. 597, quem repetiit J. A. Fabricius B. G. Vol. IX. p. 599: et Proclum Chrestomath. p. 340, seq. qui non nisi Poëtarum quaedam genera recenset. Nemo, quod sciam, Veterum hunc catalogum, qualis ab Aristophane et Aristarcho confectus erat, nobis servavit, aut hos diserte auctores catalogi prodidit. Unus Quinctilianus ita de iis loquitur, ut non nisi per conjecturam colligatur, eum in enumerandis Scriptoribus crisin et catalogum illorum sequi: et tamen duobus locis ea dicit, quibus fere in eam opinionem ducaris, duumviros illos non nisi Poëtarum censum habuisse. v. c. p. 893, *Aristarchus atque Aristophanes, poëtarum judices, neminem sui temporis in ordinem redegerant.* et p. 895, — *tribus receptis Aristarchi judicio Scriptoribus Jamborum.* I, 4, p. 38, bipertitam facit Grammatici professionem, *recte loquendi scientiam et Poëtarum enarrationem:* quibus subjicit duas alias partes, *emendatam lectionem, et judicium: quo quidem ita severe usi sunt* (inquit) *veteres Grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subdititios summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.* Hoc loco item dubium videatur, utrum *auctorum* nomine solos Poëtas significaverit, an prosae Scriptores quoque complexus sit. Hoc tamen probabilius videtur. Proclus quidem l. l. et Isaacius Tzetzes in Prolegomenis ad

Stesichorus, Pindarus, Bacchylides, Ibycus, Anacreon, Simonides: *Tragici*, Aeschylus, Sophocles, Euripides, Jon, Achaeus: *Comici* anti-

quae

ad Lycophronem, solos Poëtas recensent: sed utriusque hoc erat propositum. Constat Grammaticos in scholis non solum Poëtas sed prosae Scriptores enarrasse. Callimachus Democriti scriptis criticam grammaticamque operam tribuit: et alios clarissimos quosque recensuit: vid. Jonsius Scriptor. Hist. Phil. II, 5. Diomedes Lib. II. p. 421, Grammatico non solum *Poëtas* sed et *Scriptores*, id est, eos qui prosa oratione scripserunt, subjicit, auctorem, puto, sequens Varronem. Judicium est κρίσις et censura; qualem prodiderunt etiam praecipui rhetores: et praeter Quinctilianum, Dionysius Halicarnasseus, Opp. Rhet. p. 122, sequ: et Hermogenes de Formis Orat. II, 5: uterque veterem Grammaticorum in *Poëtis*, sed magis in *Scriptoribus*, censum secutus est. Aristophanem Byzantium quidem in Philosophorum etiam censura ac judicio versatum esse, inde colligitur, quod Platonem in Trilogias distribuit, teste Diogene Laertio, III, 61: et quod Epicuri stilum reprehendit, eodem teste, X, 13. Credam igitur, fuisse quidem antiquitus talem canonem Auctorum ab Aristophane Byzantio et Aristarcho confectum, sed eundem sensim ita auctum et mutatum à sequentibus Grammaticis, ut quid illorum duumvirorum, et quid cujusque sequentium esset, non amplius appareret. Caeterum, in Ruhnkenii indice p. 94, nescio quo casu, omissi sunt Philosophi: quorum tamen rationem habuerunt Dionysius Halicarnasseus, Quinctilianus, et Hermogenes.

quae Comoediae, Epicharmus, Cratinus, Eupolis, Aristophanes, Pherecrates, Plato: *mediae*, Antiphanes, et Alexis: *novae*, Menander, Philippides, Diphilus, Philemon, Apollodorus: *Historici*, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Theopompus, Ephorus, Philistus, Anaximenes, Callisthenes, Clitarchus: *Oratores*, decem Attici, Antiphon, Andocides, Lysias, Isocrates, Isaeus, Aeschines, Lycurgus, Demosthenes, Hyperides, Dinarchus: *Philosophi*, Plato, Xenophon, Aeschines, Aristoteles, Theophrastus. At hic ordo jam illum, ut credibile est, in modum ab Aristophane et Aristarcho constitutus, à posteris etiam aliorum nominibus Scriptorum auctus, ita in Oratoribus auctoritatem obtinuit, ut non nisi decem illi haberentur classici, reliqui, et Oratores, et omnino Scriptores, in illum ordinem non assumti, paulatim vulgo in oblivionem abirent, nec nisi eruditiorum Grammaticorum Rhetorumque cognitione studiisque retinerentur, suum sibi judicium sequentium, et non minus ab exclusis quam classicis exempla sumentium: quorum è numero fuit Gorgias. Omisso Antiphonte, de quo antea (a. 1765.) doctum juvenem Petrum van Spaan, edita singulari dissertatione (54), disputantem ipse praeses produxerat: omisso igitur Antiphonte, Oratorum, quorum scripta in [illegible] il-

(54) Disputationem recusam adjecit Reiskius editioni Oratorum Atticorum Vol. VII, p. 795.

illa Historia recensuit, sunt ad quinquaginta, singuli per singulas disputationes, quamvis breves, tamen suis numeris absolutas, descripti. Harum unam nominasse satis sit, eam de Andocide et Phaeace, in qua disputatur adversus Jo. Taylorum. Hic Andocidi Orationem adversus Alcibiadem abjudicare, Phaeacique adjudicare conatus erat tantis ingenii doctrinaeque adhibitis praesidiis, ut sententiam Hemsterhusio probaret: Ruhnkenius non minore ingenio doctrinaque, majore etiam acumine et subtilitate, rationes Taylori confutavit, ut assentientem haberet Valckenarium, et habiturus etiam fuisset Hemsterhusium, si is adhuc vixisset. Ergo et in hoc Ruhnkenius princeps exstitit doctrinarum genere, quod unum est ad ingenii fructum et cognitionis suavitatem uberrimum: *Historiam Literarum* dico, quae in rebus et libris Veterum Scriptorum recensendis versatur. In hanc quum ab omni tempore multi involaverint compilatores, qui non dubitarent de Scriptoribus garrire, quorum scripta non legissent; paucissimi fuerunt, qui eam cum propriae doctrinae copiis et facultate tractarent. Quorum è numero principes censendi sunt quatuor. Nam, ut Jo. Meursius priores omnes diligentiae laude superavit, ita mox plus aliquanto judicii attulit G. Jo. Vossius: plus etiam Jo. Jonsius, omnes et majores et minores superaturus, si vita ei longior obtigisset: denique illorum copias suis auxit, totamque materiam explicuit, duplici in primis ope-

opere Bibliothecae cum Graecae tum Latinae, J. A. Fabricius, eoque sane unus omnium hoc saeculo doctorum hominum de harum Literarum incrementis studiisque optime maximeque meritus. His jam quintus accessit Ruhnkenius scripta Oratorum Graecorum Critica Historia. Et quandoquidem hi fere Attici fuerant Oratores, constituebat Rhodiorum item et Asiaticorum historiam eadem ratione persequi: jamque apparatum instruere adgrediebatur: porro Fabricianum utrumque opus denuo edere, ac supplementis animadversionibusque locupletare destinabat: et destinatum perfecisset, si vel alius eum ad opus urgendum incitasset, vel ipse suo judicio non ad alia opera dudum affecta perficienda revocatus fuisset (55).

Venio nunc ad illud tempus, quo nostra exstitit conjunctio, quum ego Ruhnkenio adhuc ignotus me ipse conciliavi scripta ad eum *Epistola Critica in Julianum, Eunapium, et Aristaenetum*, Goettingae, anno h. s. sexagesimo et nono: quae notitia sensim ad consuetudinem, familiaritatem, et intimam amicitiam crevit. Fuit enim Ruhn-

(55) Quum discipulos Literis strenue operantes, illo tempore plures haberet, unus Joannes Enschedéus, disputationem de Tutelis et Insignibus Navium, ejus auspiciis, et scripsit, et publice defendit, anno 1770. Sed de Enschedéo satis est quod diximus Bibliothec. Crit. Vol. III. P. IV. p. 90.

Ruhnkenius mihi, ut ipsi Hemsterhusius, novae veluti vitae auctor: atque ut ipse magna fuit mei pars, ita ego nonnulla ipsius: et in ipsius vita narranda me mei ipsum mentionem praetermittere ut alienum est à proposito, ita apud plerosque vel animi ingrati, vel intempestivae modestiae notam subeat. Nec tamen amplius de me dicam, quam ad Ruhnkenii res cognoscendas pertinet: quandoquidem de initiis studiorum meorum alio in libro tantum dixi, quantum temporis locique illius ratio postulabat.

Ego undeviginti annos natus, lecto Xenophonte, ad alterum Socraticae suavitatis fontem accedens Platonem, mirifico quodam hujus studio capiebar, non solum ut legendo satiari non possem, sed ut animadversiones etiam in plerosque Dialogos, pro meo quidem captu illas et juveniles, sed, quoad ejus fieri posset, diligenter conscriberem, haud secus ac si scholas in Platonem habere constituissem. Hoc dum ago, venit forte ad me familiaris meus et amicus J. M. Hassenkampius, is qui superiore anno (1797.) in Rintelensi Academia Professor diem obiit, haud mediocri sane et meo cum dolore, et eruditioris Theologiae detrimento: is igitur ad me veniens libellum adfert, de cujus nec auctore nec editore adhuc vel in libris legeram, vel fando audiveram, *Timaei Lexicon Vocum Platonicarum cum animadversionibus Davidis Ruhnkenii:* narrat, se hunc sibi libellum comparasse ea opinione et spe, ut per

cum juvaretur ad intelligentiam Dialogi Timaei, quem cognoscendi Platonis caussa legere instituisset: sed Dialogum quidem Timaeum non dilucidiorem reddi ope Lexici Timaei, et singularem habere difficultatem atque insolentiam rationum Mathematicarum: „ his, inquit, difficultatibus fatigatus à Platonis lectione destiti: igitur hunc libellum tibi do, cui forte plus utilitatis adferet, quippe qui totum Platonem legere adgressus es." Et erat ingeniosissimus juvenis Hassenkampius, Linguae Graecae peritus ad eum finem ut legendis Scriptoribus res ac sensum facile assequeretur, et vero Mathematicis studiis probe exercitatus, sed nimirum in eo deceptus, quod legendi Platonis initium non à Grammatica interpretatione, deinde quod à Dialogo Timaeo, duceret. Ego libellum ut in manus accipio, ita evolvo: miror commentarios amplos et eruditos, quales numquam videram: quaero voces mihi notas et à me meis in animadversionibus tractatas: paucas invenio: sed quas invenio, eas video ejusmodi ratione expositas, ea luce illustratas, qualem quantamque adhuc non cognoveram. Tum vero intelligere coepi non solum per se ipsam fructuosam esse Platonis lectionem ad mores, animum, ingenium, orationem, disserendi elegantiam, interiorem Philosophiae et Literarum Graecarum cognitionem: sed vero longe fructuosissimam ad omnes posteros et Graecos et Latinos Scriptores recte intelligendos, quippe per hos omnes et per universum antiquarum

rum doctrinarum orbem longe lateque diffusam. Inde per complures deinceps annos Timaei Lexicon mihi fuit enchiridion, quod è manibus numquam ponerem, cujus mihi tamquam instrumento Platonis cognitionem patefacerem. Nam hujus acriori in dies studio incitabar, ut eum jam non solum animi sensu amarem, sed ratione judicioque diligerem. Ruhnkenium autem et amabam, propter communem Platonis amorem, et diligebam propter doctrinae fructum quotidie ex ejus Timaeo perceptum: Ruhnkenium dies noctesque cogitabam: Ruhnkenium in oculis ferebam: Ruhnkenium, ut unicum doctorem et alterum patrem, colebam ignotus, et subinde legens ejus animadversiones, cogitationi ipsi meae indulgens, coram cum eo colloqui mihi videbar; mox à mentis errore ad me rediens illud usurpabam,

Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? cur dextrae jungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces (56)?

Igitur non diutius vanum desiderium ferens, in animum induxi primo quoque tempore me ad viri notitiam proferre, scribendo ad eum edendoque libello. Sumsi Julianum, mox Plutarchum, aliosque illius aetatis Philosophos et Rhetores, quos ex Antiquis, in primis Platone, emendarem, exemplo ipsius Ruhnkenii in Animadversionibus ad Timae-

(56) Virgil. Aen. I, 407.

maeum proposito. Biennio postea Goettingam veni, operaeque pretium feci, cum legendis Graecis Scriptoribus Scriptorumque editionibus iis, quibus adhuc aegre carueram, tum vero etiam conciliando meis studiis Heynio: qui, quum consilium ei aperuissem meum, me currentem incitavit, narrans quid ipsi officii gratiaeque cum Ruhnkenio intercederet: addens, se per literas meum ei libellum commendaturum: idque mox praestitit. Caeterum Ruhnkenius et nondum viso meo libello, ad literas meas humanissime respondit: et accepto lectoque, adeo mihi amanter scripsit, adeo ad laudem honorifice, adeo omni mea spe, opinione, merito, cumulatius, ut nil supra esse posset. Saepe in memoriam redeo ejus diei, quo die has accepi literas: ut eas legi, relegi, exosculatus sum: ut me per complures deinceps dies insolitus quidam nec stupori dissimilis, fatebor enim, placidae voluptatis affectus tenuit. Nec mirum. Diuturna quatuor annorum exspectatione, et quasi animi contractione, subito solvebar. Neminem adhuc habueram, qui meam operam agnosceret: paucos parcosque laudatores: multos mei studii reprehensores, ut inutilis ad vitae usum: omnem spem reposueram ad illud tempus, quo meam operam Ruhnkenio, Valckenario, horumque simillimis viris probassem, hujusque laudis exspectatione omnem et laboris mei aerumnam et imperitorum reprehensionem toleraveram. Nunc exspectatum illud tempus aderat, et uberrimum laudis animique fructum adferebat.

Pro-

Proximo anno (1770.) Lugdunum veni. Quis meus fuerit sensus ad Ruhnkenii Valckenariique adspectum, quos absens ut Deos colueram, dictu est difficile: difficilius etiam, quae mea fuerit admiratio, quum tantam divinitatem cum tanta humanitate conjunctam viderem. Cognoveram antea aliis in populis Professores, qui apud discipulos et indoctiores, saepe etiam apud aeque doctos ac doctiores, gravitatis et reconditae cujusdam sapientiae speciem affectarent. Tales ego homines numquam ferre poteram. Sed tamen, mecum ipse cogitabam, si ferendi sunt isti mores, in solis eos feram Lugdunobatavis duumviris: his concedam; hi si faciant, sumant superbiam quaesitam meritis. At nil quidquam istiusmodi in horum inerat moribus, nil supercilii, nil simulationis, nil nisi verum, simplex, modestum, nil non ad civilem et communem aequalitatem exactum, quam nemo ignorat, nemo non amplectitur, qui ex Veterum scriptis verum sapientiae fructum quaerit. Quae utriusque viri in me exstiterint beneficia cum doctrinae, tum amicitiae, referre longum est. Lugduni annum fui, ventitans in eorum scholas, caeterum instruens editionem libelli Plutarchei De Sera Numinis Vindicta, libris nondum lectis legendis, et hujus bibliothecae scriptis codicibus conferendis. Interea Remonstrantium Societas quaerebat qui Amstelodami in illorum schola, magnorum sane Doctorum nominibus celebri, Literarum Philosophiaeque professionem susciperet. His ut

mihi eam offerrent, mihique ut oblatam acciperem, persuadent duumviri. Quam cathedram quum per octo annos tenuissem, in aliam traducor Philosophiae in Illustri Amstelodamensium Athenaeo instauratae (1779.): eamque sexto anno (1785.) item commuto cum Literarum et Historiarum in eodem Athenaeo cathedra: post illum decimo quarto, altero post Ruhnkenii obitum, anno, hoc ipso nonagesimo nono, Lugdunum migro successor mortuo illi, cui vivo saepe collega destinatus invitatusque fuissem. Ac per totum illud Amstelodamense tempus, quum Amstelodamum primo patriaeque loco mihi esset, ubi nil desiderarem eorum quibus literati hominis otium ac felicitas censeretur: Lugdunum, una ex omnibus reliquis Batavae terrae urbibus, secundo mihi loco fuit, quam et amarem, ut studiorum meorum altricem et lubenter inviserem, ut magistrorum meorum, amicissimorum virorum, stationem ac domicilium.

Caeterum, quae ante meum in hanc terram adventum fuerunt Ruhnkenii res, has cum ex ipsius, tum ex aliorum, sermonibus acceptas et memoria custoditas retuli: quae postea secutae sunt, earum ipse testis fui. Versabatur tunc in animadversionibus ad Xenophontea Socratis Memorabilia et Longinum conscribendis: his Toupii, illis Ernesti in gratiam. Igitur et me sui caussa hos libros relegere, et si quid novae emendationis interpretationisve peperissem, cum ipso communicare,

jus-

jubebat. Feci: measque notulas ita ei tradidi, ut suo ipse judicio, nulla mei facta mentione, iis uteretur. Sed de ejus in Longinum animadversionibus postea dicemus: nunc de Xenophonteis verbo monendum videtur.

In plerorumque Veterum Scriptorum exemplis ad marginem cujusque loci notare solebat, cum suas, tum magis etiam aliorum emendationes, quae in illa editione non essent memoratae. Xenophontem peculiari quadam cura tractaverat, et in margine exempli Leunclaviani non modo illius, de quo diximus, generis annotationes scripserat, sed etiam omnes Grammaticorum ac fere Scriptorum locos notaverat, qui locos Xenophontis attigissent. Igitur ad Veteres plerosque Scriptores tractandos etiam si subito accederet, numquam imparatus accedebat. Porro Ernestum vehementer diligebat, cum quod ab illo ipse diligeretur, tum quod eos quaedam animi et elegantis doctrinae similitudo conjungeret: et quandoquidem is Xenophontea Memorabilia saepius edidisset, sed pro more ipse suo et levi apparatu; cupiebat Ruhnkenius Ernestum nova editione operae pretium facere suaeque ipsum existimationi apud peritos quidem judices consulere, eique, ad ornandam novam editionem, varias codicum scriptorum lectiones et suas ipse animadversiones submittebat: porro Valckenario persuadebat, ut et ipse suas annotationes adjungeret. Sed hoc negotium similem fere, atque in Callimachea editione, habuit exitum. Nam Valckenarius

rius dum Xenophontis locos attingebat, simul reprehendebat Ernestum, idque candide et simpliciter, sicubi eum in priore editione errasse deprehenderet: itaque correctiones non magis in Xenophontem, quam in Ernestum, scribebat, sperans ea se diligentia bonam potius quam malam apud hunc gratiam initurum. Quod paulo secus evenit. Haec Ernesto censura minus grata accidebat: parum aberat quin totam Valckenarii operam ab instituta editione excluderet. Ruhnkenii tamen arbitrio factum est, ut partis, qua ipse corrigeretur, rationem haberet quantam ipse vellet, omissa Valckenarii mentione: at sub hujus nomine adderet libello reliquas annotationes, quae ad ipsum Xenophontem referrentur. Hae igitur unde ad hanc paucitatem ac brevitatem redierint, jam intelligitur. Ab illo tempore Valckenarium inter et Ernestum, quamquam nec antea fuerat amoris ardor, magis etiam fuit frigus et suspicio: quae ne sensim in majorem animorum disjunctionem abiret, mutua et cum utroque communis Ruhnkenii benivolentia effecit: qui naturali illa ipsique propria facilitate ac liberalitate utriusque erga ipsum amorem amicitiamque perpetuo retinuit. Adolescens utrumque ornaverat sibique conciliaverat inscribenda cuique Epistola Critica. A Valckenario nil retulit ornamenti: nec inique tulit, vere judicans non voluntatem illi, sed opportunitatem defuisse. At retulit ab Ernesto, qui (1762.) ad eum scripsit *Narrationem de Vita J. M. Gesneri*, repetis

titam posteà in illius *Opusculis Oratoriis.* Cumque multae sint Ernesti hoc in genere scriptiones, per quas multorum civium suorum memoriam posteritati commendavit, eaeque omnes doctrina, ratione, oratione, egregiae: haec una inter omnes excellit eo nomine, quod in his Literis non modo à principe, sed de principe ad principem, scripta est.

Ad hoc usque tempus, quo primo Lugdunum veni, Ruhnkenio sospes fuit et incolumis domus. Uxor adhuc florebat formae integritate: duae erant festivissimae filiolae ad praeclaram maturitatis spem succrescentes. Ruhnkenius vulgo felix habebatur pater. Ecce! unius anni proximi (1771.) fatalis quaedam calamitas illam felicitatem in perpetuum afflixit. Uxor tentatur aqua intercute: minor filia cum vitae periculo aegrotat: hac restituta, pater gravi morbo corripitur: è quo vixdum convaluerat, quum uxor apoplexiâ quassatur, quae loquendi eam facultate, denique visu, privat: mox minor filiola et ipsa oculorum sensum penitus amittit. In tanta mali atrocitate, carissimorumque capitum clade, quis non pater aut mente concidisset, aut moerore extabuisset, aut certe dolori succubuisset? Ruhnkenium naturalis quaedam corporis nervorumque firmitas, et illa, de qua saepe diximus, animi facilitas aequitasque sustentavit. Principio ad repentinum quasi fulminis ictum attonitus, stupore defigitur. Unde quum ad se ipsum et consueta vitae negotia rediisset,

ejus-

ejusdem stuporis subinde incidunt reditus, qui eum inter docendum adeo è frequenti discentium auditorio abire cogunt. Paulatim spes eum erigit restituendae uxoris et filiolae, quamquam vana illa; nam exhausto consumtoque omni remediorum usu et experimento, utraque in eadem clade hodieque vivit: sed tamen spes eum erigit: huic succedit ratio, denique tempus et consuetudo, in quibus lenissimam efficacissimamque doloris medicinam aegris mortalibus constituit optima parens natura, ejusque sapientissimus auctor Deus. Ruhnkenius suae sensim sorti assuescit, uxoris filiolaeque cladem integritate et flore majoris filiae compensat, intermissa Literarum studia repetit, renascentem subinde dolorem suavitate doctrinae abstergit.

Et quasi fortuna omnia experiretur quibus Ruhnkenii constantiam labefactaret, sub idem ei tempus alias objecit aegritudinum caussas, leviores quidem, sed tamen haud mediocris illas momenti ad deprimendum animum, si ad graviorum pondus calamitatum accesserint. Homines quidam docti, partim inimici, partim laudum ejus obtrectatores, in libris publice editis cum acerbitate et malevolentia in eum invehebantur. Erat illorum temporum aequalis Christianus Adolphus Klotzius, homo perelegantis, sed inquieti et contentiosi, ingenii: qui per libellos cum Burmanno bellum gerebat, sociosque sibi Ernestum et Ruhnkenium adjungere cupiebat: quorum in utroque frustra

fuit,

fuit. Ruhnkenius, quamquam à Burmanno laesus, tamen nec bellum volebat, nec vindicem adolescentem recens evolantem, in quodvis argumentum et quosvis homines involantem, ipse jam veteranus et accuratae doctrinae, tamquam gravis armaturae nec velitariae, ordinem ducens. Huc accedebat, quod ipsius amico, Jacobo Frederico Heusingero, aliquid inimicitiae, ut supra dixi, cum Klotzio suberat. Igitur hic non desinebat Ernestum et Ruhnkenium lacessere: erat enim eo ingenio, ut medios etiam, ac neutram partem sequentes, hostium numero haberet. Uterque tacebat. Norant enim, se nulla re alia nisi silentio ulcisci posse hominem, qui quovis pacto in alterutram partem, sive amicus sive hostis, nominari ac memorari vellet, neque quidquam iniquius ferret quam taceri se nullamque sui rationem haberi. Igitur scripsit alicubi, Ernestum nullo in numero esse Criticum, qui nil nisi *notulas adspergere* Auctoribus sciret: hanc enim dictionem Ernestus in titulo Homericae editionis posuerat. Ruhnkenii autem reprehendendi occasionem arripuit prodenda in Actis Literariis iniqua et malevola censura Amoenitatum Literariarum Medenbachii Wakkeri, juvenis doctissimi, nunc Zwollano Gymnasio praefecti meritissimi, qui Ruhnkenio praeceptori suo hunc libellum inscripserat. Paucis mensibus interjectis obiit Klotzius, dubium majorine Literarum bono an damno: bono, si quidem in eadem lacessendi libidine perseverasset: malo, quippe si aliquando deferbuis-

 set,

set, ad saniorемque rationem rediisset, magnum Literis emolumentum futurus. Secuti sunt deinceps alii reprehensores magis acerbi quam festivi, Burmannus Anthologiae Latinae volumine altero, Schraderus in Emendationibus, uterque recente adhuc domestico vulnere Ruhnkenii, quorum ipse quasdam sive observationes sive emendationes reprehenderat in animadversionibus ad Rutilium Lupum. Sed illos omnes facile contemnebat. Magis movebatur animadvertens amicos quosdam suos inimicis arridere, ipsum irridere. Nolo horum nomina prodere: erant certe qui se Ruhnkenii amicos dici haberique vellent, iique in Literis haud obscuri. Erat et alius amicus, homo semidoctus, qui et ipse aliquis esse vellet, et à Ruhnkenio saepe admonitus, ut tum demum de Literis judicaret, quum eas bene didicisset, admonitionem inique accipiens, eam male dicendo ulcisci adgrederetur, arripiens calumniam sermonibus imperitorum jactatam de Ruhnkenii scholis ut minus jucundis ad sensum profectusque adolescentium, eique non modo Klotzium, Burmannum, Schraderum, sed nescio quem Scholae Rectorem anteponeret, qui discentium animos enthusiasmo, ut ajebat, incenderent. Atqui iste illórum laudator tantillus erat homunculus, qui, quanta in Ruhnkenio esset doctrinae copia, quantaque ingenii magnitudo, ne suspicari quidem posset: et tamen apud imperitos veluti censor de Professorum meritis laudibusque statuebat, magnaque auctoritate valebat.

Quis

Quis nostrum, si istiusmodi judicibus subjiciamur, non

> Ultra Sauromatas fugere hinc velit et glacialem
> Oceanum (57)?

Ruhnkenius suae se virtutis conscientia et recte sentientium testimonio tuebatur. Omnium peritorum judicio ea erat aetate, ingenii doctrinaeque magnitudine, ut non amplius deberet erudire tirones, sed docere veteranos et ipsos doctores, ac tamquam Musarum antistes non rudem et profanam turbam instituere, sed initiatos ad ἐποπτικὰ et interiora mysteria adducere, omnino Atheniensium exemplo, ut civis de patria egregie meritus, confectis stipendiis, publice in Prytaneo ali. Hoc se testimonio sustentabat. Attamen durum accidebat amicos experiri perfidos, quos fidos duxisset. Quid enim nisi perfidos appellemus istiusmodi amicos? si quidem vera amicitia nullam fert ἐπιχαιρεκακίαν, nullam malevolentiam, nullam invidiam, irrisionem nullam. Hoc unum satis valuisset ad domesticae calamitatis sensum augendum, nisi tanta ipse fuisset animi constantia. Quid igitur? cognita istorum perfidia, hunc dolorem magnitudine veteris doloris obruebat, Ulyssis (58) exemplo,

> Στῆθος δὲ πλήξας, κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ,
> Τέτλαθι δή, κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο πότ' ἔτλης.

Ruhn-

(57) Juvenal. Sat. II., 1.
(58) Odyss. υ, 17.

Ruhnkenius intermissa Literarum studia repetens (1772), Vellejo praecipuas tribuit partes, cui edendo jam pridem proximum quodque destinaverat tempus: nec tamen opus uno tenore urget, ad aliud deinceps et aliud inductus, tamquam viae diverticulum; cum ad locupletanda poliendaque vetera, Epistolas Criticas et Timaeum, tum ad affecta perficienda, in quibus erant in primis Longinus et Scholiastes Platonis. Nam Scholia Veterum Grammaticorum in Platonem (59), quae adhuc nulla erant edita, sed in codicibus scriptis vel peculiaribus, vel Platonicis, exstant, magna cum cura, omnibus fere Europae ex bibliothecis collegerat, eaque unum in corpus digerere et commentariis illustrare constituerat. Accidit tunc, ut ei nil tale exspectanti literae redderentur Parisini juvenis adhuc ipsi ignoti, Villoisoni, Scholiorum illorum accessiones mittentis, caeterum scribentis se Apollonii Lexicon Homericum (60) propediem edere, et porro Graecis Literis operari,

(59) Pars eorum illa, quae exstat in codice Veneto, prodiit nuper in formae octavae libello, inscripto, *Anecdota Graeca è praestantissimis Italicarum bibliothecarum codicibus descripsit Joann. Philipp. Siebenkees: edidit et praefatus est Joann. Adam. Goez. Norimberg.* 1798.

(60) Prodiit Parisiis, 1773, forma quarta. Jam antea edendum sibi sumserat, et edidit anno 1788, in octava forma, Hermannus Tollius, vir doctissimus, quondam collega meus in Amstelodamensi Athenaeo.

ri, constituisse; igitur utriusque propositi rite perficiendi se consilium rationemque unice à Ruhnkenio expetere. Hic tanta juvenis eruditione et humanitate magnopere laetatus, ei nec monendo nec docendo defuit, eumque, quantum potuit, non destitit in rectam studiorum viam convertere, relictam ab ejus civibus hoc saeculo, sed antea tritam et frequentatam, è qua Scaligeri, Casauboni, Salmasii, Valesii, aliique multi prodierunt, qui et Galliam et bonas Literas illustrarunt. Et vero in aliis Europae regionibus juvenes Literarum studiosi complures excitati fama ac doctrina Ruhnkenii, se ad ejus auctoritatem contulerunt; nam idem hoc tempus et Villoisonum ei conciliavit, et Herelium Noribergensem, et Hottingerum Turicensem, elegantissimae adolescentes doctrinae, multis in publicum proditis speciminibus claros nunc viros. Hujusmodi notitiarum amicitiarumque ultro oblatarum suavitas multum valebat ad moerorem domesticae calamitatis, subinde revirescentem, paulatim sanandum et penitus abluendum.

Attulit sequens annus (1773.), gratum literatae civitati munus operâ in primis Ruhnkenii. In Literarum statoribus et interpretibus Ciceronis qui saeculo decimo sexto floruerunt, magnum est nomen Sebastiani Corradi, cum aliis in hoc genere operibus clari, tum edita *Quaestura*, libello et elegantissime scripto, et ad Ciceronis intelligentiam utilissimo. Hujus duas esse partes, in neutrius

 trius

trius titulo significatum erat; unde factum, ut prior pars in hominum oblivionem abiret ejusque exempla fere interirent. Hoc non fugiebat Ruhnkenium: unde Ernestus et didicit, et alterius partis exemplum accepit, et utramque uno volumine edidit Lipsiae, beneficii auctorem in praefatione memorans his verbis: „ omnibus aliam, quam quae vulgo fertur, Quaesturam ignorantibus, — mihi Davides Ruhnkenius, vir tum aliarum, tum Graecarum Literarum scientia exquisita praeditus, indicavit esse et aliam Quaesturam, ignoratam doctissimis hominibus, sine qua manca esset nova illa; ejusque exemplum se ab amico sumturum missurumque, si vellem, promisit. Cujus promissi mox fidem liberavit, nobisque facultatem hanc dedit, ut Quaesturam totam edere, doctosque homines munusculo, ut speramus, non ingrato afficere possemus." Caeterum in hac Ernestina editione accidit negligentiâ vel librarii vel aliorum, ut posterior Quaestura priori praeponeretur, et plura, quam par erat, operarum vitia relinquerentur. Amicus ille à quo Ruhnkenius librum sumsit, erat Nicolaus Hopfius (61), Bernas Helvetius, civis meus, vir elegantis doctrinae,

(61) Videatur Christoph. Saxius, Trajectinae Academiae et omnino Antiquarum Literarum, egregium decus, idemque rarum exemplum vegetae et studiis exhilaratae senectutis: in libro utilissimo, Onomastico Literario, Vol. I. p. 155. et Vol. VII. p. 93.

nae, cum universae, tum Graecae et Latinae, qui tum privatus senectutem Hagae in literato degebat otio. Hujus familiaritatem et amicitiam studiose colebat Ruhnkenius, eumque sibi, post Bergerum quidem, ducem ad rariorum librorum cognitionem exstitisse, praedicare solebat. De Hopfio memini patrem mihi meum narrare, quum diceret, se puerum Bernae illum jam adolescentem Graecarum Literarum laude florentem cognovisse, ejusque exemplo ad eamdem laudem capessendam incitatum fuisse. Sed de patre meo, optimo viro, cui, quod ipsa vita majus est, Literarum amorem excolendique ingenii initia debui, non est quod hoc loco plura dicam; quandoquidem alibi dixi de illius Elogio, quod scripsit J. Christianus Bangius (62), egregia vir et Antiquarum Literarum scientia, et Latinae orationis facultate, sed exteris magis quam civibus ipse suis cognitus.

Venit denique tempus, quo Ruhnkenius illam etiam doctrinae suae partem, quae exquisita librorum cognitione constabat, publico munere et profiteretur et expromeret, mortuo Abrahamo Gronovio (1774.) succedens in praefectura bibliothecae Lugdunobatavae. Huic adhuc vivo quum Curatores successorem destinare vellent; uterque Literarum Professor, et Ruhnkenius et Valckenarius, provinciam petebant, nulla illi obtrectatione aut invidia, quae in hos viros non cadebat, sed potius

(62) Biblioth. Crit. Vol. II. Part. II. p. 138,

tius certo judicio et amicitia, ut eo certius alter omnino eam auferret. Igitur et Valckenarius huic delatam praefecturam ex animo gratulatus est: et Ruhnkenius, cum isti, tum reliquis Professoribus gratissimum fecit, partim facilitate in impertiendo expediendoque librorum usu, partim gratia apud Curatores in impetranda extraordinaria pecunia emundis bonis libris. Caeterum in augendae locupletandaeque bibliothecae studio perstitit, quamdiu sperabat fore, ut illa tandem ex hac loci angustia in amplius et cum ipsius praestantia, tum Academiae fama, dignum domicilium traduceretur. Quae spes quum aliquoties eum fefellisset, quumque animadverteret quotidie, libros ita constipandos esse, ut vix usus et cognitio eorum amplius constaret, nec in hac angustia se operae pretium facere posse; curam instruendae, disponendae, explicandaeque bibliothecae, futuro successori reliquit. At item deinceps successor successori hanc reliquere curam cogetur, quamdiu his in loci angustiis bibliotheca relicta fuerit.

Deinceps fuit saecularis Academiae Lugdunobatavae annus alter (1775). Acti sunt dies festi duo Nonis Februariis et postridie. In iis Ruhnkenii, quod quis miretur, quamvis Eloquentiae Professoris, nullae fuerunt partes vel in dicendo vel in scribendo: fuerunt quaedam in praefectura spectaculi pyrotechnici. Sed ipse agnovit, in distribuendis temporibus, personis, actionibus, quaedam admissa fuisse, quae posteritas caveret.

In Oratoribus dubium erat, utrum dicentium an audientium patientiam magis mirareris. Accidebat illud Horatianum (63),

> Si foret in terris, rideret Democritus: —
> Dicentes autem narrare putaret asello
> Fabellam surdo: nam quae pervincere voces
> Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra:
> Garganum mugire putes nemus, aut mare Thuscum.

Qui primus in suggestum adscendit Professor, per tres horas dixit, nemine audiente: et post hunc item alii. Insolita multitudo exterorum, et doctorum hominum et indoctorum, adfluxerat ex tota undique terra Batava, haud secus atque apud Graecos ad ludorum Olympicorum celebritatem. Hospitum nulla habebatur ratio: Professoribus aliarum Academiarum locus ad sedendum non erat datus: si quidem audire vellent, debebant se stanti turbae immiscere et dubiam experiri sortem. Hos aliosque errores secum reputans Ruhnkenius. „ Ista, ajebat, ne rursus accidant, posteritas monenda est; neque enim sua festis diebus hilaritas constare potest, nisi si adsit modestia, opportunitas, varietas, elegantia, hospitalitas."

Animadversiones suas in Longinum miserat Jo. Toupio, Britanno, novam illius Scriptoris editionem molienti. Postea subinde eum facti poenituit. Primum, animadverterat illum priorum Criti-

(63) Ep. II, 1, 194.

ticorum copiis parum liberaliter uti: qui, licet ipse acutissimo ingenio et interiore Graecae linguae scientia praeditus, quibus propriam sibi gloriam parere posset, tamen alienam saepe surriperet. Sunt enim in ejus emendationibus haud paucae hujusmodi in quibus Antiqui Scriptoris locum jam a Casaubono, Valckenario, Ruhnkenio, aut aliis, egregie emendatum, levissime addito τε vel δὲ, similive correctiuncula, mutat, tum totum veluti à se solo perpurgatum, apponit, cum tali fere formula, *ita legendus hic locus, in quo emendando magni viri parum viderunt.* Ruhnkenius quidem postea in altera editione Epistolarum Criticarum et Timaei, suas ipse correctiones vindicavit, Toupii morem leniter perstringens: tunc vero verebatur, ne Longinianis animadversionibus idem eveniret. Porro, non ferebat tarditatem editionis, jam ultra sextum annum tractae. Igitur Dissertationem *de Vita et Scriptis Longini*, quam antea, item scriptam, Toupio mittere constituerat, seorsim ipse edidit Lugdunibatavorum anno h. s. septuagesimo sexto. Hanc equidem non dubito immortalem appellare. Similem operam Porphyrio, condiscipulo et aequali Longini, navaverat superiore saeculo Lucas Holstenius, eruditissimus vir: et, judice Ruhnkenio, ita rem gesserat, ut primus hujusmodi historiae bene scribendae exemplum daret. Ruhnkenius Holstenium cum materiae copia, tum certe formae elegantia superavit. Nam, in materia nullum erat veterum

ge-

genus monumentorum, nullum Graecorum Latinorumque Scriptorum, nullum Grammaticorum Scholiastarumve, cum editorum, tum ineditorum, genus, quin id Ruhnkenius legendo pertractasset, unde reconditas, nemini cognitas, fere emortuas, cum rerum gestarum notitias, tum doctrinarum reliquias exprómeret. Deinde in forma, disponendis partibus ad perspicuitatem, et quasi membris ad quamdam corporis integritatem componendis, ad historicam rationem conformandis, Ruhnkenius et natura et usu valebat: alter de hoc officio ne cogitasse quidem videtur: et à bene scribendi facultate, quae in Ruhnkenio summa fuit, tantum abfuit, vix ut ad eam adspiraret. Denique à judicii sanitate et elegantia illum superstitio saepe avertit; Ruhnkenium quod averteret, nil fuit. Igitur hic ejus libellus apud intelligentissimos judices, triplicis artis, Historiae, Criticae, Eloquentiae, palmam tulit.

Bibliothecam Criticam scribere instituenti (1777.), primum dissuasor mihi, deinde suasor fuit consilii: cujus postea neutrum poenituit. Nam nisi publice Literarum studiis profuit, privatim certe nostra invicem sermonum epistolarumque commercia frequentiora reddidit: quibus et ille, quo erat erga me amore, magnopere se delectari fatebatur, et ego cum scribendi exercitatione, tum illius monitis ac praeceptis aliquantum ad judicii, doctrinae, et orationis, facultatem profeci.

Tum Burmannus Secundus, abdicata Amstelo-

da-

damensi cathedra, reliquum vitae otiaturus in Santhorstanum suum concessit, ac per viciniae opportunitatem, opera communis amici Laurentii Santenii, cum Ruhnkenio in gratiam rediit. Cathedram ejus tres in primis petebant candidati. Ipse Curatoribus commendabat Santenium: me Valckenarius, et grata quaedam civium opinio, quod per sex annos juventuti Literarum et Philosophiae institutione profuissem. Tulit Tollius. Ruhnkenius nemini trium operam suam praestare voluit; quod peraeque ejus fuissemus discipuli: mihi tamen in aurem dicebat, se ampliori me loco destinasse: hoc ejusmodi erat, ut aut ipsi aliquando, aut Valckenario succederem.

Oderici libellus quo Graeca Inscriptio, scenicam Didascaliam continens, illustratur, et Ruhnkenii sententia de festis Bacchi Atticis, prodita in Auctario ad Hesychium, reprehenditur, Romae editus (1777.), et recens ad nos delatus, jucundus ei magis fuit propter doctrinae elegantiam, quam injucundus ob editoris dissensum. Omnino leniter ferebat dissentientes, si cum rerum scientia modestiam adferrent. Quo lubentius partes ab eo mihi delatas suscepi, ut Bibliothecae Criticae Vol. II. Part. III., sententiam de libello dicerem et libere pronunciarem, sive secundum ipsum, sive secundum Odericum. Feci: et ponderatis omnibus Veterum locis ad certamque interpretationem exactis, Ruhnkenii sententia *Lenaea* eadem esse quae Anthesteria, probabilior mihi visa est, quam Ode-

Oderici aliorumque opinio *Lenaea* eadem esse quae Rustica. Dico, probabiliorem eam mihi visam esse. Nam postea saepe intellexi, vanum esse eorum studium, qui in Historia et Antiquitate certum quid pronunciant de rebus monumentorum vel penuria obscuris vel dissensu impeditis: ubi unum est Critici munus judicare quae, ex pluribus dubiis opinionibus, minus quam reliquae sit dubia. Caeterum Ruhnkenius paucis ante obitum mensibus non sine voluptate cognovit, sententiam suam nuper confirmatam esse nova auctoritate Inscriptionis antea ignotae, primum editae à Barthelemio, illo Anacharsidis scriptore, egregiae sene doctrinae, qui non multo post ipsum eamdem proposuerat sententiam in Memoriis Academiae Inscriptionum, Tomo XXXIX.

Accidit ei mox novae suavitas notitiae cum Christiano Friderico Matthaei, viro in his Literis excellenter versato, Gymnasiorum Universitatis Moscuensis Rectore: qui Ruhnkenio ignotus duos à se repertos misit Hymnos Homericos: de quibus postea dicemus. Et vero Matthaei industria et humanitas in excutiendis et prodendis Moscuensium Bibliothecarum scriptis codicibus, egregie merita est ut de multorum doctorum hominum in Veteres Graecos Scriptores, tum de meis in Plutarchum, studiis: cujus beneficii gratum ei animum ut in Praefatione Plutarchea testatus sum, ita nunc quoque testor.

Toupii Longinus tandem prodiit (1778): nec exem-

exemplum editoris nomine ad Ruhnkenium venit, qui suo id aere emere debuit, licet plurima editioni ornamenta contulisset, Dissertationem de Vita et Scriptis Longini supra memoratam à nobis, et Animadversiones quae paginas viginti explent, tantumque medelae ac lucis ab exquisita doctrina ductae afferunt Longino, quantum vix ullus attulerat Editorum. Sed de his non est quod plura nunc dicamus; quandoquidem vim praestantiamque earum explicuimus peculiari censura prodita Bibliothecae Criticae Vol. I. Part. III.

Valuit tum Ruhnkenii amor et auctoritas, ad me in Batava terra retinendum: absque eo factum esset, ut eam relinquerem. Vitae commode agendae illo, quo eram, loco difficultas: superioris anni offensio subinde animo objiciens illud, *Nil profuit pietas* (64): oblatae apud exteros stationes per opportunitatem itineris ad patrem senem suscepti: haec omnia vehementer me movebant. Vehementius tamen movit Ruhnkenii et libertatis Batavae cogitatio.

Per idem tempus Cornelius Oudendorpius, Francisci quondam Professoris Lugdunibatavi filius, sacerdos pagi Sassenhemi, Frontini editionem à patre factam, novis ejusdem animadversionibus au-

(64) Proverbiale: ductum è similibus Veterum. v. c. Virgil. Cul. 224: *Praemia sunt pietatis ubi?* Propert. III, 18, 11: *Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi mater —.*

auctiorem emendatioremque repetere instituebat: eoque in opere multum se à Ruhnkenio consilio et re adjutum fuisse, professus est in praefatione novae editionis, quae proximo anno (1779.) prodiit, et à nobis censa est Bibliothecae Criticae Vol. I. Part. IV.

Vellejum jam ante quadriennium edere instituerat, prima plagula excudenda, speciminis loco. Charta erat proba et candida: sed ejus copiam dum frustra exspectat librarius, excudendi negotium differtur. Ruhnkenius moram ad locupletandas animadversiones confert: tamen ejus impatiens, editionem urget; unde factum, ut minus proba, certe subfusca, in charta protruderetur Vellejus (1779). Hoc Ruhnkenii opus non dubito palmarium appellare; quippe quo prioribus editoribus, in iisque ipsi Latinarum Literarum principi, Justo Lipsio, palmam eripuit. Huic enim quum nec emendandi felicitare, nec Latinae orationis interiore scientia et apparatu, nec exquisitis omnis Antiquitatis et Historiae copiis cederet; in Graecis certe Literis, sine quibus Latinae sibi constare nequeunt, tantum praestitit, quantum mediocriter tincto perfectus. Nolo nunc reponere, quae in hujus operis censura, Bibliothecae Criticae Vol. I. Part. IV. copiose exposui. Illud non injucundum sit, ipsius verbis cognoscere quid de Goettingensi recensione, cujus exemplum tum recens allatum ei miseram, mihi responderit: sic igitur scripsit: „ Multum Te amo de recensione Goettin-

tingensi, in qua plus laudis mihi tribuitur, quam speraram. Quod censor dicit, me chronologica parcius attigisse, nolui recoquere quae bene et copiose disputata essent ab aliis Velleji interpretibus. Numeros etiam mendosos, sicut erant in editione principe, dedita opera reliqui, ubi nullus certus numerus, qui reponi posset, sive à me, sive ab aliis, erat repertus. Semper tutius est in hanc partem peccare. Caeterum, censor sibi visus est non nulla glossemata post me in textu deprehendisse. Quorum ego ne unum quidem pro glossemate habeo. Neque enim licet verba corrupta, tamquam glossema, ejicere, nisi demonstrari possit cui rei explicandae inservierint, et quomodo de margine in textum venerint. Illud autem mihi permirum accidit in monstrosis verbis (II, 82) *Libium in Caesare et rep.* glossema quaeri, nec sentiri emendationis meae praestantiam. Adeo pauci sunt, qui de bonis correctionibus bene judicare possint."

Tria sibi hoc anno laeta obtigisse narrare solebat. Primum, quod sua commendatione Schultensium nostrum, patri mortuo successorem, ex Amstelodamensi cathedra in Lugdunobatavam traduxisset; hic enim ipsum haud secus ac parentem colebat, et ipse illius candore et suavitate summopere delectabatur. Alterum, quod me firmiore jam vinculo ad Batavam terram adstringi vidisset, delata mihi in Amstelodamensi Athenaeo Philosophiae professione, ubi ipse me in potestate et con-

conspectu haberet. Tertium, quamquam illud et levius, et subtriste Burmanni obitu, superiore anno mortui, quod ex locupletissima ejus bibliotheca, per auctionem divendita, multos optimosque libros Lugdunobatavae bibliothecae comparasset.

Hymnos Homericos edidit sub initium proximi anni (1780), ita ornatos politosque critica doctrina, ut tam brevi tempore nemo posset, nisi qui rerum scientia, et infinita propemodum, et illa promta ac parata, valeret. Mox cognito, versus defuisse complures in exemplo scripto ad se misso, ac proinde item deesse in hac editione; eam abolevit, et aliam integramque Epistolis Criticis mox denuo edendis adjiciendam destinavit.

Cibo potuque, si quis alius, modicus, cruditatem contraxit, incertum qua caussa: unde coeliacus morbus vehemens et summo cum vitae periculo. Sanitati restitutus curâ Doevereni collegae et Archiatri, quo et medico utebatur propter artis peritiam, et amico propter animi sinceritatem cum pari conjunctam prudentia: sed sanitati restitutus, vitae secum fragilitatem reputans, necdum se testamentum fecisse, et illud Catonis in tribus sibi poenitendis factis tertium censentis quod unum diem intestatus mansisset, me tum in Helvetia absentem et ipse et per alios crebro monuit, ut primo quoque tempore redirem de gravissimis secum negotiis deliberatum. Redux meo tempore, continuo eum conveni, quaerens ecquid il-

 lud

lud esset tam magnum quod me vellet. Tum ille „ Testamentum, inquit, facere cogito, teque ac Schultensium tutores instituere filiabus meis, si forte, me mortuo, nondum in tutelam suam venissent." „ Atqui, inquam, jucundum narras et honorificum nobis negotium, qui tantum nostrae fidei tribuas: et poteras sane facere vel absente me nec admonito, quem pietas omnia tui caussa facere jubet." Caeterum locus tutelae non fuit; Deo O. M. eum per duodeviginti annos porro nobis Literisque servante.

Saepe rogatus à compluribus Vitarum scriptoribus editoribusve, ut rerum suarum commentarios ipsis impertiret, unde ipsi Vitam ejus conscriberent, ac tanti nominis specie et commendatione libellis suis ornamentum conciliarent, recusavit, dicens, satis sibi esse è scriptis suis ipsum cognosci. Tum idem rogatus ab Hakenio vetere cive suo et aequali, Pastore primario Stolpensi scholarumque Ephoro, notitiam Ruhnkenii in libro Germanice inscripto, Analectis Pomeranis, prodere cupiente, recusare amplius noluit, misitque brevissimam illam vitae suae librorumque à se editorum notationem: et fecit ita breviter cursimque, ut facile appareat, eum nil gloriolae dedisse, nil nisi humanitati et cuidam erga veterem patriam pietati satisfacere voluisse. Scripsit Latine, quandoquidem à facultate Germanicae linguae dudum desueverat. Vitae notationem Hakenius Germanice à se versam, literas ad se datas, Latine, ut erant, edi-

edidit. Has mendose et cum grammaticis vitiis ex illa officina prodiisse indignabatur Ruhnkenius, idque eo magis, quod sibi occasio hujus flagitii publice corrigendi expurgandique deesset: igitur eas, ab ipso quondam emendatas, hoc loco referendas censuimus. Simili in caussa stomachari eum memini de negligentiâ, qua Elogium Hemsterhusianum in Harlesii, V. Cl., *Vitis Philologorum* repetitum dicebat, cuius in primo verbo turpe vitium admissum esse istud, *Dum mihi magistratum academicum deponenti publice dicendum esset, perfectam Critici formam in Tiberio Hemsterhusio spectavi*, loco ejus, quod ipse scripsit, *Cum mihi mag. cet:* nam hujusmodi in orationis nexu illud *Dum* non minus esse vitiosum ac *vir bona*, *mulier bonus*, et similia. Sed literarum ad Hakenium hoc est exemplum: „ Plurimum reverendo et doctissimo viro Chr. Guil. Haken. S. P. D. David Ruhnkenius. Jamdudum humanissimis literis tuis respondissem, nisi nautas Dantiscanos aut Pomeranos, quorum fidei libellos à Te expetitos committerem, exspectandos putassem. Verum cum nulli ab aliquo tempore Amstelodamum venerint, aut, si venerint, notitiam meam effugerint, libros quidem plures, quos petiisti, alia occasione ad Te mittam, scribendi vero officium non patiar diutius à Te requiri. Quod scribis Te ingenium et doctrinam ad res Pomeraniae illustrandas contulisse, dicere vix possum, quam gratum id mihi acciderit. Adhuc ille ager incultus jacet. Nec

quidquam in hoc genere erudite scriptum vidi praeter Schurtzfleischii Origines Pomeraniae, quae sunt in ejus Operibus Historicis. Haec bonorum Historicorum penuria facit, ut ego, quamvis et Pomeranus et Historiae Universalis Professor, nullius tamen gentis historiam minus teneam, quam patriae meae. Quandoquidem vero Tibi, Vir praestantissime, placet me quoque in eruditis Pomeranis recensere; vitae meae narrationem, sed breviter strictimque scriptam, adjeci. Neque enim aut eorum, qui nunc sunt, aut posterorum, interest omnia minutiora scire. Haec tamen si cui non sufficiant ad me totum cognoscendum, is reliqua petat è libris meis. Vale, vir plurimum reverende, et quid rerum agas ad me subinde perscribe. De me sic Tibi persuadeas, non esse hominem ad omnia officiorum genera paratiorem, et talium virorum, qualis Tu es, amantiorem. Dab. Lugduni Batavorum. d. 4. Nov. 1780."

Incidit bellum Britannicum et simul initium dissensionum civilium, quibus adhuc patria agitata est: quamquam initium fuit vetus, et discordia, tamquam ignis sub doloso cinere latens, modo erumpens, modo repressa, tandem illo excitata bello, in manifestam vim flammamque exarsit. Quae dissensiones cum per omnes civium ordines manarent, cognationes, familias, amicitias dissociarent, ut difficile esset iis non implicari; operae pretium est cognoscere qualem se Ruhnkenius istis in dif-

fi-

ficultatibus gesserit. Sed res ab initio est repetenda.

Ruhnkenius adolescens in Germania, quid essent civiles dissensiones, non nisi ex historiis cognoverat, in Bataviam delatus, re et facto experitur. Videt duas in esse in re publica sectas adversarias: amorem patriae et communis utilitatis studium utramque prae se ferentem, alteram Nassavicam, alteram Optimatum. Putabat, hoc nil ad se pertinere, posse se novam patriam amare ejusque commodis consulere instituenda juventute, neutri deditum sectae; quippe quae magis privatam quam publicam utilitatem spectarent. Mox intelligit difficile esse negotium, homini in frequentia et consuetudine hominum, praesertim superiorum, versanti, eorum sibi gratiam conciliare ac tueri, non item iisdem, quibus ipsi, partibus faventi. Igitur, ut a principio in Literis aliisque omnibus studiis, ad Hemsterhusii se auctoritatem contulerat, constituit eumdem civilis sectae auctorem sequi. Hic Nassavicarum erat partium. Adolescens, Professor Amstelodamensis, Optimatum sectam probaverat; et quia is tunc rei publicae status, et quia illa civitas semper hujus sectae patrona erat. Sed incidit, quae eum ab utraque in perpetuum abalienaret, offensio. Flagrabat adhuc bellum de Hispanica successione adversus Gallos. Epistola intercipitur in Galliam data, nescio quid suspecti et adversus rem publicam habere visa, et scriptorem, quantum ex no-

mine apparebat, Hemsterhusium. Vocatur ad judices. Venit: continuo excipitur convicio et longa reprehensione, minis etiam poenarum, qui tantum facinus ausus esset. Finita oratione, hic breviter et placide: „ *At prius quam reprehenderer, debebat constare, me esse scriptorem epistolae: cedo epistolam.* Datur ei in manus: inspicit: *Et vero*, inquit, *nec manus haec mea est, nec nomen hoc meum.* Ita erat: simile quoddam, sed aliud exstabat nomen. Hemsterhusius aliquam excusationis comitatem exspectabat. Isti ne verbum quidem, nisi, *ilicet.* Abit indignans imperiosam superbiam: quae inde ei perpetuo sedit alta mente reposta. Itaque lubens Franequeranam sibi oblatam cathedram accepit: prae qua numquam Amstelodamensem relicturus fuerat, nisi gravis offensio subesset. Frisii, in quibus est Franequera, Nassavicas partes tuebantur; quippe ex hac gente suos sibi Gubernatores retinuerant. Et, is qui postea totius rei publicae fuit Gubernator, Guilielmus IV, Franequerae studiis operam dans, Hemsterhusii quoque disciplina utebatur, eumque, ut virum non minus morum elegantia et comitate jucundum, quam rerum usu et civili prudentia praestantem, magnopere diligebat; et Hemsterhusius Guilielmum, ut discipulum adeo sui studiosum, ac tam animo quam stirpe generosum, vehementer amabat; ut in illa rerum conversione, qua hereditarius totius rei publicae Batavae principatus ei delatus est, eum et opera et consilio ju-

juvaret. Ita enim judicabat, et rei publicae opus esse Gubernatore, qui totum ejus corpus curaret atque ad consensum dirigeret, et civibus quasi Tribuno plebis, qui eos adversus patriciorum dominationem ac libidinem tueretur. Item et Ruhnkenius et Valckenarius judicabant. Postea, quum optima instituta praesidiaque libertatis à publico ad privatum commodum traduci, et bello Britannico imperia ac successus praevaricando eludi viderentur; uterque partes Optimatum probare coeperunt, ut solas vindices gloriae ac prosperitatis Batavae adversus hostilem injuriam. Sed de his rebus nostrum et hujus loci est, non judicare, sed, quid Ruhnkenius aliique judicaverint, referre. Et quae deinceps secutae sunt cum partium, tum rerum civilium et bellicarum vicissitudines, notae sunt in vulgus, nec nostra scriptione repetendae. Ruhnkenius quidem usque ad extremum vitae tempus secutus est partes libertatis, honestatis, dignitatis, probitatis, communis salutis: in quibus quum recta via et constanter pergeret, et candide profiteretur, quid ipse sequeretur, quid in utraque caussa et probaret et improbaret; factum est, ut ab omnibus, etiam diversa sentientibus, id quod erat, idem et bonus vir, et bonus civis, et haberetur et nominaretur.

Sed dum bellum ac dissensiones multum destinati Literis otii et familiarium quoque materiam sermonum occupant, Ruhnkenius tamen statas horas matutinas ac vespertinas domi in bibliothecam

se suam abdens, Musis operabatur. Et cum ejus operum duplex esset genus, editum et edendum: cumque natura ei incredibilem tribuisset decori perfectique sensum et appetitum, ut omnibus in rebus spectaret, non quid vulgus laudaret, sed quid suo ipse judicio probare posset, et, quod de Hemsterhusio (65) ipse scripsit, nil à se nisi omnibus absolutum numeris vellet exire; factum est, ut magis ad edita retractanda, quam ad inedita prodenda duceretur, et haec interea seponeret, dum illa ad summam, quoad ejus fieri posset, perfectionem locupletasset ac polivisset. Igitur, anno proximo (1782.) altera editione renovavit duos illos Hymnos Homericos, cum duabus Epistolis Criticis ante triginta annos primum editis: quibus tanto temporis intervallo quantum incrementi accesserit, vix credibile sit, cum in copia et materia, tum in operis perfectione et lima: cum in vetere argumento de Hymnis Homericis, Hesiodo, Callimacho, Apollonio Rhodio, Orpheo: tum in novo, de Eumeli, Phanoclis, Hermesianactis, Varronis Attacini, reliquiis: non solum de singulorum locorum scriptura, sed de carminum auctoritate, auctorumque antiquitate et fide: sive emendandi felicitate, sive disputandi subtilitate: sive ex ingenii velocitate et acumine, sive ex doctrinae facultate exquisitae et reconditae, sive ex abditis ineditorum librorum, in primis Gramma-

ti-

(65) In Elogio p. 65.

ticorum, recessibus. Quae omnia infinitis partibus uberiora esse, quam ut hoc loco à nobis significentur, facile est ad suspicandum iis, qui acerrimum illud Ruhnkenii studium, cum pari ingenio doctrinaque conjunctum, cognoverunt. Neque nostrum est actum agere, qui de libri hujus argumento accurate copioseque exposuimus, Bibliothecae Criticae Vol. II. Parte IV: ubi etiam Hymni auctoritatem et antiquitatem vindicavimus adversus reprehensiones Nicolai Ignarrae, viri doctissimi.

Solebat haud exiguam subsecivae operae partem tribuere perlegendis catalogis librorum, sive per auctiones divendendorum, sive in bibliothecis publicis servatorum; unde factum est, ut rariorum cognitionem librorum, jam in Bergeri disciplina perceptam, continuo augeret, multosque cum sibi privatim, tum publice bibliothecae Lugdunobatavae libros compararet: nec facile eum fugeret locus, ubi ineditum Antiquitatis monumentum lateret. Veluti hic eum annus egregio beavit munere. Nam ex inscriptione Johannis Damasceni in Catalogo bibliothecae Mediceae, luculentam capturam subodoratus, ea potitus est absens aliorum in describendo usus opera, retulitque insigne supplementum Florilegii Stobaeani, locuples illud ac refertum ineditis iisque praestantissimis et disputationibus Philosophorum et sententiis Poetarum. Atque hoc sane loco dubitemus, quid magis miremur, studiumne in indagan-

do et consectando, an liberalem et pecuniae contemtorem in re et fortuna mediocri animum, ad sumtus, quamvis magnos, Literarum caussa faciundos.

Edito illo Hymnorum et Epistolarum Criticarum volumine, proximus erat, quem promeret et ad editionem instrueret, Plato (1783). Hunc, ut antea Timaei caussa iterum iterumque lectitatum, et postea quotidie versatum, recente memoria tenebat: et quidquid legendis aliis Scriptoribus ipsi oblatum ad Platonem facere videretur, sedulo annotabat. Edenburgensibus novam editionem molientibus ante viginti annos, eumque rogantibus, ut operam ipsis suam addiceret, ita responderat, ut se ab eorum instituto non alienum ostenderet. Dialogo Alcibiadi Priori, Francice reddito opera T. Fabri, et repetito Amstelodami 1766, nonnullas interpretationis correctiones adjecerat. Sed et haec levis opella, et illud irritum fuit institutum. Nunc suam ipse rem agebat: in Platone, ut Philosophorum principe, ornando et edendo, princeps ac palmarium sibi opus proponebat. At propositum effectu caruit; quippe confutatum eodem illo, de quo supra dixi, summae perfectionis sive studio, sive errore. Is aderat apparatus, ut editionis dote satisfacere aliis omnibus doctis hominibus posset, sibi ipse non posset. Locos corruptos, obscuros, difficiles, longe plurimos expediverat: restabant haud pauci, de quibus expediendis ipsi nondum liquebat. Hi plus apud eum

vas

valebant ad abjiciendum editionis consilium, quam illi ad persequendum. Respiciebat Timaeum suum: animadvertebat, quantum huic ad perfectionem deesset: nulla dies abibat, quin lectio aliorum librorum multa ei objiceret, quibus animadversiones in Timaeum et augerentur, et carere non posse viderentur. Igitur constituit Platonicam omnem materiam tripertito libro complecti, cui *Platonica* nomen inscriberet: primam partam faceret *Timaeum* cum animadversionibus auctis et emendatis: alteram, *Scholia Platonica*, item animadversionibus illustrata: tertiam, *Miscellanea Platonica*, quae omnem reliquam emendationum, observationum, variarum lectionum, sylvam contineret. Ac de Timaeo quidem, quod constituerat, perfecit. Scholia typis dudum descripta sunt, animadversionum non nisi una pagina: reliqua pars nec conscripta, ita in commentariis adumbrata ac per adversariorum libellos dispersa jacet, ut ab operis successore, non nisi bene versato in Graecis Literis et Platonico argumento, nec nisi multo cum labore multaque diligentia, conscribi probabiliter possit. Sunt haec Scholia è Grammatico genere eo, quod et res et verba persequitur. Exstant singularibus in codicibus complurium bibliothecarum, in primis Florentinarum, Venetae, Vindobonensis, aliarum. Est sane eorum usus ad constituendam Platonis scripturam: nec doctrina est contemnenda: habent multa in aliis jam editis Grammaticis prodita, habent haud pauca etiam no-

va nec aliunde cognita. Illud non dubium, quin maxima libro commendatio à Ruhnkenii animadversionibus accessura fuisset. Et vero auctarium ei addere destinabat, collectis interpretamentis grammaticis ex scriptis et commentariis Platonicorum Philosophorum, qui raro grammaticum genus attingunt, veluti Porphyrii, Procli, Hermiae, Olympiodori, aliorumque nondum editorum.

Sed licet ab editione Platonis ad triplex illud opus, tamquam ex longiore stadio in brevius se contulisset, ne hujus quidem finem contingere fata eum siverunt. Nam dum totus in hoc argumento versatur, subinde cum naturali illo ipsique proprio perfectionis desiderio ad expolienda vetera, Elogium Hemsterhusianum et Vellejum, revocatur: tum vero (1784.) novo etiam consilio ad edenda Mureti opera convertitur. De his infra dicemus. Tum quoque Himerius Wernsdorfianus, adhuc scriptus, dudum in Germania jactatus, et bibliopolis frustra oblatus, ad Mutzenbecherum virum reverendum ac doctissimum delatus, ab eoque mihi traditus, bibliopolam Batavum quaerebat, nec, quamvis à Ruhnkenio et me item commendatus, reperire poterat. Ruhnkenio vehementer displicebant notulae multae, ut ajebat, pueriles: volebat eas à me circumcidi et expurgari: ego mihi tantum in alieno opere arrogare nolebam: sed, ne expurgatum quidem et ad voluminis brevitatem redactum recipere volebant bibliopolae: quod mirandum in opere Graeco, num-

quam

quam antea edito. Prodiit demum sexennio postea, Goettingae.

Attulit idem annus quaedam in utramque partem insignia Ruhnkenio. Uxor gravi morbo afflicta, deinde sanitati restituta. Luctum ex optimi Doevereni obitu susceptum levavit notitia successoris, Paradysii nostri, quo non minus ob praeclaram artis medicae scientiam, quam ob doctrinam cum nostrarum Literarum elegantia conjunctam, delectari solebat. Mox gratissimus advenit hospes Thomas Burgessius, Britannus: cujus excellentem Literarum scientiam rara quaedam ornabat animi probitas morumque modestia; unde amicitia cum praesente nobis conciliata, deinde cum absente epistolis officiisque viguit.

Memini me Ruhnkenium illo tempore monere, ut vitae suae argumenta scripto notaret; ut esset, unde eam alii conscriberent, ipso mortuo, eumque me futurum profiteri, si quidem me illi superstitem fecisset fortuna. Illi, voluntatem sibi meam non ingratam esse ostendens, promisit se facturum quod peterem. Interea ille nil horum facere: ego subinde instare: denique ille respondere, satis me res suas scire, satis etiam sibi esse è scriptis suis cognosci. Ergo eo magis operam dedi, ut res ejus cognoscerem, cum ex ipso in primis percunctans, tum alios etiam interrogans. Cujus cognitionis auctoritate fretus nunc hanc Viri Vitam memoriae prodo.

Valckenarius diem obiit insequente anno (1785) men-

mense Martio, multis ille mihi nominibus lugendus: et Literarum caussâ, exstincto earum altero veluti lumine et oculo: et mei non minus caussa, amisso altero doctore et amico, incrementorum meorum fautore atque adjutore. Huic nemo successurus erat, nisi quem Ruhnkenius commendasset: atque is me dudum Valckenario, ne ipso quidem nolente, successorem destinaverat. Ego quominus oblatam cathedram accipere vellem, factum est rerum mearum temporisque illius rationibus; quod in Amstelodamensi Athenaeo recens a Philosophia ad Historias, Eloquentiam, Literasque et Graecas et Latinas traductus, ampliorem, in quo excurrerem, campum nactus essem, nec minus urbis diuturna consuetudine, quam comitate magistratuum, tenerer. Si quid mihi tunc, repudiatae conditionis caussa, succensuit Ruhnkenius, hoc et breve fuit, et cum amore conjunctum, et vetere mox benivolentia obliteratum.

Caeterum, sperati collegii convictusque frustrationem invicem porro compensavimus invisendi frequentia: et compensavit novus collega J. G. Te Water, Theologus, qui quo in genere censendus esset, ipse ostendit et aliis scriptis, et oratione de *Theologo erudito*, postea habita. Hujus absentis doctrinam cum aliis è speciminibus, tum è consilio edendi Arnobii perspexerat Ruhnkenius: hujus item praesentis humanitate et consuetudine gaudebat: eidemque editionem opusculo-

lorum P. E. Jablonskii, unius omnium hoc saeculo Theologorum eruditissimi, commendavit. Nam haec ab ejus filio sibi missa edere receperat: mox animadvertens, opus esse editore in Orientalibus Literis versato, Schultensio ea tradidit: cujus immaturo obitu iterum orba tutelae commisit eruditissimi item collegae Theologi. Sunt vero illa opuscula partim antea edita quidem, sed multis partibus ab auctore locupletata: veluti *Disquisitiones de Lingua Lycaonica: Dissertationes de terra Gosen, et Remphah Aegyptiorum Deo: Exercitationes de Nestorianismo:* partim sunt nondum edita: veluti *Dissertationes ad varia Antiquitatis Christianae capita pertinentes:* tum vero, exquisitae opus doctrinae, quo plurimis Scriptorum cum sacrorum, tum Graecorum Romanorumque, locis nova lux affunditur, *Collectio vocum Aegyptiacarum, quarum apud Veteres mentio occurrit*, describi coepta anno 1722, absoluta 1740. Nos, ut et Jablonskianae et Arnobianae absolvendae editioni, cum bibliopolam tum vero otium nanciscatur praestantissimus editor, Literarum caussa optamus (66).

Fru-

(66) Tum quoque praeclare meruit de Celso, Indice verborum locupletissimo Georgii Matthiae, Professoris quondam Goettingensis, et brevi praefatione, bibliopolae nomine scripta, addendis editioni, quae Leidae apud Luchtmansios facta est a. 1785, forma quadrata.

Fructuosus fuit annus ad studia doctorum hominum auctione bibliothecae Gronovianae, quae inde ab laudis auctore, Joanne Frederico, per filios Jacobum et Laurentium Theodorum, et nepotem Abrahamum, Jacobi filium, ad tot non modo editorum librorum, sed ineditarum animadversionum, volumina, ad tantum codicum veterum scriptorum, editionum principum, collationum, numerum creverat, ut in hac urbe cum publica bibliotheca contendere, certe privati censum superare videretur: porro à dominis haud secus atque religiosissimum et inaccessum servabatur fanum, quo nemini non modo ingredi, sed vel adspirare, liceret. Vulgaribus editisque libris jam ante decennium venditis, reliqua pars, qua rariores omnes et scripti continebantur libri, necquidquam ingenti pretio venditata universa, per auctionem divendita est minimo in singulos libros aere; hominum vulgo studiis ad emendum frigentibus: cum quidem paucis postea diebus, mandata Catharinae II, Russorum Augustae, adferrentur, amplam dignamque illius magnificentia pecuniam offerentis. Ita Ruhnkenius occasione solerter usus, maximam optimamque librorum Gronovianorum partem, parvo pretio, bibliothecae Lugdunobatavae vindicavit.

Appuleji Oudendorpiani pars Metamorphoses continens, per sedecim annos chalcographorum manibus tractata, tandem (1786.) prodiit cum praefatione Ruhnkenii. Nam quum Oudendorpii

in

in Scriptoribus Latinis operam, ut doctam et accuratam, magni faceret, nolebat committere ut opus, in quo expoliendo ille triginta fere annos consumsisset, diutius à publica luce et utilitate cohiberetur, petieratque ab Oudendorpio filio, ut sibi facultatem daret Appuleji in lucem proferendi: eaque impetrata facultate, reperit librarium qui reciperet, se Metamorphosin primo excusurum, deinde, si haec cupidos emtores invenisset, reliquos libros, Florida, Apologiam, Philosophica, additurum. Igitur Ruhnkenius commentarios Oudendorpii digessit, priorum animadversiones interpretum, Colvii, Wowerii, Stewechii, Elmenhorstii, et aliorum adjecit: in praefatione de Appuleji dictione, de Oudendorpii opera et subsidiis, tam diligenter eleganterque exposuit, ut haec quoque in celebratis censenda sit praefationibus. Reliqua Appuleji pars adhuc in scriniis continetur: et est sane idonea materia, in qua tractanda ac prodenda doctus aliquis juvenis doctrinae fructum laudemque consequatur. Plura de hoc libro diximus in relatione, quamvis brevi, Bibliothecae Criticae Vol. III. Part. I.

Idem ei tempus conciliavit notitiam amicitiamque G. L. Spaldingii, eleganti ingenio doctrinaque juvenis, per aliquot menses apud nos peregrinantis. De quo quum idem utriusque nostrum fuerit sensus, non possum facere quin apponam locum ex ejus ad me data epistola mense Novembre anni 1786: „ Non dubito" inquit „ quin

saepe videris Spaldingium. Is ingenio et humanitate sua me mirifice cepit. Utinam talis juvenis, misso studio Theologico, se totum Literis nostris dicaret." Haud vanum fuit optatum. Ille mox Professor Gymnasii Berolinocoloniensis factus, Literisque nostris vindicatus, bene de iis meruit complurium librorum scriptione, et nuper perdocta Quinctiliani editione, cujus primum volumen superiore anno (1798), eo ipso, quo mortuus est Ruhnkenius, prodiit: de quo quid Spaldingius in praefatione posuerit, non omittendum videtur. Primum illius literas ad se d. 20 Octobr. 1793. datas refert has: „Bibliotheca Leidensis tibi tot ac tanta rei bene gerendae praesidia suppeditabit, ut praeterea non ita multum requirendum videatur. Nam post editum à Burmanno Quinctilianum, in bibliothecam publicam venerunt duo codd. mss. nondum excussi, plures collationes mss. partim à summo viro Jo. Frederico Gronovio, partim à Laurentio Theodoro Gronovio factae. Denique ipse apparatum, quem Ernestus collegerat, care redemtum in eamdem intuli bibliothecam." Quibus haec subjicit ipse Spaldingius: „Erat summa mihi gratificandi voluntas in Ruhnkenio, viro à nobis, quotquot per Europam veteres Literas colimus, pro horum sacrorum antistite, venerando. Neque minores ei gratias habeo, quod tantum concedere voluit homini cognito ex brevissima in docta urbe commoratione; etsi temporum nostrorum iniquitas invi-

dit

dit mihi hasce opes, laetiore fortasse Europae fortuna usurpandas."

Secutus est annus (1787) memorabilis, partibus quibus Ruhnkenius favebat oppressis, ipsique ad dolorem insignis. In quo quam constans fuerit ipsius ratio, quam leve vulgi judicium, operae pretium est cognoscere. Senatus Academicus ipsum et Pestelium oratores legavit ad exercitus Borussici, adjutoris Nassavicorum, praetorem, Ducem Brunsvicensem, qui ei Academiam commendarent, peterentque, ut omnem ab ea hostilem vim arceret. Ecce! exorti sunt, qui eum reprehenderent, quod cum collega, adversariarum patrono partium, ad suarum oppressorem legari se pateretur. Hominis inepti et rerum imperiti! Quasi vero Senatus in oratorum delectu aliud quid spectasset quam aetatem, auctoritatem, ac doctrinae famam, quarum rerum commendatione duo hi excellebant: aut, quasi Ruhnkenius delatum sibi munus defugere honeste potuisset. Deinde Gubernatoris major filius, Guilielmus Fredericus, patri destinatus in rei publicae principatu successor, studiorum caussa in hanc urbem habitatum venit. Ad hunc subinde ventitabant salutatum cum alii cives utrarumque partium, tum Professores: in his Ruhnkenius, qui propter illorum frequentiam, et veterem suam in celebritate versandi consuetudinem, hoc officium omittere non poterat. Atque eum Guilielmus Fredericus, licet ejus scholis non uteretur, tanta semper humanitate excepit, ut eum in-

Insigni prae aliis loco haberet, nec tamquam cum salutatore officioso, sed de Literis, ut cultor earum cum antistite, studiose ac reverenter colloqueretur. Hoc quosdam pungebat, et Ruhnkenii, ut parum constantis, reprehensoribus aggregabat. Ille vero judicii constantiaeque optimas sequebatur duces naturam ac prudentiam. Recente adhuc casu ac dolore, haec mihi scripsit d. 8. Januar. 1788. „ Utinam vel horam una essemus, ut, qui tuus in hac servitute sensus sit, cognoscerem. Me quidem adeo poenitet Hollandiae, ut si Soram vocarer, sicut olim in simili rerum conversione Jo. Meursius, conditionem acciperem. Nec quidquam hoc reip. statu me delectavit praeter Bibliothecam tuam Criticam — in primis animadversiones in Julianum, scriptas ad eam rationem, quam tu fateri soles meis in Timaeum notis tibi esse demonstratam." Egregius sane mihi ad voluptatem fructus studii, è quo tantum solatii fructum Ruhnkenius meus perciperet! Respondi, me nunc in primis Demosthenis Philippicas et Ciceronis Epistolas ad Atticum legere. Interjectis aliquot mensibus, quum eum inviserem, „ Equidem" inquit „ et ipse nunc legi Ciceronis eas partes, quae ad bellum civile referuntur: movit me temporum similitudo: et sane iisdem locis legendis alias aliter afficimur. Quum in rebus ad voluptatem aut dolorem insignibus versamur, et inter legendum in similem nostris rebus locum incidimus, is dudum quamvis cum ingenii oblectatione le-

ctus,

etus, tamen ut novus nec antea cognitus accidit, incredibiliter sensum percellit, ab ingenio cum animo communicatur, in eumque alte defigitur ac penitus insinuatur. Veluti nuper locus è secundo de Divinatione mirifice me advertit, ut eum quasi manu injecta mihi vindicarem et vivendi legem constituerem: en verba Ciceronis: *cum esset in unius potestate res publica, neque ego me abdidi, neque deserui, neque afflixi, neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus: neque ita porro aut adulatus, aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae poeniteret: id enim ipsum à Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à singulis.*" Et vero hanc rationem constanter tenuit Ruhnkenius.

Sed ut Ciceroni rei publicae conversio discipulos attulit, ita Ruhnkenio abstulit. Certe ab illo tempore et scholae illius, et qui eis nomina darent, minus frequentes fuerunt. Ipse caussam tribuebat civili odio: quod studiosa juventus fere victricibus faveret partibus, et victarum partium multi patres filios vel domi retinerent vel alio mitterent: quodque ipse suam de re publica sententiam non dissimularet. Quamquam in scholis numquam de praesente rei publicae statu loquebatur, nec diserte nec oblique: in quo multi sibi placent ac sapientes videntur: recte statuens, civilem prudentiam ultro exsistere è certa Antiquitatis interpreta-

tione, hanc unam debere tradere doctorem, non discentium judicia auctoritate partium occupare. Et quando in schola jam minus quam antea Literis prodesse poterat, eo magis operam dabat, ut earum detrimentum resarciret prodendis suis ipso doctrinae monumentis, et amicorum studiis juvandis. Profuit tum Schweighaeusero, viro doctissimo, impertienda collectione Gronoviana ad Polybium: ut ante eidem profuerat in Appiani editione. Cumque neminis cujusquam res tam ad se pertinere existimaret, quam meas: in primis ei laetum accidit, quod Academia Oxoniensis Plutarchum meum excudendum recepisset, eo cultu, qui et meo et ipsius studio responderet; quandoquidem ipse mihi auctor suasorque fuisset Plutarchi edendi, et ipso illo tempore adjutor cum consilio, tum commodandis veteribus libris bibliothecae Lugdunobatavae.

Effecit quoque ut communis noster discipulus et amicus, Henricus Hana, Gymnasio Amisfurtano Rector praeficeretur, affirmans Curatoribus, eos non solum de sua, sed de Literata, civitate bene merituros ipsis tali doctore asserendo. Eumdem paulo antea cohortatus, ut à Theologia ad Literarum, in quibus excellenter versabatur, studium se totum converteret, ita ad me scripsit: „ Quibus rationibus praestantem juvenem, Hanam, ad Literas nostras traducere sim conatus, ex ipso arbitror te cognovisse: — à me habebit Phrynichum Arabium, ut eo edendo familiaritatem

cum

cum Scriptoribus Atticis contrahat, et nomini suo commendationem quaerat." Hunc item ante hos tres annos, in adipiscendo Gymnasii Amstelodamensis Rectoratu, gravissima testimonii sui auctoritate adjuvit. Ab hujus igitur viri doctrina et industria novum et ineditum adhuc Literarum munus, Phrynichum Arabium, exspectamus: cui edendo, in tam occupata vita, ut otium obtingat doctissimo editori, optamus.

Sed Ruhnkenius, quum suo semel operi manum admovisset, hanc veluti incudem tanta alacritate et assiduitate tutudit, ut proximo anno (1789.) triplex simul ejus proventus exiret, Timaeus, Elogium Hemsterhusii, Mureti Opera: de quibus omnibus quum dixerimus Bibliothecae Criticae Vol. III. Parte II., de duorum autem priorum prima editione prodiderimus in praesente hoc libro, eo breviore nunc commemoratione defungi possumus.

Timaeus, ex quo tempore eum retractare coepit Ruhnkenius, epistolas mutuo nostras et confabulationes multum frequentavit. Eum ita locupletavit, ut vetus editio sui dimidio à nova superetur, nec tamen quidquam alieni, nil nisi cum re praesente conjunctum, nil nisi novum, exquisitum, reconditum, accesserit. Itaque et ipse illo tempore verissime ad me scripsit: „In Timaeo, quem ita emendavimus, ut ne serae quidem posteritatis judicium extimescere debeat, singulae paginae aliquid novi habent;" et ego in Praefatione

ad Animadversiones Plutarcheas, paucis ante ejus obitum mensibus scriptas, Timaeum, ut unicum à renatis Literis exemplum operis perfecti, et, quoad ejus in hoc genere fieri potest, absolutissimi, laudare non dubitavi.

Elogium Hemsterhusianum castigatius prodiit, compluribus locis ad proprietatem, perspicuitatem, efficaciamque dictionis reformatis: quod vix fieri potuisse videatur in libro, qui jam è prima editione tam cultus politusque exiisset. Sed nimirum triginta annorum intervallum et orationis scientiam auxerat, et limam acuerat. Adjectae sunt duae antea ineditae epistolae Bentleji ad Hemsterhusium, palmariae ad emendandi solertiam in Comicorum fragmentis à Polluce servatis.

In Mureto plane novam eamque criticam navavit operam. Scripta viri omnia, et edita et inedita, quotquot reperiri potuerunt, unum in corpus collegit, ad optima exemplaria exegit, subinde animadversiones in primis censendae dictioni adjecit, utilissimas illas Latine scribendi studiosis ad proprietatis probitatisque cognitionem. Unus enim recentiorum fuit Muretus, cujus oratio proxime ad optimorum Veterum, maximè Ciceronianam, formam accederet, qui de tenui argumento ornate, de obscuro dilucide, de gravi magnifice, de omni pure, emendate, suaviter scriberet. Cumque vulgo nostra aetate, qui se Veterum interpretes ferunt, nullam magnopere bene scribendi vel rationem vel facultatem habeant,

cum-

cumque turpissimum sit iis, qui Veterum elegantias aliis enarrent, ipsos uti sermone barbaro et lutulento; Ruhnkenius hunc extraordinarium celebrandi Mureti laborem suscepit; ut haberent exemplum, in quod intuentes, de rebus sive antiquis, sive novis, antique scribere discerent.

Sed veluti ager quamvis fecundus, quo plures uberioresque deinceps generosae frugis segetes tulit, eo diutius situ et quiete recreandus est anteaquam denuo seratur: ita Ruhnkenius, edito triplici illo proventu, quasi vires profudisset suas, longiore ad eas reficiendas opus habuit otio: sed speratum otii fructum, pristinam alacritatem, ingravescens paulatim senectus intercepit. Scholarum, lectionis, ambulationis, celebritatis, convictus, venationis, omnino consuetudinis ac vitae quotidianae, idem erat opus, idem studium. In epistola, quam ad me solito longiorem scripsit d. 5. Januarii, a. 1791, haec etiam posuit: „Caeterum et animo et corpore ita vigeo, ut, nisi me apoplexia rapiat, videar posse ad eamdem aetatem, quam mater mea attigit, id est ad annum 86, pervenire. Ante paucos dies ingressus sum annum 69. Incidit enim natalis meus in secundum Januarii 1723. Nec ulla alia re senem me fieri sentio, nisi pigritia in literis scribendis". Sed tamen ad unum et continuum opus edendi libri minus patiens, magisque tardus fiebat. Solebat et antea, edito, qui eum exercuisset, libro, ab animi intentione se relaxare et paululum quie-

scere. Et nullus non, quem ederet, liber, usque dum editus esset eum exercebat; quippe qui typographica specimina ipse tractare soleret, et inter tractandum multos locos retractare, iisque corrigendis mutandisque, multa evolvere, legere, commentari. Et otium ei erat, operae non cessatio, sed mutatio: vacabat certo penso edendi alicujus libri: lustrabat scripta sua edita, inedita, absoluta, inchoata: haec eum observatio ab alio ad alium legendum librum ducebat, multa obiter animadvertentem, emendantem, in adversariis annotantem. Et hujusmodi fere studio per reliquum deinceps vitae contentus fuit.

Accedebant, tempora nec publice nec privatim opportuna longiori suscipiundo operi. Incredibilis illa nec exspectata Francici regni conversio, cum sua magnitudine et novitate remotissimos etiam populos advertebat: tum vero vicinos, in primis Batavos, vehementius commovebat, et in ejusdem vicissitudinis societatem tractura videbatur: nostros utique homines anxia rerum exspectatione suspensos tenebat, pro partium diversitate, vel metuentes Francorum adventum, vel optantes. Ruhnkenius nullius non populi commodis ac libertati favebat; igitur illorum res perpetuo eum sollicitum habebant, adversae affligebant, laetae erigebant. Et talis fere ejus fuit animus ac sensus per id quod supererat aetatis spatium. Promit Scholiastam Platonis insequente anno (1791). Vix manus admoverat operi, quum inde avocatur

fi-

filiae majoris morbo gravi sane et periculoso, qui eo vehementius eum angebat, quod sola haec ei erat familiae pars integra, cujus incolumitate se recreabat ac sustentabat in uxoris et minoris filiae calamitate. Vix dum illa revaluerat, cum novus accidit dolor ex obitu Francisci Hemsterhusii, quocum ei fraterna propemodum necessitudo intercedebat et caritas, haud secus atque adoptato filio cum germano. Quod supra dixi de adversariis patris, non ita accipiendum est, ac si ea intercidissent. Inventa sunt quidem, sed spe pauciora: libri, ejus manu notati, complures subjecti sunt cum reliquis auctioni, sed emtione vindicati bibliothecae Lugdunobatavae. Tempus rebus secundis adversisque mixtum, ut magis laetum quam triste videretur, effecit arcessitus è Franequerana cathedra novus collega, Jurisconsultus, Smallenburgius. Hic ante paucos annos discipulus in primis probaverat ei studium elegantis in Jurisprudentia rationis à Graecarum Latinarumque Literarum cognitione ductae: nunc Ruhnkenius collegam eum sui studiosissimum expertus, eo magis praeclara ejus doctrina, amore, ac familiaritate delectabatur.

Redit denuo ad Scholiastam Platonicum (1792): ac denuo inde avocatur, vetere illa perfectionis opinione ac spe ad Vellejum traductus. Inde ab eo edito, per tredecim annos multum ipsi novae emendationis subnatum erat: hujus nonnulla occupaverant interea alii viri docti: ipse nil minus

fer-

ferre poterat, quam exstare quoddam suum opus, cui quid deesset. Igitur alteram editionem facere instituebat: at operi alius intervenit nec opinatus labor, Lexico Latino Schelleriano insumtus, utilis quidem ille ad studia juventutis, nec tamen in materia Ruhnkenio digna, aut nisi indigna, certe intempestivus et aliis mandandus. Desiderabatur dudum probae Latinitatis Lexicon, puerorum adolescentiumve captui accommodatum; quandoquidem in Pitisciano, quod vulgo juventutis manibus teritur, nec verborum significationes accurate definiuntur ac distinguuntur, nec Latinitas sincerae tantum aetatis, sed, ut in aliis plerisque Lexicis, admixtis multis labentis aevi sordibus, apponitur: quae semel teneris juvenum ingeniis quasi adspersae, adeo pertinaciter adhaerescunt, ut nulla in posterum quamvis diligente cura elui possint. In priore officio Schellerus operae pretium fecisse videbatur: in posteriore pervulgatum errorem secutus erat: utrumque tamen ejusmodi erat, ut facile nostrorum hominum usui aptari posse videretur. Ergo bibliopolae negotium dant homini idoneo, ut interpretationes vocabulorum locorumque Latinorum Germanicas Belgice verteret: porro, Ruhnkenium rogant, ut materiam libri suo judicio emendaret et formaret, probe scientes plurimum ab ejus nomine commendationis libro accessurum. Is hominibus, in re quae ad Literarum studia pertineret, quamque ipse acerrimus probae Latinitatis vindex ac stator diu

de-

desiderasset, deesse noluit, operamque suam addixit, ratus eam delendo et omittendo, magis quam addendo corrigendove, contineri. Quamquam, ut mihi saepe fassus est, ipsius spe et opinione plura fuere corrigenda, plus etiam laboris exantlandum in expurgandis istis sordibus; tamen lubens perrexit, cogitatione beneficii in Literas conferendi, quo studiosis earum provideretur et caveretur. De quo beneficio ipsi propediem judicare poterunt harum rerum periti, quum liber, quod brevi fore speramus, è chalcographia Honkoopiana in publicum exierít.

Fuit hic extremus ab eo Literis publice navatus labor: quem quominus alii sequerentur labores, praeter memoratas caussas, alia accessit. Adhuc bene valebat, et fortuna sua contentus: vigebat mente, animo, sensibus, omnibusque corporis officiis. Inde ab anno aetatis sexagesimo tentabatur fere quotannis per aliquot dies podagricis et chiragricis affectionibus: quibus licet illud effici videretur, ut reliquum tempus eo rectius valeret; tamen paulatim dextra manus debilitabatur, ut in dies magis scribendi officium recusaret, nec id nisi tremula et multo negotio perageret. Quae difficultas quantum impedimenti attulerit studiis, quae non modo ingenium et oculos, sed manum et calamum exercent, quantumque scribendi cum facultate voluntatem minuerit, nemo non intelligit. Nec edendorum porro librorum consilium penitus abjiciebat: sed legendo, et quoad poterat excer-

pen-

pendo et annotando quotidie pergebat; si forte manus ad officium reditura, aut ipse literatum hominem nactus esset, cujus manu uteretur. Ita sequentes anni, caeterum ad veterem consuetudinem, transacti sunt: ex quibus proximi deinceps duo (1793 et 1794) luctuosi fuerunt et ipsi, et mihi, et huic Academiae, et Literis, obitu egregiorum mihique carissimorum hominum, Schultensii ac Nieuwlandii, quorum neutrum ego

meis
Chartis inornatum sileri (67)

fas mihi duco; fuit uterque mei amantissimus, uterque ingenio animoque integrum incorruptumque naturae opus; adeo nil pravum, humile, invidum, nil nisi sanum, benivolum, habebant: prorsus, ut idem ait poëta,

animae, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter (68).

Schultensium pater J. Jacobus, Lugdunobatavus Professor, filius magni illius Alberti Schultensii, unicum habebat natum, eumque jam ab incunabulis, si res ita ferret, destinabat domesticae Literarum Orientalium laudi tuendae. Puero egregios in omni genere adhibuit magistros, non magno cum fructu: sinens eum genio obsequi, ac disce-

(67) Horat. Carm. IV, 9, 30.
(68) Horat. Sat. I, 5, 42.

cere quantum vellet, non quantum posset; ratus liberalius habitum, nec severae disciplinae adstrictum, progressu aetatis sponte in rectam studiorum viam ingressurum. Nec spes eum fefellit. Adolescentulus mox laudis doctrinaeque amore percussus, dedit se ad inchoatum Literarum opus persequendum, Graecarum Romanarumque ducibus Valckenario et Ruhnkenio, Orientalium patre. In his brevi tantos fecit progressus, ut viginti et quatuor annos natus, earum ei cathedra Amstelodami mandaretur: quam per sex annos tenuit, conjunctissime mecum vivens. Hinc patri mortuo successor Lugdunumbatavorum traductus, easdem Literas docendo egregie tutatus est: et avitam gloriam aequasset, si longiorem ei vitam fata concessissent. Raro quodam naturae munere, simul habebat utrumque illud, εἶναι καὶ δοκεῖν. In vultu et oculis expressa erat animi probitas, magnitudo, benivolentia, et nullius non virtutis significatio: habitus, gestus, motus, plurimum habebat decoris. Accedebat acerrimus pulcri verique sensus, mira comitas et affabilitas, nec minor sermonis orisque commendatio; omnia à natura tributa, nil studio quaesitum. Igitur pauci fuerunt, qui vel docentes vel dicentes majore cum voluptate et facultatis opinione audirentur: pauci, quorum privatim sodalitas et consuetudo vulgo magis expeteretur. Unde factum, ut Literis destinati otii nonnulla pars ei periret, occupata extraordinariis officiis; quum, per naturae liberalitatem,

tem, ipsius cupidis ac rogantibus deesse nollet. Quam jacturam compensare aggressum, Meidanio, Arabe Scriptore, quem dudum ad editionem instruxerat, edendo, jam compluribus plagulis excusis, mors eum occupat quadragesimo quarto aetatis anno.

Nieuwlandius item unicus parentum erat natus, sed obscuro genere, angusta in re, patre fabro tignario in Amstelodamensi agro, homine probo; puerulus ac paene infans, in quosdam patris libros incidens, mira cupiditate eos legit: inde, quasi per lusum, solus suo ipse ingenio didicit Historiam Universam, Geometriam, versus quoque fundere Belgicos probabiles numero et acumine. Cujus rei fama excitati cum frequentes ex urbe homines venirent ad eum, tamquam miraculum, spectandum; magis etiam admirabile fuit, quod puer, praesens à praesentibus mirum in modum celebratus, nihil inde vanitatis conciperet; ut ne suspicaretur quidem esse in se aliquid praeter alios homines praecipuum. E paterna domo traductus in familiam et quasi tutelam eruditissimi amicissimique nostri Hieronymi Boschii, ab eodem Literarum Latinarum Graecarumque cognitione imbutus est: meis etiam institutionibus ab eam facultatem profecit, ut praeclarum specimen ejus, disputationem de Musonio, ederet. Nec longius in his Literis progressus est. Ad totos continua lectione et grammatica ratione tractandos Scriptores, deerat laboris patientia et constantia. Homeri di-

mi-

midio lecto, destitit: reliquum diversis temporibus raptim percucurrit; licet Graecos quoscumque, quamvis subito inspiciens, probabiliter intelligeret. In Belgicis carminibus, quae brevia nec pauca composuit, vix ullam boni poëtae dotem desideres, ratione, oratione, luminibus: nec majoris fere ei erat laboris ligatae, quam solutae, orationis scriptio. Natura ipse sua et voluntate ad Mathematicas disciplinas ferebatur: in his vitae tabernacula ponere decreverat: et, excellentissimis usus magistris, omnes discendo praecucurrit, ut, quod amplius eum docerent, non reperirent: haud dubie princeps hujus artis futurus, si maturior aetas laboris assiduitatem attulisset. Ingenio natus tali, qualia vix singula singulae ferunt aetates, velocitate valebat ejusmodi, ut uno impetu et quasi oculorum obtutu argumenta quamvis ampla perciperet, et tamen rationes nexumque perspiceret: memoria tanta, ut nil scripto notans, omnia teneret, ac saepe diceret difficilius sibi esse oblivisci quam meminisse; cum quidem novum librum, recentiore lingua scriptum ac populari fama celebratum, nullum non legeret. Pueritiae mores per reliquam vitam servavit, simplicitatem, modestiam, innocentiam, et, quod Graecis dicitur, τὸ ἀνειμένον καὶ παιδιῶδες, animi ad lusum remissionem; ut in doctrinarum studio non adstrictum se teneri pateretur, solutus vagaretur, ac tam discendo luderet, quam ludendo disceret: et, quod de puero Cyro in re haud dissimili ait

Xenophon (69), τὸ σκυλακῶδες καὶ τὸ πᾶσι προσπίπτειν, catulorum instar in omnia involare, ita ille, si quo veniret, statim libros odorobatur, in manus sumebat, pervolvebat, saepe è vestigio perlegebat. Quatuor ultimos vitae annos ipse publice docuit: tres Amstelodami, Matheseos Lector: unum Lugdunibatavorum, Physices et Mathematum Professor. Obiit proximo post Schultensium anno, aetatis trigesimo: huic Academiae, et ipsi patriae, magis ostensus quam datus.

Cum utroque Ruhnkenius consentiebat in judicio de re publica, et in sensuum similitudine; cum utroque familiaris et paene quotidiana consuetudo ei intercedebat. Quo acerbior ei accidit ex utriusque morte dolor. Scripsit ad me, recente casu, die 25. Novembris 1794. „ Nieuwlandium unum ex multis delegeram, in cujus suavitate et amore, post ereptum nobis Schultensium, conquiescerem. Quo gravius est vulnus, quod mihi mors ejus imposuit. Recte hanc jacturam irreparabilem vocas". Hoc obiter scribebat. Nam epistolae argumentum erat de praefatione mea ad Plutarchum. Hunc totum mei caussa se denuo lecturum, mihi receperat, ut emendationes sibi inter legendum natas mecum communicaret, quo mea editio cultior redderetur. Verebar ut hoc aliquid fieret, videns eum quotidie ad sua ipsum magis retardari. Nec vanus fuit metus. Di-

(69) Cyropaediae, I, 4, 4.

Dixit mox, malle se contextum Oxoniensem legere; quod huic meae emendationes, quas nondum vidisset, subjectae essent. Hoc edito, ejus exemplum ei dedi. „Majus est opus" inquit „quam pro animi mei remissione: legam praefationes et animadversiones tuas scriptas; antequam excudendas chalcographis mittas". Tum praefationem in manibus habebat, quam cum reliqua contextus parte Oxonium transmittere festinabam; antequam belli flamma muros nostros attingeret; victricibus Francorum armis magis magisque appropinquantibus. Erat hoc; si quod umquam; sollicitum tempus et acerbum; dubia impendente fortuna; ad publicam belli calamitatem accedente luctu et ingente jactura ex obitu Nieuwlandii.

Incidit mox sub initium anni (1795) altera rei publicae conversio, superiori illi ἀντίστροφος, ejusque vicem rependens, Ruhnkenio optata; non item efficax ad pristinam vel in Literis alacritatem ipsi; vel discipulorum frequentiam scholis ejus, restituendam. Civibus singulis et universis ad communem libertatem tuendam; et patriae curam gerendam; vocatis; magna juventutis Academicae pars suam quoque rem agi putans, excitari, inglorium sibi literatum otium ducere, malle rem publicam tractare quam scholis vacare; agere quam discere. Principes auctoritate viri, qui fere discipuli ejus fuerant; eum, ut magistrum, suarumque partium fautorem, amantes, frequentes ad eum ventitabant, consilia sermonesque collatum:

ventitabant et alii multi à Literis ad rem publicam transeuntes, ejusque aliquam partem vel gerentes vel gerere cupientes. Omnibus semper lenioris fuit auctor sententiae, clementiaeque erga prostratas jacentesque adversarias partes: omnibus fuit suasor, ut, quod in proverbio (70) dicitur, quam quis artem nosset, tractaret, regere sineret eos, quos virtute et civili prudentia excellere constaret. Profecto, cum ad alia civitatis commoda, tum ad Academiae florem utile fuisset, si et hi qui res gerebant, et illi quorum res agabatur, eum aut magis consuluissent, aut consultum magis audivissent. Nunc, quum ille omnibus in rebus mitiorem prudentioremque rationem sequeretur; isti, qui dura calidave agitabant consilia, ad ipsum non referebant, probe scientes, se eum et dissuasorem et reprehensorem habituros.

Illo tam distracto agitatoque tempore, satis habebat ordinariam operam scholis habendis tribuere; nam peculiariter recolendis studiis, operibusque editioni destinatis repetendis, parum relinquebatur otii. Tamen reditum ad Literas ei attulit, brevem quidem, sed tamen reditum, munus

(70) Cicero Tusc. I, 18: *Bene enim illo proverbio Graecorum praecipitur „Quam quisque norit artem, in hac se exerceat."* Ad quem locum J. Davisius Graecorum locos Scriptorum annotavit.

nus inexspectatum Fred. Aug. Wolfii, Homeri editionem ei publice dedicantis. Hunc virum è scriptis ejus, postea epistolarum officio cognitum, unum in primis exterorum accuratae Literarum scientiae caussa magni faciebat: ejusque Prolegomena Homerica tum recens allata, singulari cum voluptate legit, etiam ubi ab eo dissentiret: velut in ea disputatione, quae magnam libri partem complectitur, qua ostendere conatur, Homeri carmina, non ab uno, sed pluribus Poëtis, variis aetatibus composita, non nisi rhapsodorum memoria cantuque servata, ignoto adhuc apud Graecos scribendi usu, Pisistratidarum demum aetate scripto mandata esse. Hanc sibi opinionem non probari ajebat Ruhnkenius: at vehementer probari designatam egregie viam carminum Homericorum ad criticam scripturae auctoritatem restituendorum. Et hac lectione excitabatur ad colligenda, quae de eodem argumento in adversariis sparsa habebat: sed, intervenientibus mox aliis negotiis, à proposito destitit.

Interea rem familiarem affligebant cum aliae bellicae calamitates, tum annonae caritas: difficultas augebatur, decrescente cum discipulorum numero simul privato vectigali: iisdemque incommodis proximo anno (1796.) manentibus, à Curatoribus additi salario trecenti floreni magis benivolentiae significationem, quam detrimenti compensationem, adferebant. Accedebat alia molestia. Dolebat suis doctoribus orbatas cathedras, Juris Pu-

blici, Graecarum Literarum, Physices et Mathematum: his ornandis Professores quaerere, ipsi à Curatoribus mandatum, ejus et animum cura, et manum epistolarum officio, fatigabat: interea frustra quaerentem aliorum auctoritas intercipit. In primis de Graeca professione laborabat: primum, retinendo qui eam deposuerat; tum, illa spe frustratus, vocando novo doctore: nequicquam deinceps oblata mihi, Spaldingio, Wolfio: unde et ego in ejus offensionem incidi, ut qui, accipienda conditione, facile istam sollicitudinem à se avertere potuissem. Offensionem diutius, quam pro vetere amore, in animo ejus haerentem, tamen adventus meus, quum sexto inde mense, fama de ejus morbo ad me allata, eum inviserem, ita abstersit quasi numquam suscepta fuisset. Morbus eum biennio post abstulit. Sed de hac postrema vitae parte et exitu dicendi erit locus in ipso hujus libelli exitu.

Et nos quandoquidem viri vitam, enarrandis ejus rebus, factis, scriptis, fortunae vicissitudinibus, per annorum seriem ab initio ad extremam aetatem deduximus; quo interius eum, et, quoad ejus fieri potest, totum cognoscamus, quo certius ejus magnitudinem aestimemus, age eas naturae, doctrinae, animi morumque dotes ac virtutes, quae non ad unum quoddam tempus adstrictae, in illa, quam hucusque persecuti sumus, quasi annalium relatione, aut omissae aut leviter notatae sunt, sed per totam vitae actionem fusae late

pa-

patuerunt, suos quosque in locos digestas, legentium cognitioni subjiciamus.

Ac primum quidem *intelligentiae* et *cogitationis*, quo nomine omnem cognoscendi facultatem significamus, naturalem habuit facilitatem: quae ipsi facilitas, ut reliquarum intelligentiae facultatum, ita animi dotum morumque, fons fuit ac principium. Sensus corporis erant valentes, cum reliqui, tum doctissimi illi, visus et auditus, ita acres, ut et longinquas res magno ex intervallo perciperent, et propinquas continuo non solum plene, sed etiam articulatim distincteque, complecterentur. Utrumque ad elegantiam adolescens acuerat, alterum Musices, alterum Graphices tractatione. Horum aciem sensuum haud fere externa res fugiebat: et mentis ea erat agilitas, ut iis statim moveretur, vimque suam vicissim in eas intenderet, earumque imagines in se, veluti in cera, expressas susciperet. Unde exsistebat docilitas et celeritas ad arripiendum, capacitas ad multitudinem rerum comprehendendam, fides ad custodiae diuturnitatem. Paucos cognovi homines, qui tanta memoria valerent. Quamquam hujus felicitatis adhibebat praecipuam adjutricem, lecta animadversaque annotandi et in adversaria referendi consuetudinem. Sed et aliarum rerum, quibus nulla adhibetur annotatio, tenax erat memoria, cum legendo, tum audiendo acceptarum. Veluti Historiam rei publicae Batavae, quamquam non tradebat in scholis, tamen, haud secus atque Histo-

riam Universalem, tenebat: res gestas in editis libris nondum proditas, gentium illustrium cognationes, affinitates, arcana, ita norat, ut pauci quibus hoc unum est studium. Caeterum, et memoriam, et eas, quae ad inveniendum pertinent, mentis facultates, magis usu quam arte excoluerat: et, si quid adolescens temporis tribuit Philosophorum Mathematicorumque scholis, ex his non ipsas res ac praecepta, sed intelligentiae quemdam habitum ad via ac ratione disserendum, retinuit. Cumque multae sint inventrices facultates, eaeque duobus generibus discretae, altero *rationis*, quae judicio ac subtilitate nitens, veluti calculis computandis, pedetentim progreditur, altero *ingenii* (71), quod subito movetur, et in rem inveniendam quasi repentino volatu fertur; reperiemus Ruhnkenium utroque genere excelluisse, ut et ingenii impetum ratione regeret, et rationis iter ingenio acceleraret. Et quando in definienda magnitudine earum virium (72), quae sub certam numeri, mensurae, ponderisve notam revocari non possunt, nulla non utendum est declarandi via, adhibeamus etiam exempla. Apud Platonem duo sunt homines, et suo nomine et naturarum diversitate insignes: alter Alcibiades, varius ut nil magis,

(71) Harum facultatum comparationem institui in Praeceptis Philosophiae Logicae, II, 1, 14.

(72) Conferatur nostra sententia, prodita in Praefatione ad Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. Praefat. p. xi. [Vid. supra, p. 224.]

gis, alternis modo incitatus ad laudis studium, et ad agendum quidvis praeclarum subito involans, modo deficiens, et ad omnem remissionem lusumque delabens: alter Theaetetus, perpetuo conatu aequabiliter ad propositum virtutis finem pergens, et, veluti oleum (73), tacito continuoque motu sine strepitu fluens. Aut, veluti flumina, alia debilitantur minuunturque per aestatem et siccitatem, ut propemodum deficiant, rursus invalescunt ingruente nimbo aut hieme, supra notas, ut Poëta (74) ait, ripas aluntur, et proxima quaeque loca inundant: alia perennia, constanti et aequabili, sed invicto tamen, per omnem aevi diuturnitatem, tractu labuntur. Huic sedatiori generi similior fuit Ruhnkenii natura. Memini me aliquando simili comparatione inter se conferre duos Britannos, Marklandum et Toupium (75), ut illum ratione, hunc ingenio, Criticam factitare dicerem. Inter hos medium tenuit Ruhnkenius, ut in sua utrumque facultate non modo aequaret, sed superaret; quippe alteram facultatem altera, rationem ingenio, et ingenium ratione, vicissim corroborans. Tota Ernesti, quamvis egregia, doctrina magis ratione quam ingenio constitit, magis judicando quam inveniendo consumta est: emenda-

(73) Plato Theaeteto, p. 115. D: οἷον ἐλαίου ῥεῦμα ἀψοφητὶ ῥέοντες.

(74) Horat. Carm. IV, 2, 6.

(75) Biblioth. Crit. Vol. I. Part. III. p. 39.

dationes locorum corruptorum, magnas quidem et acutas, per conjecturam haud scio an nullas protulerit. At egregia valebat judicandi facultate de aliorum inventis, de Scriptorum Editorumque dotibus et laudibus, de omni Antiquitatis studio; ut, si sola reliquisset Opuscula Oratoria et Philologica, solas item Praefationes (76), in primis Ciceronianam illam ad Stiglizium, immortaliter de Literis meruisse censendus esset. Cumque in convincendo errore duplex fere sit Critices munus, alterum corrupta emendare, alterum spuria discernere à germanis, et suo quodvis auctori vindicare opus, nec alienum ei tribuere; in emendando facilior fuerit Toupius Marklando, si quidem facilitas est ingenii dos: at in discernendo, quod est rationis, huic minime comparandus. Hujus in illo genere praeclarum exstat specimen, *Animadversiones de mutuis Bruti et Ciceronis Epistolis, et ejusdem aliquot Orationibus* (77); quibus

(76) Illam ad Stiglizium Dedicationis nomine insignivit, et in altera Ciceronis editione praemisit Voluminis quarti Parti secundae.

(77) Liber Anglica lingua scriptus, editus Londini 1745, forma octava, hunc habet titulum: *Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero: — with a Dissertation upon four Orations ascribed to M. Tullius Cicero: viz.* 1. *Ad Quirites post reditum.* 2. *Post reditum in Senatu.* 3. *Pro Domo sua ad Pontifices.* 4. *De Haruspicum responsis —. By Jeremias Markland*

bus in Animadversionibus id agens, ut illas Orationes et Epistolas ostendat esse spurias, insignem certe judicandi subtilitatem ostendit. Toupius si quando hoc genus attingit, quod rarissime facit, minus feliciter rem agit: veluti, caeterum κριτικώτατος in emendando, insigne ἀκρισίας et fere ἀβλεψίας monumentum sibi constituit ad Longini Fragmentum, ubi inter principes Graecae eloquentiae, Demosthenem, Lysiam, Isocratem, ponitur *Paulus Tarsensis; quippe qui primus praefuerit opinioni argumentis non probatae:* quae verba à Graeculo Christiano esse, quum res ipsa loquatur, et monuisset Ruhnkenius ad Rutilium Lupum p. 88, ab ipso laudatus Toupio ad hunc locum, tamen ipse ineptissimum commentum ita tuetur, ut dicat, *Longinum ita scripsisse pro lubitu et gustu suo.* Plurimum sane valet cum ad judicandum, tum ad emendandum, frequente lectione Scriptoris cum eo familiaritatem contrahere, ejusque dicendi cogitandique forma et quasi sono tritas aures et sensum exercitatum adferre; ut quovis loco memoria menti statim subjiciat, quid Scriptoris consuetudo et ingenium postulet, quid respuat. Hanc facultatem ita tenuit Ruhnkenius, ita Scriptoris cujusque formam rationemque ani-

land —. De Epistolis, jam ante Marklandum, dubia moverat Jacobus Tunstallus, in Epistola ad Middletonum, edita Cantabrigiae 1741. De his assentior: de Orationibus, non item. Sic adhuc quidem sentio.

animo perceptam impressamque habuit; ut non modo spuria quaevis primo obtutu animadverteret, sed multis multorum Scriptorum locis sine illorum nomine deinceps positis, veluti in Stobaeo, sentiret continuo cujus Scriptoris quisque locus esset: et, in Anthologia, Epigramma, quodcumque auctoris nomine omisso exstaret, semel eo lecto statim intelligeret non solum qua ex aetate, antiqua, media, an postrema, sed quod longe majus, cujus Poëtae esset, ex eo adeo genere Poëtarum, quorum non nisi paucissima supersunt Epigrammata; quorum proinde quod cujusque sit, difficillimum est judicare. Sed emendationum conjecturas, nisi sponte et subito, facili certe partu, natas, non probabat: quae conjectoris cogitationem diu exercuissent, has *vultum nitentis* habere ajebat: quod Suetonius dixit de Vespasiano (78). Unam fatebatur, ex omnibus suis emendationibus, quas quidem adhuc putaret certas esse, multo sibi tempore constitisse, Velleji Paterculi, (I, 18.) proditam in Historia Critica Oratorum Graecorum, p. 37, qua mendosa scriptura, *Una urbs Attica pluribus annis eloquentiae, quam universa Graecia operibusque floruit*,

(78) In Vita Vespasiani, 20: *Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris, vultu veluti nitentis. Unde quidam urbanorum non infacete, si quidem petenti ut et in se aliquid diceret: dicam, inquit, cum ventrem exonerare desieris.*

ruit, ita corrigitur, ut legatur, *Una urbs Attica pluribus sanae eloquentiae, quam universa Graecia, operibus effloruit.* Mihi aliquando, complures unius loci emendationes ejus judicio subjicienti, adscripsit, *Sardi venales, alius alio nequior: verum non est nisi unicum.* Atqui ipse Hemsterhusius multas ejusmodi conjecturas prodidit, ut disserendo sensim ad corrigendum tendens, plures ejusdem loci correctiones proponens, et in utramque partem de iis disputans, judicium lecturis relinqueret. At Ruhnkenius, ut Hemsterhusium ratione, Bentlejum ingenio, alterum alteri, praestare, et utrumque utraque facultate omnibus sui aevi Criticis longe antecellere, censebat; ita primas partes ingenio, ingeniique Bentleio tribuebat: eique sua ipse natura in omni Critices munere similior erat. Igitur utriusque in utraque facultate specimina exstant palmaria; cum emendationes felicissimae innumerabiles, tum disputationes subtilissimae complures: Bentlejanae (79) quidem, de spuriis Graecorum Epistolis, Phalaridis et aliorum: Ruhnkenianae vero, de Longino (80), Andocide (81), Antiphonte (82), Orpheo

(79) Anglice scriptae, Latine redditae à Joanne Daniele Lennepio, additaeque editioni Epistolarum Phalaridis, Groningae 1777. Vid. Biblioth. Crit. Vol. I. Part. II. p. 69, et seq.

(80) [Vid. supra p. 682.]

(81) Historia Crit. Oratorum Graecorum p. 47.

(82) [Vid. supra p. 660.]

pheo (83), aliisque passim auctoribus, et una omnium difficillimam caussam complexa de Festis Dionysiorum apud Atticos: denique omnes omnino Praefationes, prudentia omnique intelligentiae laude, haud minus atque Ernestinae, in principibus laudatarum Praefationum censendae.

Sed ingenio, ratione, caeterisque intelligentiae facultatibus, quamvis magnis, nemo quisquam magnus vir exsistat, nisi *doctrina* accesserit: nec doctrina accedit, nisi quis multa legerit, idque ordine et ratione, lecta commentetur et animo revolvat, memoriae mandet, scripto notet. Ruhnkenius, ut supra diximus (83*), Hemsterhusii exemplo, ex illa infinita scientiae materia sibi unam elegerat, in qua elaboraret, partem, Graecarum Latinarumque Literarum, item Historiae et Antiquitatis interiorem, id est criticam grammaticamque, cognitionem. Nam, quae alia puer aut adolescens didicerat vel gustaverat, in Orientalibus Literis, Philosophia, Mathematicis, Jurisprudentia, his semel perceptis nil porro studii tribuebat: et si quid eorum per se ipsum in memoria remanserat, hoc ne ipse quidem scire videri volebat: adeo erat alienus ab omni scientiae, quam non perfecte teneret, professione. Habet autem Literarum studium, si accurate tractetur, multum laboris et aerumnae, sine qua certus doctrinae ac suavitatis fructus percipi nequit; propterea, quod

(83) Epistola Crit. II. p. 228.

(83*) [Vid. supra, p. 542, sqq.]

quod is fere exsistit ex innumerabilium, non modo rerum, sed et verborum, scientia; quae, ut lecta sunt, ita è memoria effluunt, nisi scripto notentur et in adversaria referantur. Et vero hanc diligentiam editis quidem Scriptoribus nemò non adhibuit, qui aliquod nomen in his Literis consecutus est. Ruhnkenius hanc diligentiam non tantum editis, sed ineditis etiam, tot tantisque adhibuit Scriptoribus, quot quantisque ante eum nemo. Incredibile est dictu, quanta ejus fuerit et fortitudo in suscipiendo labore, et patientia in ferundo. Cumque ea fere opinio plerorumque animos occupaverit, magna ingenia quasi soluta volitare, nec ad certum operariumque negotium adstringi se sinere, delicata plerumque et fastidii plena; eo majus Ruhnkenii existimandum est ingenium, quod, in tanta et venustate et velocitate, tam improbos ac fere serviles labores perficere potuerit. Nemo enim umquam fuit, qui tot Scriptorum edita exempla cum tot scriptis codicibus contulerit, tot ineditorum Grammaticorum et Interpretum commentarios è tenebris in lucem protraxerit, excusserit, excerpserit, descripserit: recte judicans, magni ingenii esse, nullum critici muneris laborem vel extimescere, vel fastidire. Porro, si nostrates, qui postrema illa fuerunt aetate, Critici, Hemsterhusius, Valckenarius, Ruhnkenius, quique ad horum praestantiam proxime accesserunt, Wesselingius et Piersonus: hi igitur si cum aliis, veluti Gesnero et Ernesto, com-

comparentur, pauciora sane ediderint, sed magis illa omni doctrinae apparatu absoluta, suis locis expleta, omnis materiae veluti cum pulvisculo exhaustae numero modoque cumulata. Atqui Ruhnkenius Graecarum Latinarumque Literarum tantam scientiam consecutus est, ut neque critica facultate, neque copiarum ubertate et amplitudine, cuiquam aut aequalium aut priorum cederet; Antiquitatis vero et Historiae, cum reliquae, tum in primis Literariae, quae ad res scriptaque Veterum cognoscenda, eorumque notitiam ex abditis antiquorum librorum recessibus excitandam refertur, nemo ipsi comparari possit, atque cum diligentia copiisque Fabricii, subtilitatem rationemque Jonsii conjungeret, utrumque vero critica facultate cum emendandi, tum judicandi, longe longeque superaret. Nullus erat Graecus Latinusve, Poëta, Philosophus, Historicus, Orator, Rhetor, Grammaticus, Lexicographus, Scholiastes, Commentator Platonicus aut Aristotelicus, nullus cujuscumque generis sive editus sive ineditus Scriptor, nulla denique docti historicive argumenti Inscriptio, nullum omnino eruditae Antiquitatis monumentum, quin id cognitum, notatum, excerptumque in adversariis teneret: unde nullius non Veteris rei hominisve emortuam memoriam excitare et ad vitae lucem revocare, hujusque sylvae, tamquam acervi, partibus digerendis et invicem conferendis, agitandis, terendis, abdita ignis semina elicere, et quasi facem accen-

de-

dere, posset, qua obscurissimos et nemini cognitos Antiquitatis recessus patefaceret atque illustraret. Nec minus erat versatus in recentiore Literarum Historia; ut homines Graece Latineque doctos, Criticos, Antiquarios, Grammaticos, editores et interpretes antiquorum Scriptorum, eorumque editiones et commentarios, in numerato haberet: nec ullus fuit bonus liber tam rarus, ut ejus notitia ipsum fugeret. Quod si etiam reputemus, eum, in hoc argumento tractando, et rationis et orationis elegantia proxime ad Veterum praestantiam accessisse, minus etiam dubitabimus principatum ei hoc in genere deferre. Sed bene scribendi facultas fuit in Ruhnkenio singularis quaedam doctrinae laus: de qua jam dicendum est.

Doctrinae studiosi homines sunt cives duarum civitatum: popularis, in qua quisque vivit: et literatae, dispersae ac diffusae per omnes populares civitates, quae tot sunt, quot sunt populi diversa ab aliis sibique propria oratione et lingua utentes. Literatae civitatis una est communis lingua Latina. Hanc linguam ita tenere ut hujus civitatis quamvis late patentis vinculum contineatur, ut te omnes cives et intelligant, et cum delectatione, animi affectu, doctrinae ac virtutis fructu, legant et audiant; nonne praeclara quaedam est facultas? Et hanc facultatem quum perfecte tenuerit Ruhnkenius, nonne haec laus, quamvis magnarum, ipsius laudum magna accessio ha-

beri debet? Igitur quum à natura acerrimum, ut saepe significavimus, pulcri decorique sensum nactus esset, eumque continua Veterum lectione exerceret; necesse erat, ut ipse, si quid scriberet, Veterum optimis simillimus esse cuperet. Sed hac in caussa nemo non est, qui Latine scribit: nemo non cupit ad Veterum similitudinem accedere. Atqui eorum qui cupiunt, quam pauci hoc assequuntur? Nimirum sensus pulcri decorique, quamvis acer, non satis per se ipse valet ad bene scribendi facultatem; oportet ut sit idem tener et mollis ad suscipiendam bonae Latinitatis formam, idem tenax ac firmus ad eam retinendam: porro accedat oportet diligens et continua cum lectio, tum scriptio. Et vero bene Latine scribere duabus, ut ipsum nomen significat, constat partibus, *Latine* scribendo, et *bene* scribendo: prioris haec est vis, ut oratio sit pura, sincera, emendata, nil habeat sordium à recentiore aevo, nil alienum à consuetudine Latina et Grammatica ratione: posterioris, ut et argumentum, de quo scribimus, accurate cognitum perspectumque nobis sit, et pura illa sinceraque Latina oratione explicetur opportune et accommodate ad triplex eloquentiae munus, id est, perspicue ad docendum, suaviter ad delectandum, graviter ad commovendum. Utrumque, et *Latine* et *bene* scribere, ingenio et labore paritur: ita quidem, ut in illo majores sint partes laboris, in hoc ingenii. In utroque qui excellerent, paucissi-

simi fuerunt. Veluti, ut hoc utar, summus vir et Latinitatis scientiâ princeps, Jo. Fred. Gronovius, pure scripsit, bene non item; nam et perspicuitati et compositionis facilitati aliquantum deest, et vero plurimum suavitati, quae una omnium praecipua est dos. Muretus et Ernestus bene scripserunt, pure etiam in habitu et forma; ita tamen, ut in singulis verbis ac dictionibus aliquid subinde sordium adhaeresceret: quod in Mureto notavit Ruhnkenius: in Ernesto item notare poterat, si hoc agere voluisset. Igitur docti homines plurimi tanta bene Latine scribendi difficultate absterriti, studium suum ad solam materiae rerumque cognitionem retulerunt, eaque contenti, ita scripserunt, ut potuerunt. Neque dubium est, quin stili limaeque curâ neglectâ, hisque debito tempore ad lectionem collato, aliquanto doctiores in ipsa materia locupletioresque exstiterint. Quo magis admirari debemus Ruhnkenium: qui, et in rerum accurata cognitione, et orationis egregia facultate, et hujus quidem utraque parte, et Latine et bene scribendo, ita valuit, ut in principibus adeo harum laudum excelleret. Qui ejus scripta legunt, homines etiam Latine mediocriter et ad vulgarem modum docti, continuo capiuntur perspicuitate, facilitate, suavitate, sententiarum venustate et luminibus: qui vero praeterea gnari sunt bonae Latinitatis, haud minus mirantur illam in omnibus verbis ac tota oratione puritatem, castitatem, sinceritatem, ger-

manum illum Romanae civitatis atque urbanitatis habitum et colorem, illam in lingua antiqua, nec nisi libris ac scriptis monumentis servatâ, haud secus atque in recentiore lingua vitae hominumque quotidiano usu frequentatâ et cultâ, copiam ac solertiam, ex illa materia, tamquam cera, egregiarum quarumcumque cogitationum venustissimas imagines effingentem. Quae laus, quamvis mirabilis, mirabilior etiam videbitur, si reputemus quantis in Latinae linguae angustiis tanta copia et ubertas orationis exstiterit. Ruhnkenius in judicio ac scientia puritatis incredibile studium ponebat: singula verba et compositionem ad usum optimae aetatis exigebat: huc referebat et annotabat quidquid vel ipse legendis Auctoribus animadverteret, vel à recentioribus hominibus doctis, cum in commentariis ad Veteres Auctores, tum in peculiaribus de Latinitate libris, quales sunt Vossii, Scioppii, Cellarii, aliorum, quorum omnium scripta inventaque pertractata habebat, et quotidiano usu conterebat, animadversum deprehenderet. Et in verborum dictionumque usu ac delectu non facile ad Senecae aetatem descendebat. Memini me subinde ab eo inter confabulandum dissentire, non adeo ex animi sententia et serio, quam discendi caussa, ut eum lacessens longiores ejus de hoc argumento sermones elicerem: cum dicerem, Latine scribendi facultatem nobis constare non posse, nisi multa è Senecae et posteriore etiam aetate assumamus, quaedam adeo ipsi no-

nova fingamus, vel ad Latinae linguae analogiam, vel ad Graecae consuetudinem; ejusque partim sententiae auctorem laudarem Muretum in Epistola, I, 36, et egregia illa disputatione Variarum Lectionum, XV, 1. Ipse affirmabat idem quod postea, ad hunc Mureti locum, et in Praefatione ad ejus Opera, scripsit, Muretum ipsum contra factitasse, sibi illum locum tamquam refugium parasse, quo se tueretur, si quid sibi aliquando scribenti minus probum excidisset: ex optima nobis aetate satis superesse monumentorum, unde nullius non rei cogitationisque significandae dictionem auctoritatemque repetamus. Recte etiam judicabat, Latinae Linguae haud exiguam partem, adhuc ignoratam, è Glossariis antiquis bibliothecae Lugdunobatavae restitui posse. Quod ab eo judicium proditum in praefatione ad Appulejum censor Goettingensis quum non satis caperet, ignorantiam suam cavillatione dissimulavit. Sed hac de re statuere non est hujus loci: et suum cuique, et nobis nostrum, relinquimus judicium. Illud omnes confiteri oportet: Ruhnkenii, qui tam severo censu civitatem purgasset et ad verborum paucitatem redegisset, seque ipse tam arctis Latinitatis finibus circumscripsisset, et tamen multa scripserit, et pure beneque scribendi officio ita satisfecerit, ut omnes recentiores hac laude superaverit: hujus igitur hominis scientiam, solertiam, facultatem, singularem et fere incredibilem fuisse. Neque vero suae orationis habitum et

structuram ad Veterum unius alicujus exemplum dedita opera conformavit. Cum ipsius naturâ, tum optimi cujusque Latinorum Graecorumque lectione effectum est, ut propriam quamdam orationis formam contraheret, pellucido et sine salebris labenti flumini simillimam: quae inter vim, copiam, pulcritudinem, gravitatem, majestatemque Ciceronis, et facilitatem, lenitatem, nativamque et simplicem venustatem Nepotis, quasi medium teneret: et ipse, quod initio diximus, immunis à sui saeculi labe, integer castusque à prisci sanitate aevi prodiisse videretur. Et dubitabimus adhuc, intelligentiae, doctrinae, Criticae facultatis, Eloquentiae, caeterarumque laudum aestimatione facta, eum omnium à renatis Literis aetatum principem censere? qui tam multa tamque egregia ediderit scripta, quorum unumquodque per se satis valeat ad scriptorem immortalitati commendandum; qui et in Latinis Literis Latinarum, et in Graecis Graecarum, principibus par exstiterit: utrarumvis principes vel alterarum scientia, vel orationis et bene scribendi laude, superaverit.

Haec ingenii doctrinaeque bona ita ad *institutionem disciplinamque* contulit, ut nec ipse labori parceret, nec labor fructu careret. Et quae publica fuit opera, vel scholis habendis, vel libris scribundis, de hac suprà satis diximus. Illud nunc intelligi volumus, quantum librorum scriptione absens absentibus, multis et ignotis, per totum literatum orbem, emolumenti attulerit: in quibus

et

et ego nomen profiteor meum, et semper profitebor. Nullius enim, quotquot fuerunt Literarum principes, scripta in legentium animos influunt tanta cum orationis suavitate, tanta cum doctrinae luce ac praestantia, tanto cum pulcri honestique sensu. Neque vero minus privatim multos juvit, sive praesentes sermone, sive absentes epistolis. In his, ut omittam nostrates, Albertium, Piersonum, Lennepium, Koenium, Eldikium, alios; exterorum nemo fuit ipsius aetate clarus in Literis vir, cui non vel consilium de studiorum via operisve alicujus instituendi perficiendique ratione, vel aliquam animadversionis lucem, vel aliquod editionis additamentum incrementumve impertiverit. Quod ne cui forte, eorum nominibus reticendis, temere et uberius quam pro rei veritate dixisse videamur, fuerunt ex horum numero, Gesnerus, Ernestus, Heynius, Heusingerus, Musgravius, Toupius, Herelius, Villoisonus, Hottingerus, Brunckius, Schweighaeuserus, Matthaeus, Vossius, Morellius, Rossius, Burgessus, Porsonus, Edwardsius, Wolfius, Spaldingius: alii, quos nominare omnes infinitum sit. Nec quisquam fuit è nostratibus Literarum princeps, cui tam frequens cum exteris eruditis epistolarum consuetudo intercederet. Nemo, vel doctrina cognitus vir, vel ignotus adolescens, de quo bene auguraretur, eum per epistolas quid rogavit, cui non benigne humaniterque vel responderet, vel satisfaceret. Fuerunt vero etiam, quibus numquam responderet, quamvis

saepe eorum epistolis provocatus et oppugnatus; si quidem, cum doctrinae penuria, superbiam postulandique importunitatem et impudentiam adferrent. Discipulos, quibus aut ingenium aut voluntas discendi deesset, jubebat aliud quodvis quam literatum vitae genus sequi: quibus illa adessent, hos facile animadvertebat, privatim ad se domum vocabat, adhortatione incitabat, in optimam progrediundi viam ducebat. Nec minore facilitate excipiebat provectiores, licet scholarum ejus expertes, si quidem cum sincero Literarum amore se ad eum applicarent. Eorum, qui altius evolare et posse et velle viderentur, ita fere tentabat ac tractabat ingenia, prouti Hemsterhusium (84) factitasse, ipse scripsit in ejus Elogio. Dabat iis in manus egregium aliquem classici Auctoris locum, jubens eum accurate legere, sibique referre quid maxime animum pepulisset, quid maxime placuisset, quid exquisite dictum, quid obscurum ac difficile intellectu videretur. Si nil magnopere referrent, alium deinceps vel ejusdem vel alterius Auctoris locum dabat, donec ejusmodi quid referrent, unde certo appareret, eos cum sensu veri pulcrique legisse. Saepe enim fit, ut qui in alio frigeant Auctore, iidem alio caleant. Sed ubi semel incaluissent, salva res erat: bene coeperant, dimidium facti habebant (85). Ipse par-

(84) In Elogio p. 57.

(85) Proverbiale. Vid. A. Schottus, Proverb. é Suida, III, 64.

partes loci difficiliores interpretando expediebat: unde discentium et progressus juvabatur, et studium incendebatur. Hi, tali ratione lecto loco, sponte sua ad totum Auctorem perlegendum ferebantur. Quod dum agebant, monebat eos item, ut diligenter animadverterent locos obscuros ac difficiles, de iisque judicarent, utrum interpretando an emendando expediendi essent. Sed juvenile ingenium fere ad emendationem proclive est, ejusque audacia capitur: interpretationis veluti lentum iter fastidit. Est sane emendatio munus praecipuum Critices, ejusque tirocinio apta in primis materia, cum exercitatione ingenii, tum illecebris excitandi retinendique studii: sed est eadem, nisi ratione et judicio regatur, prona ad temeritatem ac libidinem. Igitur nolebat adolescentes adhuc rudes aliarum rerum, nec dum à judicio paratos, et lectione usuque Scriptoris tractandi probe versatos, emendationem factitare. His demum praesidiis instrumentisque quasi armatos, jubebat librum lectum relegere, locos corruptos animadvertere, animadversos ipsi monstrare: monstratos ipse tractabat cum discente, docens eum judicare, qui sani, qui corrupti, essent loci. Quos, habito judicio, corruptos esse constaret, ipse, inscio discente, tacitus emendabat, eique emendandos tradebat; monens ut totum locum saepius legeret, antecedentia cum sequentibus accurate compararet, ipse se penitus in Scriptoris mentem insinuaret, et, quam ea sententiam dictionemque postularet, quaereret. Dis-

cens hac judicii via ad inventionem quasi manu ductus, si aciem ad locum corruptum intenderet, ac Scriptoris usu tritum haberet sensum notanda ejus ratione et oratione, modo probabili memoriae facilitate valeret, sponte in veram emendationem incidebat. Aliter, et ab aliis, illo subsidiorum apparatu non instructis, emendationem tentari nolebat. Nam, quod apud Platonem (86) egregie dictum exstat de adolescentulis recens Dialectica imbutis, eos, veluti catulos, omnia carpere et lacerare, idem rudibus ac recentibus ingeniis in emendando accidere dicebat, ut, veluti catuli nondum condocefacti, in emendationis quasi venationem immissi, omnia corripiant, vellant, turbent, et quidvis potius quam feram capiant. Itaque valde reprehendebat, adolescentes, nulla aut perexigua doctrina praeditos, solo ingenio fretos, ad emendandum se dare, partasque emendationes continuo in lucem edere: probans, quod ingenium exercerent, non probans, quod immaturos ingenii foetus, et quasi abortus, alerent, vestirent, et ad publicam notitiam producerent, ignorantiaque

(86) Republ. VII, p. 490, D: οἶμαι γάρ σε οὐ λεληθέναι, ὅτι οἱ μειρακίσκοι, ὅταν τὸ πρῶτον λόγων γεύωνται, ὡς παιδιᾷ αὐτοῖς καταχρῶνται, ἀεὶ εἰς ἀντιλογίαν χρώμενοι καὶ μιμούμενοι τοὺς ἐξελέγχοντας, αὐτοὶ ἄλλους ἐλέγχουσι, χαίροντες, ὥσπερ σκυλάκια, τῷ ἕλκειν καὶ σπαράττειν τῷ λόγῳ τοὺς πλησίον ἀεί. De quo loco quaedam notavi ad Plutarchi libellum, De Sera Numinis Vindicta. p. 11.

que recti, coecoque sui amore, speratos lectores contemnerent, quibus inficetas istas dapes apponere auderent. Fuit aliquis ipsius Valckenariique discipulus, adolescens bonae indolis ac spei: qui ab ineptis laudatoribus ad sui ipsius admirationem vanitatemque elatus, quum audivisset, duplex esse genus emendationum, alterum ingenii, subito illud et sponte nascens, alterum doctrinae, tempore ac labore quaesitum, ingenio isto rerum inani et jejuno in emendandi quasi officinam se conjiciebat, integra quaeque et sana corrigens: haud obscure ingenium in absentia doctrinae ponens, nimirum illud adesse sibi putans, hanc deesse sentiens. Hic quidem postea, agnoscens suum ipse errorem, ac doctrinae adquirendae cum necessitatem tum difficultatem, se à Literarum studiis ad aliud vitae genus contulit. Sed Ruhnkenius, ut acute animadvertebat, qui calcaribus, qui fraenis opus haberent discipuli (87): ita fraenum unum certissimumque censebat rationem à veri, recti, decorique judicio profectam: quod fraenum qui respuerent, eos sibi ipsis ac tempori relinquendos esse: qui reciperent, eos, ut ab emendandi libidi-

(87) Ut Isocrates fecit in Theopompo et Ephoro. Cicero Brut. 56: *Quare hoc doctoris intelligentis est, videre, qua ferat natura sua quemque: et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo Ephori, dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri fraenos.*

dine, ita ab eruditionis profusione et ostentatione, cohiberi. Erat, qui de aliquo argumento libellum conscriberet, in eumque omnia quae sciret, etiam ab argumento aliena, effunderet, ac per digressiones interpositionesve inferciret. Hunc docebat, ad opinionem hominum laudabilius esse, aliquid in scriniis reservasse, quam omnia effudisse, videri: ac potius delectu existimationem abundantiae et judicii consequi, quam profusione in penuriae ac temeritatis reprehensionem incurrere. Ego, postquam Epistolam Criticam, et Plutarchum de Sera Numinis Vindicta, edidissem, porro alias animadversiones meas peculiari libro edere adgrediebar: ille hunc impetum reprimens, „Tu potius, inquit, studium omne tuum confer ad editionem omnium Plutarchi operum; tantus hic est campus, ubi omnibus tuis, bonis quidem, correctionibus locum des." At, inquam, interea alii partem earum occupabunt, mihique inventionis laus peribit. Tum ille, „*Pauperis est numerare pecus* (88): tua tibi semper manebunt inventa: et si forte alius unum alterumve praeripuerit, hoc, postea tuo tempore à te editum, ipso loco et habitu te inventorem testabitur." De hac ejus admonitione plura dixi nuper in Animadversionum Plutarchearum praefatione, quam paulo ante obitum non sine voluptate legit. Erat aliquando, qui de argumento historico scriptum quoddam suum

ei

(88) Ovid. Met. XIII, 824.

ei legendum daret, ubi testem laudasset Simsonum in Chronico. Huic ille: „Quid tibi, inquit, cum Simsono? quin tu ipsos antiquos lauda auctores, unde sua habet Simsonus: quibus interpretandis corrigendisve si is novi quid profert, aut veterem errorem nondum antea cognitum refellit, potest sane memorari, ut item Wesselingius in notis ad eum, ut alii Critici, qui critice Historiam tractarunt: non item, ubi res pervulgatas refert." Erat alius, qui de Romana Historia testem citaret Rollinum. „Apage, inquit, Rollinum, qui tironibus et indoctis scripsit: his praestat utilitatem jucundi narratoris, nobis non habet auctoritatem locupletis testis: valeat nobis quisquis unice fretus orationis commendatione, ut ait ille,

Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent quas fecisset fabulas (89)".

Ruhnkenius, quo erat decori sensu, indignabatur, homines adeo quosdam doctos ista consuetudine laborare, ut aliquem locum tractantes, alios omnes, qui eum tractando attigissent, ineptos homunculos ac terrae filios, ad partes vocent, nec dubitent *stellis nebulam spargere candidis* (90); ne scilicet aliquid ignorasse videantur: recte judicans, istiusmodi testium sordibus ac faece, gravissimorum etiam auctoritatem testium debilitari, iis-

(89) Terent. Prolog. Andr. vers. 5.
(90) Horat. Carm. III, 15, 6.

iisque injuriam fieri, atque librum adeo ipsum inquinari: narrans cum joco, Bentleji illud superbum quidem, nec tamen à re alienum dictum: qui, quum in libro quodam nullam fecisset mentionem scriptoris cujusdam, eodem in argumento versati, ejus omissionis caussam interrogatus, cum stomacho respondit, *Nolui hominem aeternitati tradere.*

Qui ad eum, quem diximus, modum profecissent, his suadebat, et facile persuadebat, ut aliquid scriberent, quo facultatem suam publice commendarent. Hoc eo valebat consilium, ut semel susceptum scribenti necessitatem imponeret Scriptorum deinceps Veterum cogitate meditateque tractandorum, et recentiorum item optimorum quidem legendorum, unde doctrina argumento proposito accommodata colligeretur. Argumentum non omnibus ejusdem generis, sed, pro naturarum diversitate, aliis aliud proponebat: editionem Auctoris, vel Graeci, vel Latini: disputationem de ejus scriptis et vita: locum ex Historia vel Antiquitatibus: animadversiones criticas in unum aliquem, aut plures Auctores. Eos etiam, qui nullum scribendi propositum haberent, monebat ut Graeca legerent quantum possent, et, si nil aliud, certe Homerum ingeniorum principem, et Atticam Musam Xenophontem: è Latinis Ciceronem, Nepotem, Livium, Terentium, ac Poëtarum principes, Virgilium maxime et Horatium. Versus facere neminem hortabatur: hortabatur, ut opti-

mos

mos quosque Poëtas legerent: horum lectione qui mentem ad pulcri rectique sensum formasset, indeque Musarum et fonte repletus et instinctu excitatus ad carmen pangendum ferretur, si quidem ei adesset

> Ingenium, — mens divinior atque os
> Magna sonaturum,

hujus impetum regebat ratione, hujus studium praeceptis juvabat: qui illam spem non adferrent, hos monebat, ut intra prosae orationis fines se continerent. Omnium vero maxime perversum eorum improbabat morem, qui, quum nondum sciunt quid sit Latinum, nec Latinitatis Grammaticam rationem, nec prosae orationis probabiliter scribendae facultatem, tenent, tamen et ipsi versus faciunt, et indoctiores etiam ipsis discipulos versus facere jubent: quod aeque ridiculum esse, ac si è duobus, quorum neuter pedibus incedere posset, alter alterum saltare juberet. Omnino, ut emendandi libidinem, ita et hanc, ratione corrigendam esse: hujus corrigendae saluberrimum esse remedium lectionem Horatianarum de Arte Poëtica Epistolarum: has omnibus, et facientibus versus et non facientibus, ediscendas commendabat: his qui non melior fieret, ei Anticyram abeundum esse. Et quod Horatius verissime pronunciat,

Scri-

Scribendi recte sapere est et principium et fons;
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae (91):

non modo res, sed rationem, in Socraticorum libris consignatam esse: nec esse aliud quidquam magis Socraticum, quam adolescentium *ἐκπνευματοῦν τὸν τῦφον* (92), inanem tumorem ac ventum ex animis detrahere, praejudicatasque opiniones expurgare, animique oculos in se ipsum, et ad sui ipsius cognitionem, convertere. Igitur discipulis, si quid aliud, suadebat ut Xenophonteos et Platonicos legerent dialogos, quippe qui non solum verissimam Atticae elegantiae normam, sed unicam certissimamque stultitiae arrogantiaeque medicinam, *τὸν κριτικὸν καὶ καθαρτικὸν λόγον* (93), judicandi, purgandaeque mentis, rationem continerent.

Ex hujusmodi ingenio, doctrina, institutionis ac vitae ratione, *animus* exsistebat his virtutibus consentaneus. Acerrimus ille, quem natura ei tribuerat, pulcri decorique sensus, mature et à prima inde pueritia ad actiones, officia, moresque traducebatur: mox alebatur augebaturque legendis continuo optimis quibusque Graecorum Romanorumque scriptis. Ita enim se, profecto, res habet,

(91) Horat. Art. Poët. 309.

(92) Plutarchus De Audiendis Philosophis, p. 39, D: Quaestion. Platonic. I. p. 99 et 1080. Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. p. 20. seq.

(93) Plutarch. ibidem, p. 999, F.

bet, ut vere doctus et literatus, nisi vir bonus, nemo esse possit. Omnis Literarum materia, verum, bonum, pulcrum, elegans, venustum, decorum, honestum, quidquid ejus est, ex eodem fluunt naturae fonte, communi vinculo continentur; ut, qui eorum unum negligat, in reliquis perfectus exsistere nullo modo queat. Porro, in tota rerum natura nil est pulcrius, nil amabilius virtute: nec quidquam vere pulcrum, sine virtute. Igitur Criticus, veri pulcrique judex, sublimium in Scriptoribus Antiquis sensuum interpres, quo modo exsistat is, qui ad honesti sensum frigeat, nec virtutis amore incalescat? Qui virtutis nomen inane ducit; qui prudentiam, voluptatis et utilitatis, non veritatis officiique inventricem laudat: fortitudinem, temperantiam, justitiam, ad scholae umbram abjicit, nec vitae rectrices constituit; ecquod sibi tandem relinquit argumentum, in quo ingenium ad altitudinem extollat, et ad verae pulcritudinis judicium exerceat? Qui officiorum sanctitatem, morumque innocentiam, cavillando elevat, eorum fundamenta argutando labefactat, nullum divinum numen, aut si forte, nullum ejus imperium, nullam providentiam, majestatem nullam, esse putat: quomodo is illo magnitudinis sensu, illo divinitatis instinctu afflatuque afficiatur, quo Antiqui Scriptores incensi animatique fuerunt, qui adhuc in eorum scriptis et calet et spirat, sine cujus communione bonus eorum interpres esse nemo potest? quomodo is, humili abjectaque men-

te, illum altitudinis ac divinitatis sensum concipiat? Et si vere dictum est à Veteribus, optimum esse interpretem, eum, qui proxime ad ejus, quem interpretatur, divinitatem accedat (94); vere videor contendere, Ruhnkenium optimum fuisse interpretem. Neque Scriptor est ullus, in quem is interpretandi operam contulerit, quin illa in opera sensus quidam magnitudinis ac divinitatis impressus exstet. Neque ullus eorum Scriptorum, quos aliqua editionis dote ornavit, Longino est sublimior, cum ipso argumenti nomine, tum ingenii, doctrinae, sensuumque sublimitate. Neque ullus fuit Longini interpres, qui se ipse interius in ejus intelligentiam et abditas cogitationes insinuaret, ad ejusdem ingenii altitudinem extolleret, difficiles locos, doctrinae abundantia et acuminis solertia, explicaret: tum vero ejus vita enarranda scriptisque recensendis, totam aperiret ac legentibus spectandam exponeret viri divinitatem, ejusdemque communione et affectu animos eorum imbueret ac repleret. Itaque omnium intelligentium judicio, ex omnibus, qui

(94) Hoc à multis dictum: indeque profectum illud Ciceronis Divinat. II, 18: *Quorum* (divinationis generum) *omnium interpretes, ut Grammatici Poëtarum, proxime ad eorum, quos interpretantur, divinitatem videntur accedere.* Quo loco apposuimus *divinitatem:* quod et Hottingero, elegantissimi judicii viro, in mentem venerat, multoque nobis probabilius videtur quam vel id, quod postea ipse probavit, *dignationem*, vel vulgatum *divinationem*.

qui fuerunt, Longini interpretibus, unus Ruhnkenius Longino simillimus, et alter ipse Longinus habitus est.

Hic ei sensus fuit et *morum fons* et *officiorum regula*, qua contentus rationem non desideraret: nec probabat eos, qui quavis in actione suscipienda diligentes se officiorum ratiocinatores ferrent. Hanc officiorum rationem à Philosophis explicitam libenter cognoscebat: in actionibus, nisi valde dubiis, consuli nolebat; quod deliberatio vim atque impetum virtutis ad bene faciendum magis retardaret, quam regeret: et vero paucissimas in vita humana actiones dubias esse: plerasque tam evidens manifestumque à natura impressum habere recti pravive, sequendi fugiendive, signum et indicium, quod cuique non prorsus hebeti primo obtutu in oculos incurrat. Item judicabat de veri pulcrique sensu: emendationes locorum corruptorum, interpretationes difficilium, sponte ac facili partu natas, suaque se simplicitate commendantes, verissimas judicabat: minus eas, quae longa cogitatione quaesitae, veri notam non in promtu positam haberent, sed assensum intelligentium longa rationum demonstratione quasi ambirent. In Veterum scriptis quid pulcre dictum sit, sua quemque natura, nisi stupidus sit, sentire, nec admonitione opus habere: vanos esse illos admonitores, qui de pulcri caussis dissererent in animadversionibus ad Auctores, eosque aestheticis, ut vocant, editionibus interpretarentur: Philosopho-

rum Criticorumque esse, rationem pulcri peculiaribus in libris explicare: Grammaticorum, grammaticam praestare interpretationem, id est, eam, quae, quid verum sit, spectat, pulcri caussas attingere, quatenus ad veri cognitionem pertinent. Atque ut veri cognitione exsistit prudentia, reliquarum omnium virtutum fundamentum; ita veritatis amor et professio, omnium ei fuit officiorum antiquissimum, caeterorumque origo ac principium. Erat plane, ut ille apud Theocritum (95),

Πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος.

Nec ipse umquam aliter loquebatur, quam sentiebat, nec eos qui secus facerent, ferre poterat: nec magis ferebat illos, licet non sermone, tamen re et facto mendaces, qui vultu, oculis, gestu, habitu, aliquam doctrinae, prudentiae, virtutis, speciem simularent: ab eaque vanitate tantum aberat, ut imperitis, qui fere opinione ducuntur, minus etiam, quam erat, eruditus ingeniosusque videretur, et se videri aequissime pateretur. Noscebat se ipsum: verâ sui aestimatione intelligebat, censeri se in principibus Literarum: eumque se esse, nec prae se ferebat, nec dissimulabat. Magis congruebat cum Achillis, quam Ulyssis, indole: semper in promtu habebat illud,

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος, ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει (96).

Era-

(95) Idyll. VII, 44.
(96) Homer. Iliad. ί, 312.

Eramus aliquando complures apud eum, et inter confabulandum incidebat Villoisoni mentio, quantumque is de Literis mereret: tum ille, *Est sane*, inquit, *doctissimus juvenis Villoisonus: sed oportebat eum ad nos venire, meaque et Valckenarii disciplina uti.* Hoc nonnullis, ut postea mihi dixerunt, superbius pronunciatum videbatur. Atqui nil fuit in hoc dicto superbiae, nil nisi candor cum doctrinae magnitudine, ejusque conscientia, conjunctus. Erat instar Chrysippi (97), Stoicorum principis, φρονηματίας· qui interrogatus ab aliquo, cui filium in disciplinam daret, *Mihi*, inquit; *nam, si quem me meliorem nossem, ipse me ei in disciplinam darem.* Quamquam Ruhnkenius modestius agebat elegantiusque, cum alias semper, tum illo in dicto; quippe qui praestantiae laudem cum Valckenario communicaret. Sed Ruhnkenii candorem omnes agnoscebant, doctrinae magnitudinem pauci, etiam docti homines, interius perspiciebant. Ille vero virium suarum conscientia fretus, nec quod deesset sibi arrogabat, nec quod superesset derogabat: et Socraticum illud εἶναι καὶ δοκεῖν complectebatur: volebat talis videri, qualis erat, nec alius in scriptis, quam in sermone et vitae consuetudine. Nemo est adeo in Literis hospes, qui doctissimos homines Jacobum Gronovium et Johannem Schraderum ignoret. Gronovio in sermone et congressu nil humanius, nil

(97) Diog. Laërt. VII, 183.

nil affabilius fuisse fertur: at simul calamum in manus sumsisset ad scribendum, quod publice ederet, totus erat mutatus ab eo qui modo fuerat, nil nisi rixas et contentiones spirabat; ut ei illud Electrae (98) ad Orestem subjiceres,

Οἴ μοι, κασίγνητ', ὄμμα σὸν ταράσσεται,
Ταχὺς δὲ μετέθου λύσσαν, ἄρτι σωφρονῶν.

Schraderi haud dissimile fuit negotium. In quotidiana vita et colloquiis tanta erat modestia, quae fere ad timiditatem accedere videretur: in Emendationum libro superbus vitilitigator exstitit, qui maximorum virorum, quod ait, errores de syllabarum modo colligeret, et in triumpho duceret; ut ei item Tragicum quid (99) occinamus,

Ὄλοιο, θνητῶν ἐκλέγων τὰς συμφοράς.

Ruhnkenius magnorum virorum errores non silentio praetereundos censebat, sed eo magis corrigendos, quo magis exemplo et auctoritate nocerent: reperto errore, dolebat magno viro humani quid accidisse: humaniter item leniterque monebat: non

(98) Euripid. Orest. 253. Eodem dicto in simili caussa usus est Chrysippus apud Diog. Laërt. VII, 182.

(99) Exstat apud Plutarchum Opp. Moral. p. 520, B: 855, D: Lucianum T. II. p. 338. Videtur Sophoclis esse sententia, quam significat Diogenes Laërt. VII, 7: cujus obscura dictio hac animadversione lucem accipit.

non gaudebat, neque exsultabat, veluti laureolam in mustaceo quaerens. Omnino, vere sentiebat: ut sentiebat, ita loquebatur: ut loquebatur, ita scribebat.

Neque vero lenis lentusve in agendo progrediebatur: sed illa veritatis impulsione et vehementer excitabatur ad id, quod rectum faciendumque judicasset, capessendum: in eoque exsequendo ferebatur cum impetu, donec propositum perfecisset: Chaerephontis (100) Socratici similis, σφοδρὸς ἐφ' ὅ, τι ὁρμήσειε, vehemens in persequendo, quod peteret. Qualis in Literarum studiis, talis in amicorum negotiis: horum commodis consulere jucundissimum laborem censebat, quem saepe ultro, nec rogatus, susciperet: rogatus, si gratificari non posset, candide fatebatur: si posset, operam suam et benivole promittebat, et promissam sancte praestabat. Quae opera, ut in aliis multis rebus, ita in eo maxime versata est, ut sua commendatione homines idoneos idoneis in muneribus poneret, quibus strenue administrandis et ipsi sibi laudem fortunamque parerent, et patriae publice privatimque utilitatem adferrent. Longum, nec opus, est recensere, quam multis ejus profuerit commendatio: unum hujus generis locum praeterire nequeo. Constat Ruhnkenium, non modo Professorem, sed adhuc privatum, virorum in re publica principum, hujusque Academiae

(100) Apud Platonem in Apologia Socratis p. 360, C.

miae Curatorum, gratia floruisse: eamque gratiam maxime, quantum posset, ad hanc Academiam augendam illustrandamque contulisse: semper quodam quasi desiderio et cupiditate flagrasse, hujus Academiae ad illud magnitudinis fastigium evehendae, ut alias Musarum sedes obrueret, certe ita caput inter eas efferret,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi (101):

Idque recte judicavit ita se maxime effecturum, si in vacuis quibusque cathedris praestantes doctrina Professores constituendos Curatoribus commendaret. Igitur in novis Professoribus vocandis, Ruhnkenii semper, vel commendando, vel probando, maxime valuit judicium.

Magni animi multa insigniaque dedit specimina, vel in negligendis aliorum injuriis et maledictis, vel in contemnendis divitiis, vel in fortunae iniquitate ferenda, vel in domesticis calamitatibus tolerandis. Delata ipsi Literarum cathedra aliorum invidiam excitaverat: ex hoc numero, qui venusti esse vellent, eum Epigrammatibus petebant, praesertim tempore ac nomine nuptiarum, Herculis cum Omphale negotium in ipsum accommodantes. Ipse istorum maledicentia adeo non commotus est, ut eos rideret, ac versus illos amicis per jocum recitaret, nec publice quid reponeret, privatim hoc unum diceret, *Istos quidem poetas-*

tros

(101) Virgil. Eclog. I, 26.

tros non magis curo, quam muscas, Herculis exemplo, qui

Οὐδ' ὅσσον μυίας στυγερῶν ἐμπάζετο μύθων (102).

Quid ei cum Burmanno, Schradero, Klotzio, intercesserit; à quibus laesus, quam leniter humaniterque eos ultus sit, supra diximus: de multis, aliis aliorum, in se injuriis ac maledictis, quae silentio confutavit, dicere non attinet. Reiskius, homo minime natura sua malus, sed fortunae iniquitate subinde ad maledicentiam impulsus, aliquo in libello Ruhnkenium Valckenariumque duos Hemsterhusii simios vocaverat: hi ridebant hominem, qui inveteratam bilem evomeret: Ruhnkenius nil nisi, in Antiphontea Dissertatione, eum infelicem conjectorem nominavit: Reiskiumque, qui hanc Dissertationem, retento illo loco, in editione Oratorum Graecorum (103) repetivit, fortiter fecisse judicavit. Sed Ruhnkenius minus movebatur, si quis ipsum, quamvis immeritum, rustice iracundeque convitiis peteret, quam si, ipso praesente, magnos viros, aut recte facta, per vanitatem contemneret. Venerat ad nos Biörnstalius, Suedus, doctus quidem ille, sed importunus, homo: cujus adventus et salutatio nostrati-

(102) Vetus Poëta apud Plutarchum Opp. Mor. p. 90, D: [de quo plura dedit Vir Cl. in editione Plut. Oxon., T. VI. p. 309. formâ quartâ, T. VI. Part. I. p. 629, sq. formâ octavâ.]

(103) [Videatur supra, annotatio ad p. 660.]

tibus plerisque veteris Normannicae invasionis memoriam revocare solebat: lustrabat bibliothecam publicam, ipso praesente Ruhnkenio: qui quum ei in scrinio quodam condita scripta Josephi Scaligeri monstraret, iste exclamavit, *Hic est ille vir exspectans judicium*, alludens ejus sepulcrali elogio, serio tamen contendens, Scaligerum judicandi facultate caruisse. Ruhnkenius subito ei intonat, *Aufer te hinc tuo cum stupore!* simul operculum scrinii impellens et occludens. Homo, quod raro ei accidebat, territus abiit. Venit alio tempore Germanus aliquis Professor, minus quidem procax et molestus moribus, animo non minus ventosus: hic à Ruhnkenio petens, ut bibliothecae publicae spectandae copiam sibi faceret, narrabat de Germanis quibusdam eruditissimis viris, eruditissimos item libros Germanica lingua scribentibus. Cui Ruhnkenius: *Mallem illi viri Latine scriberent, ut Gesnerus, Ernestus, Heynius, quo magis ab exteris legerentur.* Tum iste: *Tune etiam, o bone, illo in errore adhuc versaris, hac amplius aetate Latine scribendum esse?* Ruhnkenius tantam hominis vanitatem indignatus, eum continuo dimittit, *Vale*, inquit, *Professor; quaere aliam bibliothecam, ubi Germanicos libros invenias.*

Multa ejus in multos exstiterunt beneficia: non solum in eo, quo diximus, genere, ut munera iis conciliaret, ac rei bene gerendae aditum patefaceret: nec solum in eo, quod ipsius proprium erat genus, ut Literarum scientia doctrinaque

alios,

alios, et discentes, et scribentes, juvaret: sed et in eo, quod minus cum ipsius studiis erat conjunctum, ut amicis in quocumque vitae negotio industriam operamque suam praestaret: atque adeo, in quo minime ipse valebat, ut aliorum inopiam pecunia sublevaret: saepe adeo, ut divitum copias amicorum è sua' ipse inopia augeret. Quorum beneficiorum gratia illi à paucissimis re et facto referebatur: si animo et recordatione haberetur, contentus erat. Patres multi, et clari et divites, filios ita ad eum deducebant, ut eorum vitam studiaque consilio et auctoritate regeret, sempiternas ei gratias hujus beneficii caussa habituros relaturosque se, pollicentes. Ruhnkenius hoc iis et recipiebat, et fideliter praestabat: filios ad ipsum ventitantes omni officio et humanitate excipiebat, saluberrimis praeceptis monitisque augebat: consuetudo his valde placebat, et patribus mire satisfaciebat: sed, ecce! in oblivionem abibat, decursis Academiae studiis, urbeque relicta. Hos item obliviscebatur, quoad ex oculis abessent. At subinde fiebat, ut iidem isti forte alio tempore eumdem in locum, ubi ipse esset, eumdemque in circulum venirent, veterem notitiam dissimulantes. Tum vero Ruhnkenius, quo erat et honesti sensu et candore, continere se non poterat, ut tantam impudentiam tacitus ferret: salutans eos compellabat humaniter quidem verbis ac specie, sed ea cum significatione despicientiae et indignationis, quae istis, quamvis impudenti-

t. bus,

bus, pudorem ruboremque injiceret. Nam gratos etiam eos existimabat, qui gratiam, licet possent referre, non referrent, modo eam animo haberent et beneficii memoria colerent. Habebat amicos, ut quidem amici vulgo nominantur, multos et nobiles et divites, quibuscum eum non adeo Literarum, quam venationis, rusticationis, musices, aliarumve rerum studium jungeret: ab his debitum pro filiorum scholis honorarium, quamvis urgentibus ac flagitantibus ut acciperet, accipere nolebat: itaque hi se ipsos debito officioque defunctos censentes, nil de alio muneris genere cogitabant: nec ipse quid exspectabat. De illis quid statuendum sit, alii judicent. De Ruhnkenio nemo aliter judicabit, nisi animum ei fuisse, in rei familiaris mediocritate, nimis fortasse generosum, at generosum tamen.

Neque enim aequam dignamque suis virtutibus habuit fortunam in tribuendis vitae facile largiterque degendae copiis. Quamdiu fuit caelebs, satis erat, unde non solum commode, sed et laute, viveret, genium placaret, et aliquid reliqui haberet. Maritus et pater desiderabat priorem copiam: idque primo celare per indulgentiam, deinde diligentia corrigere, et, quod deesset, parcimonia supplere, studebat. Interea duplex apud exteros, eaque diu exspectata, haereditas, procuratorum vel negligentia vel fraude, intercidit. Accesserunt et alia subinde rei familiaris damna. Quae ipse detrimenta, suarum magis, quam sui, caus-

sa

sa dolebat; earumque dolorem et verbis et munusculis leniebat, suum ipse genium defraudans. Supervenit etiam uxoris et minoris filiae clades: quam ille cladem ut et dolenter et fortiter tulerit, cum supra diximus, tum notum est in vulgus. Illa calamitas parcimoniam, ut magis necessariam, ita minus efficacem reddebat. Pater infelicem uxoris minorisque filiae sortem commiserans, et majoris integraeque filiae erga illas et ipsum pietate, cura, diligentiaque delectatus, mollior faciliorque erat ad obsequendum utrarumque voluntatibus ac desideriis. Ergo, si quaerimus qualis fuerit paterfamilias, utraque hujus officii pars seorsim est spectanda. Nam erga uxorem filiasque non minus prudenter, quam indulgenter amanterque se gessit: in his etiam, pro utriusque captu, instituendis, erudiendis, formandis, cum diligenter, tum liberaliter; ut nec operae, nec sumtui, sive ad cultum, sive ad mercedem adhibendorum magistrorum, parceret. At in re facultatibusque tuendis et augendis, quum non posset quod vellet, fecit quod potuit. Nam ad necessarios illos, quos modo diximus, sumtus, accedebant extraordinarii, quos honeste omitti non posse censebat. Habebat usum copiamque bibliothecae publicae, ut et Professor, et illius ipse praefectus: neque suam sibi privatam domi bibliothecam minus locupletem necessaria librorum supellectile esse volebat: habuitque eam sane librorum cum numero, tum praestan-

tia,

tia, non minus instructam refertamque, quam principes Literarum plerique ipso longe beatiores; igitur bonos libros, et veteres et novos, ex Antiquarum genere Literarum, quibus insignis ad usum inesset dos, fere omnes vel habebat, vel emebat. Saepe etiam incidebat vel necessitas vel opportunitas veteris codicis scripti in extera bibliotheca conferendi, aut describendi: nec opus nulla mercede constabat: in eaque offerenda et solvenda, ipse studium suum magis, quam facultatis modum, consulebat. Quum sua ipse natura facilis ac liberalis, consuetudine quoque sociabilis et hospitalis, longi temporis usu etiam multorum familiaritatibus implicitus esset; facere non poterat, quin eos, quibuscum ipsi quaedam notitiae, consuetudinis, officii, studiive, societas intercederet, libenter vel ad mensam adhiberet, vel convivio honoraret, vel hospitio acciperet. Musicam puer didicerat: postea ejus amorem retinuit, non ut eam factitaret, sed ut docte audiret ac judicaret: filiam majorem per optimos magistros ad egregiam canendi scientiam facultatemque erudiret; nec fere aut publicum symphoniacorum, aut singulare excellentis artificis acroama exhiberetur, quin id sua commendatione ac praesentia celebraret. De venationis consuetudine, et diximus antea, et postea dicemus. Atque illorum oblectationem studiorum sibi caeterorum sumtuum parco, ut ad recreandum animum necessariam, et ipse sumebat, et, ut justam debitamque, ab

om-

omnibus concedi existimabat. Erat sane in quotidiano victu, vestitu, et reliquis rebus, tenuis et sobrius: nec solutus, nec emax: minus etiam, quam res ipsa postularet, aedificator: rationi ac summae necessitati, non genio saeculi, serviens.

In primis vero bonus civis optimarumque partium, et fuit, et habitus est. Neutri adversariarum partium nomen suum dans, nec in coitiones ac sodalitia se aggregans, animo et oratione eas probavit, quas supra diximus. Sint fortasse, qui Solonis (104) illam legem in eum valere putent, quae bonorum numero civium excludit eos, qui

(104) Videantur, quos laudavimus ad Plutarchi libellum De Sera Numinis Vindicta p. 26: quibus addantur, J. Meursius in Solone p. 52. et sequ., J. Taylorus Lect. Lysiac. Cap. XI. p. 718. Ipse Solon, in Atheniensium seditione, fuit neutrarum partium, ita ut non unius partis adversus alteras esset propugnator, sed medius et omnium partium reconciliator: ut satis constat è Plutarcho in Vita Solonis p. 85, et seq. et memoratur item à Diogene Laërtio, I, 58, ut videtur, ex Apollodoro: *ἀλλὰ καὶ τῆς στάσεως γενομένης, οὔτε μετὰ τῶν ἐξ ἄστεος, οὔτε μετὰ τῶν πεδιέων, ἀλλ' οὐδὲ μετὰ τῶν παραλίων ἐτάχθη.* Qui locus Aldobrandino et Menagio non ita mirus et inexspectatus debebat accidere. Plutarchi disputatio in Praecept. Polit. p. 824, A, verissimam continet legis caussam: atque ex ipsa ratione grammatica, et potestate particulae *γὰρ*, quam alibi explicabimus, interpretandi, non reprehendendi, vim habet.

qui in seditione neutri se parti adjunxissent. Quam legem homines vel calidi vel imperiti vulgo perperam accipiunt, quum medios ac pacis concordiaeque studiosos cives pro adversariis habendos esse contendunt. Quasi vero Solon eos neutrarum partium dixisset, qui patriam servari cupientes, ea quasi per morbum in duas partes distracta, neutris aegrotantium in morbi societatem accedunt, sed ipsi sani integrique utrisque se medicos praebent: ac non eos, qui commune periculum nil ad se pertinere censentes, nulla ejus cura et sollicitudine tanguntur, nec rem operamque ad componendas lites conferunt: aut, quasi non suo ipse exemplo ostendisset, quam rationem probaret, utrisque amicus, neutris inimicus, universos ad concordiam redigens. Ruhnkenius utrarumque socios partium ut cives amabat, et, si fieri posset, ad consensum reconciliare studebat: intelligens nil profici, destitit à vano labore: at non destitit à patriae amore: suum ipse officium secutus est: monendo, docendo, cavendo, egit quod utrisque communiter utile esset: animo et voluntate favit melioribus.

At quae sunt illae meliores partes? Messala (105) laudatus ab Augusto, quod ad Actium fortiter pro ipso adversus Antonium pugnasset, licet adversus ipsum ad Philippos acerrime pro Bruto dimícasset: *Ego vero*, inquit, *semper fui me-*

(105) Plutarch. in Vita Bruti, p. 1009, B.

meliorum partium. Egregia et homine Romano digna vox! Ita profecto se res habet. Pompejanus, Caesarianus, Brutianus, Antonianus, sunt hominum et sectarum nomina. Bonus civis rem ipsam consectatur: una ei est res, patriae salus. Hanc quaecumque secta maxime tuetur, quae honestatis, justitiae, legum caussam defendit, cupiditati, libidini, sceleri, maxime resistit, hanc probat, huic favet: haec si ab instituto ac professione virtutis ad pravitatem degenerat, non minus eam deserit quam ab ea ipse deseritur, suum iter persequitur; et si quae alia existit ejusdem instituti et communis salutis patrona ac propugnatrix, eam laudat et sequitur. Ruhnkenius natus in Germania, sub dominatione regia, illum à natura sibi ingeneratum pulcri decorique sensum jam adolescens ad percipiendam libertatis civilis vim praestantiamque, Graecorum Romanorumque lectione Scriptorum, convertit et acuit: mox ad Batavos delatus, hanc sibi libertatem praesens experiundo usurpare visus est: ab eo inde tempore illas nostra demum aetate celebratas res, humani generis communionem, jura, aequalitatem, et animo tenuit, et quotidiana cum aliis consuetudine observavit. Ac me quidem novum Lugduni advenam illud in Ruhnkenio, Valckenario, et plerisque doctis viris, manifestum civilis aequalitatis studium mirifice et advertit et cepit: quum eos viderem, non modo invicem, sed erga superiores et inferiores, tum vero erga discipulos eam

tenere rationem, ut eos nullo discrimine haberent, divites, pauperes, nobiles, obscuros, patricios, plebejos, eodem honoris gradu censere, eos haud dubio solos caeteris praeferre, qui caeteris ipsi doctrina et virtute praestarent. Itaque tales viri, qui jam per se ipsi humanae naturae conditionisque aequalitatem colerent, eo facilius ei sectae, quae se hujus rationis vindicem patronamque profiteretur, conciliabantur.

Sed, ut stirpibus aliena, ex eadem tamen radice, germina adnascuntur; ita humana natura cum virtutibus profert quaedam à Graecis dicta *κατ' ἐπακολούθησιν παραβλαστήματα*, habitus et inclinationes per sequelam adnascentes. Neque dissimulandum est, in Ruhnkenii animo tales, quasi egerminantes, affectiones ac proclivitates exstitisse, quae in virtutum numero non censeantur. Neque nos eum ut perfectum absolutumque hominem informamus, neque ejus Laudationem, sed Vitam scribimus. Igitur non dissimulamus, naturales illas virtutes facilitatis, candoris, liberalitatis, in quotidianae vitae negotiis et consuetudine, ejus judicio et acumini nonnumquam offecisse. Epicharmeum illud, *μέμνασ' ἀπιστεῖν* (106), in quo Hemsterhusium (107) tantopere laudabat, ipse non sa-

(106) Apud Stobaeum Serm. III, p. 49. edit. Gesneri. ed. Grotii p. 24: qui reddidit: *Vigila, neu quid temere credas; nervi hi sunt prudentiae.*

(107) In Elogio p. 75.

satis tenebat: facile aliorum sermonibus credebat: promissa sibi, quamvis ab hominibus minime certis facta, atque adeo speciem promissorum in amicis, uberius interpretabatur, datae fidei et jurisjurandi instar censebat. Plane in eo apparebat Demosthenis (108) dictum, ὃ γὰρ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται. Erat aliquis ejus amicus, qui eum libere ac serio moneret, ut aliquanto majorem, quam adhuc fecisset, rei familiaris curam gereret, nisi ipsius, uxoris certe ac filiarum caussâ: „ nam, inquit, nisi tu ipse prospexeris, ut moriens aliquid tuis relinquas, neque ego, neque alii amici, quamvis cupientes, quidquam efficere poterimus; quare age, aperi nobis rationum tuarum tabulas, ut videamus cui parti consulendum sit." Ruhnkenius respondit, de hoc se praesenti satisfacere non posse, absenti per literas satisfacturum: tum interjecto tempore satis longo, iterum ac amico admonitus, ei scribit in hanc fere sententiam: *Quandoquidem mihi sancte promittis, te meorum curam, me mortuo, suscepturum; rei facultatumque mearum rationes tibi exponam: res meae sunt illae parvae quidem, sed liquidae: nec habeo multum, nec debeo quidquam:* nec aliud addens, unde amicus de toto negotio certior fieret, et quasi ei satisfecisset, ad aliud epistolae argumentum transit. Erat cui faveret et cathedram in Lugdunobatava destinaret Academia, quamvis alibi luculentiore conditione fruenti: de hoc

(108) Orat. Olynth. III. p. 37, E.

hoc ei communis amicus per jocum narrabat, illum eo loco, quo esset, mansurum, quod ibi rem faceret ac senectuti, dum vigeret, subsidia pararet. Tum ipse, *Dii omen avertant!* inquit; *equidem antea semper liberalem hominis animum cognovi.* Omnino videbatur liberalitatem non modo in contemtu, sed in negligentia, divitiarum ponere: nec cogitare, quo ipse esset ad beneficientiam propensior, eo sibi magis providendum esse ut haberet unde aliis bene faceret. Ita illam ingenii aciem, quam in Literarum doctrinarumque genere nulla fraus et corruptela, nil pravum falsumque, nullus locus liberve spurius suppositusque, latebat, in communis vitae usu res etiam manifestae effugere videbantur; non quod eas cernere non posset, sed quod animadvertere nollet. Cujus sive consuetudinis, sive negligentiae, caussas si quaerimus, verissimas reperiemus has. Ut ipse natura erat candidus, simplex, apertus, ita et alios esse primum cupiebat, deinde sperabat, denique putabat. Erat liberalis atque adeo patiens in audiendis aliorum sermonibus; quos, etiam quum minime crederet, arguere ac disceptando dijudicare, molestum et illiberale ducebat; ita saepe fiebat, ut alii putarent eum assentiri, ubi judicium ipse suum cohibebat. Porro, ipse experiundo cognoverat difficillimum esse, vel uno in genere, in quo regnabat, in Antiquis Literis, judicare quid verum esset: igitur si in aliud genus egrederetur, eo sibi minus fidebat, et eo magis aliis, minus etiam ipso peritis, cre-

credebat. Veluti Jurisprudentiam adolescens tractaverat, suamque in ea facultatem intelligentissimis judicibus probaverat editione illa Thalelaei (109): postea hanc facultatem adeo non prae se tulit, ut de illa editione nec ipse loqueretur, nec alios loquentes libenter audiret, multosque minime secum comparandos tamen sibi praeferret et aliquo in numero haberet. Adolescens Wittebergae creatus erat *Philosophiae Doctor et Liberalium Artium Magister;* mox in Bataviam delatus, hunc titulum adeo non prae se tulit, ut nemo quisquam rescisceret eum illo honore insignitum fuisse. Quinquagesimo deinde anno (1793), more illius Academiae solemni, *in saecularem memoriam impetratae ejusdem dignitatis ante hos quinquaginta annos cum potestate in hac Academia primum docendi, Philosophiae Doctor et Liberalium Artium Magister denuo appellatus est:* haec est formula editi hoc nomine programmatis, cujus exemplaria complura, cum honorificis literis ad eum scriptis misit Decanus Philosophicae Facultatis Fr. Godofridus Augustus Meerheim, V. Cl. Hujus item rei notitiam Ruhnkenius non nisi cum uno aut altero communicavit amico. Nimirum, qui sciret quam late pateret Philosophiae et Liberalium Artium munus, haud consentaneum suis moribus judicabat, titulum profiteri, cujus muneri satisfacere non posset. In circulis ac sermonibus, quorum fere argu-

(109) [Vid. supra, p. 565.]

gumentum est de rebus novissimis quibusque bellicis ac civilibus publice gestis, in quibus nemo est quin sapere sibi videatur; in his igitur ad recte judicandum praecipue valet locos terrarumque situs nosse, Regnorum Rerumque publicarum, caussas, constitutiones, formas, commoda, utilitates, necessitudines, foedera, pacta, vires, copias, perspectas habere, omnino civilem prudentiam historicam tenere. Hanc et in Ritteri disciplina perceperat, et suo postea studio coluerat: tamen, quasi ignarus ejus esset, homines de his rebus inepte loquentes, patienter audiebat; et libenter adeo, si quidem iisdem, quibus ipse, partibus faverent, et aliquam in re publica personam gererent. Qui quidem mores proficiscebantur, cum ex naturali quadam animi benivolentia ac modestia, tum ex illa, de qua saepe diximus, facilitate, qua se, ut aliis, ita sibi ipse facilem praebebat. Igitur, posteaquam mentis aciem domi Literarum studiis intendisset, his relictis, eam remittere, et in communi vita ipse communis esse volebat. Scripseram aliquando (110), magnos viros à curis rerum, in quibus excellerent, se ita relaxare solitos esse, ut etiam infra mediocrium captum hominum sapere viderentur. Hic ei locus mirifice placebat: „ Hujusmodi, inquit, plane meum est negotium: ego finitis quotidie scholis, munerisque partibus peractis, Professorem depono nec foras mecum ef-

fe-

(110) Biblioth. Crit. Vol. III. Part. I. Praefat. p. XII. [Vid. supra, p. 225.]

fero in publicum prodiens, aut amicos invisens: nec facio, quod nonnulli, qui ubique Professorem circumferunt et ostentant: ego aequalitatem amo, et inter alios homines unus ex multis esse volo." Igitur cunctis jucundus et amabilis erat: admirabilis non item, nisi iis, qui ejus ingenii doctrinaeque magnitudinem interius inspicerent: quod pauci poterant, etiam eorum, qui vulgo literati habentur. Quod ad rem faciendam attinet, sero demum, et extremis vitae annis, sensit ejus officii necessitatem, fructum ejusdem percipere non potuit: caeterum sibi ipse ignovit. „Fateor, inquit, me in re augenda nec mihi nec aliis satisfecisse: sed quid facerem? feci quantum potui: si attentior etiam fuissem, nil tamen, quod operae pretium esset, ad summam consilii profecissem. Familia mihi ea est, cui honeste alendae mei quidem reditus vix sufficiant. Aliarum rei faciendae rationum facultas mihi defuit. Sunt qui studiosos juvenes in contubernio habeant: hoc uti quaestu non potui, propter domesticas difficultates. Sunt qui scribendis edendisque libris divites fiant: quod de Ernesto aliisque fertur: hanc mihi viam ingredi non licuit; quippe quam bibliopolae nostri non sequuntur in hoc Literarum genere." Atque hanc orationem sane nemini non aequo judici probabat. In libris autem ab ipso editis, pro unico eoque postremo aliquid pretii pactus est, Schelleriano Lexico: fuitque id pretium, nec enim abs re est alios hoc scire, septingentorum florenorum.

Et vero juvat, quid ipse de hoc labore ad me scripserit in epistola Calend. Januar. a. 1793, ipsius verbis referre: „ Me adhuc exercet ingratus idemque inglorius labor Schelleriani Lexici recensendi, et ad tironum usum accommodandi. Pro qua tamen opera, Wyttenbachium meum in Plutarcho edendo imitatus, mercedem exegi. Sero intelligo, me hucusque ad omnia alia rectius sapuisse, quam ad rem faciendam." Caeterum, si quis paulo severior non acquiesceret in illa praeteriti temporis excusatione, sed ulterius ei ingereret, eum quavis alia ratione fortunis uxoris et filiarum prospicere debere; tum ille vultu oculisque fiduciam et indignationem significantibus, *Non deerunt*, inquit, *amici, qui harum difficultatibus consulant;* ut nemo non intempestive sapiens eum amplius urgere, et hac spe reprehendenda senectutis ejus tranquillitatem turbare, in animum induceret. Neque vana fuit illa spes (111): habuit amicos, qui eam non fallerent:

(111) Honoratissimi cives, quorum in primis in perficiendo hoc negotio valuit auctoritas, fuerunt illi sane Literarum, non solum amore, sed et scientia, cogniti. Quatuor erant Curatores Academiae: tres, quibuscum Ruhnkenio mihique notitia intercesserat: P. L. van de Kasteele, Ictus, Reip. Senator: Fred. van Leyden, Ictus, Reip. Senator: J. G. Hahn, Ictus, Senatorius: quartus H. A. Bake, Medic. Doctor, magistratus municipii Leydensis socius. Senatus caussam, ab illis ad se delatam, tribus mandavit Senatoribus, qui de ea cognosce-

rent: in his Curatores Academiae, qui magna ex parte eam ratam facerent, (d. 5. Decembr. 1798.) Senatui Reipublicae Batavae persuadentes, ut Ruhnkenii literatam supellectilem, locupletem illam cum optimis libris, tum ipsius adversariis et scriptis, tum vero ineditis Veterum codicum exemplis, vindicaret adderetque bibliothecae Lugdunobatavae, pretiique loco vectigal annuum viduae filiabusque duabus, quingentos in singulas florenos, constitueret. Cujus humanissimi et in patriam et in Ruhnkenii domum beneficii caussâ, me omnesque bonos Senatui Reipublicae Batavae, et Curatoribus hujus Academiae, maximas habere gratias, quin haec scribens profiterer, committere haud potui.

Et quod saepe vitae facilitatem in Ruhnkenio praedicavimus, est illa profecto egregia et prope divina felicitatis pars; si quidem ab ea Homerus (112) Deos immortales ῥεῖα ζώοντας appellavit; et Stoici (113), sapientem omnia quam facil-

scerent et ad ipsum referrent. Hi fuerunt, H. van Roijen: Jo. Lublink, vetere mihi amicitia conjunctus, de ingeniis Literisque Belgicis egregie meritus: S. van Hoogstraaten. Caussa ab his probata, accedente reliquorum Senatorum voluntate, factum est in eam sententiam Senatusconsultum.

(112) Il. ζ, 138.

(113) Hujusmodi fuisse Stoicorum παράδοξον, cum aliunde colligo, tum è Cicerone in Orat. pro L. Corn.

 Bal-

cillime tractare, pronunciarunt. In homine quidem ita intelligitur, ut leni et secundo quasi flatu negotia fluant, in iisque tractandis subeundisve, animo, corpore, agendo, patiendo, non plus operae laborisque adhibeatur, quam quantum necesse est ac res ipsa postulat; et in vitae tamquam navigatione velis potius utamur quam remis, ventosque oblatos levi manu et gubernatione in rem nostram convertamus. Haec, à Graecis dicta εὐκολία, ut virtus, medium tenet inter duas contrarias vitiositates, δυσκολίαν, quae curis nimium, et εὐχέρειαν, quae parum afficitur. Ad illam virtutem felicitatemque cum multum valet ipsa

Balbo, 1, — *nonnulli literis ac studiis doctrinae dediti quasi quiddam incredibile dicere putabantur, eum, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia quae faceret, facillime tractare.* Quod non cum Manutio et Abramio universe ad illud Stoicorum, *sapientem omnium artium doctrinarumque peritum esse*, sed potius ad peculiare decretum de εὐκολίᾳ, referam. Hanc vitae actionumque facilitatem, vocabant item εὔροιαν, τὸ ἀκώλυτον, τὸ ἀνεμπόδιστον. Et est εὐροίας ac *facilitatis* conjuncta potestas; si quidem ex verborum notatione, quam Stoici consectabantur, ῥεῖα, *facile*, venit a ῥεῖν *fluere*. Atque sic potius Homericum ῥεῖα ζώοντες, quam alterum, ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος, accipere debuisset Heliodorus Aethiop. III, p. 149. Caeterum, εὔροιαν Seneca Epist. CXX, ita interpretatur, ut plane cum *facilitate* conveniat: *Hinc intellecta est illa beata vita, secundo defluens cursu, arbitrii sui tota.*

ipsa cujusque hominis natura, tum vero plurimum futurarum rerum casuumque, qui incidere possunt, praemeditatio (114), non anxia illa quidvis et appetens et metuens, sed prudens ex justa rerum aestimatione ac solerti usu profecta, minimumque fortunae committens. Ruhnkenius, qui se his finibus intra necessaria negotia contineret, quae sponte fluerent, et naturale suum iter haberent, de futuro non erat sollicitus, magisque bona omnia sperabat, quam mala metuebat: ad utrumque paratus, censebat molestias non novis molestiis amovendas esse, quemque diem sua et incommoda et incommodorum remedia adferre. Porro, nullum ei tempus à Literarum studiis vacabat: semper aliquid agitabat et commentabatur, quod in publicum ederet; hoc, quidquid erat, alias curas, certe sollicitudines, ex animo abigebat: totus in hoc erat, quasi unum illud sibi subjiciens,

> Musis amicus, tristitiam et metus
> Tradam protervis in mare Creticum
> Portare ventis: —— (115)

Et vero eo magis miranda in ipso fuit illa facilitas, quod magnis eam in difficultatibus perpetuo servavit. Erat illa maxime quidem naturae bonitas, sed et exercitatio consuetudine vim naturae ad-

(114) Videatúr Cicero Tusc. III, 14, 15, 16.
(115) Horat. Carm. I, 26, 1.

adepta, eaque per omnes vitae partes, ingenii, doctrinae, animi, morum, aequabiliter fusa, apparebat in omni et mentis et corporis actione motuque: spirat etiam nunc in scriptis viri, quorum nullus est locus, sive materiae et eruditionis, sive inventionis et judicii in interpretando et emendando, sive eloquentiae et orationis in disserendo, cujus praestantia et suavitas non à facilitate, tamquam fonte, fluxerit. Et quod Hirtius (116) de Caesare dixit, alios scire quam bene scripserit, se vero etiam quam facile scripserit: idem mihi videor de Ruhnkenio posse dicere. Vidi eum diu ac saepe, vidi eum in omni vitae munere et actione, in omni Literarum studio et commentatione: totum hominem ad facilitatem natum factumque esse, vidi. Sunt qui ad scribendum accedentes, nescio quid, moliantur, in chartis calamisque praeparandis, libris expromendis et ad manum ponendis, totas horas consumant, ac veluti ad oppugnandam urbem omni se instrumento arment, et quasi vallo cingant; tum totam familiam clamore et convicio ad auxilium ferendum excitent. Alii beati, quorum imagines in tabellis aere expressis, quae librorum titulis praefigi solent, nonnumquam vidimus: sedet dominus in ampla bibliotheca, talari veste indutus, scribens, cogitabundus, severo vultu: interea famuli literati prae-

(116) Epist. ad Balbum, praemissa libro VIII, de Bello Gallico.

praesto sunt, scalas admovent scriniis, libros promunt, evolvunt, apertos domino adferunt. Quid dicamus?

Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus (117).

In Ruhnkenio nil tale. Omnia solus et tacito et facile peragebat: interpellatus, et placide relinquebat opus, et alacriter repetebat: nil temporis subsecivi perire sinens, continuo in bibliothecam se suam recipiens, semper in procinctu et abeundi et redeundi, ad utrumque paratus: laudans Ernestum item factitantem. Sane, qui multos et egregios vult scribere libros, debet temporis, tamquam pretiosissimi sumtus, τοῦ πολυτελεστάτου ἀναλώματος, ut vocavit Theophrastus (118), summam rationem ducere, ejusque et utendi aequabilem dispensationem tenere, et perditi promtam compensationem usurpare, diligente et quasi oeconomica accepti expensique comparatione: debet vero in primis facilitate ad pariundum valere, ut brevi tempore multum efficiat. Utrumque habuit Ruhnkenius. Igitur quodcumque ei à necessariis negotiis et privatis Literarum studiis ad recreandum animum supererat tempus, hoc libenter tribuebat ejusmodi sermonibus congressibusque, ubi vel ab aliis ipse, vel ab ipso alii discere pos-

(117) Horat. Art. Poet. 139.

(118) Huic tribuit Diog. Laërt. V, 40. Antiphonti Plutarchus in Vita Antonii, p. 928, A.

possent. Nonnumquam, ut fit, invitatus ad vespertinam doctorum hominum sessiunculam, incidebat in ardelionem, qui sibi solus sapere videretur, domi se ad certum quoddam disputandi argumentum parasset, et quasi armatura instruxisset, tum de eo sermonem injiciens ac disserens, eruditissimos quosque praesentium lacesseret, et, suo quidem judicio, in triumpho duceret. Istiusmodi ardelionum impudentiam Hemsterhusius fere silentio repudiabat, Valckenarius cavillatione eludebat, Ruhnkenius brevi interrogatione confutabat: caeterum, hic quidem, semel iterumque harum sessiuncularum taedio devorato, iis in perpetuum valedixit: satius judicans, cum aliis confabulari sive doctis sive indoctis, modo in sua arte peritis, et modestis et candidis hominibus, venatoribus, musicis, opificibus, agricolis, similibusque, à quibus ipse aliquid posset doceri, aut qui ab ipso doceri vellent: horum enim colloquiis tempus cum jucunditatis et recreationis fructu transire, illorum disputationibus cum molestia ac defatigatione perire.

Tale ingenium quali in corpore, tamquam domicilio, habitaverit, haud à proposito alienum sit cognoscere. Naturam hac etiam in parte nactus erat fautricem, quae corpus ei largiretur sanum et firmum: quod, profecto, magni est ad vitae facilitatem momenti. Adolescenti qui fuerit habitus vultusque, supra significavimus. Viro ac provecto aetate, statura fuit ea, quae dicitur,

tur, et ut de se ipse loqui solebat, quadrata, propior tamen illa longitudini quam brevitati: membra bene compacta, firma, concinna: valetudo prospera, quae, licet ante sexagesimum annum bis morbo, et ab illo anno subinde ad paucos dies podagricis et chiragricis affectionibus tentata, nullo modo debilitaretur; nisi quod, extrema demum senectute, dextera manus tremorem inde retineret, qui scribendi officio aliquantum obesset. Caeterum, naturae bona studio ac diligentia auxit, Socraticum (119) secutus praeceptum, ut corpus haberet non dominum animi, sed ministrum promtumque instrumentum. Puer et adolescens operam dederat exercitationibus, quibus corpus cum ad duritiem et agilitatem, tum ad liberalem habitum vitaeque usum conformaretur, saltationi, equitationi, palaestrae, venationi: quod postea per reliquum aetatis spatium, in omni motu, incessu, gestu apparuit, in quibus decora quaedam inerat facilitas et roboris significatio. Illarum exercitationum unam oblectationis animique caussa retinuit venationem: quam, ad extremam usque senectutem, tanto studio factitavit, ut ampliore eam, quam pro rei familiaris modo, impensa instrumentoque tueri videretur. Et licet universae artis rationem nosset, unice tamen eo genere utebatur, quod longis canibus,

ea-

(119) Xenophon Mem. Socrat. II, 1, 28. Similia in Agesil. 5, 2. Cf. et Cicero Off. I. 22.

earumque velocitate capiendo lepore, continetur. Hoc unum generosum et Batavae terrae proprium cognatumque censebat genus, idemque eodem modo, earumdemque canum, vertagorum, usu et ministerio frequentatum in Celtica, teste Arriano (120): alterum illud à Xenophonte (121) proditum, ad quod canes, sagaces quidem, tamen tardiores adhibentur, lepori retia et plagae tenduntur, sagittae et jacula immittuntur, humile et abjectum, Graecorumque ingenio indignum, judicabat, nec nisi necessitate soli montani excusandum. Quamquam in hoc recentioris aetatis missili, sclopeto, seu tubo ignivomo, tractando tanta dexteritate valebat, ut avem quamvis vage varieque volitantem feriret: tamen à longo inde tempore repudiaverat hujus venationis consuetudinem, ut ipsis venatoribus temeritate ac negligentia comitum exitiosam, et ipse praesens aliquando expertus casu familiaris hominis, à comite, sclopetum incaute tractante, mortifera emissione vulnerati. Igitur non nisi vertagis utebatur, iisque nomina ponebat, ex praecepto Xenophontis (122), Graeca disyllaba, sonora, quae facile ad aures canum acciderent. Et vero canes ex hoc genere habebat egregias, in iisque emendis, alendis, instituendis, nec operae nec sumtui

(120) De Venatione, 3, 6.
(121) In libro De Venatione.
(122) Ibidem, 7, 5.

tui parcebat: hae, in venandi societate, aliis aliorum canibus palmam praeripiebant: ipse eas hortans sectabatur, fossas quamvis latas et aqua plenas, quarum ductu frequentiaque agri prataque terminantur, transsiliens, omniaque artis munera instar promtissimi cujusque rite obiens et exsequens. Atque, ut inter doctos homines princeps Literarum celebrabatur, ita apud indoctos et venatores venator strenuus victriciumque canum dominus ferebatur. Et gaudebat, se hac etiam in re similem esse Josephi Scaligeri, qui in Gallia adhuc degens item venandi studio deditus fuisset: ejusque vitam conscribere et Hemsterhusiano Elogio adjungere, aliquando cogitabat. Scriptores etiam Rei Venaticae Graecos et Latinos libenter legebat, multaque in iis, propter materiae intelligentiam, rectius acutiusque animadvertebat, quam adhuc factum erat, novamque subinde iis editionem destinabat. Sed et hujus, et aliorum consiliorum, effectum, primo aliae scriptiones, deinde senectus et mors praeverterunt.

Nam quum hunc vitae modum cursumque prospera valetudine ad aetatis annum septuagesimum et quartum (1796.) tenuisset, ac solitus corporis vigor hac una in parte imminui videretur, quod inter ambulandum anhelitus aliquanto magis quam antea agitaretur; supervenit, mense Julio, capitis affectio vertiginosa: cui mox depulsae successerunt indicia hydropis, cum in pectore, tum in pedibus. Erat ei medicus, et complurium anno-

rum quotidiana fere consuetudine familiaris, H. Cuipers, vir cum artis scientia, tum ejus factitandae solertia et felicitate, in primis celeber: cujus in dexteritate ac diligentia ita acquiescebat, ut medicum alium desideraret neminem, aut, si forte, hoc ipso auctore, in societatem curationis ei adjungeret N. G. Oosterdykium, Medicinae Professorem, clarissimum doctrinae fama et usu artis virum, sibi et collegio et amicitia valde probatum: qui tunc item, ut in gravissima caussa, socius assumtus est. Caeterum, morbus insanabilis ita tolerabilis fuit, ut Ruhnkenius ei sensim adsuesceret, nec ipse se aut aegrotare magnopere, aut in vitae periculo versari, sentiret. Nam proximo autumno aliquoties venatum exiit, ac fossas adeo, pristino more, transsiliit. Hiems deinceps, pectus frigore afficiens, domi eum tenuit. Sequente aestate (1797.) multum recreatus, plane sibi convaluisse videbatur; ut ad veterem vitae consuetudinem se referret, exeundo, ambulando, agendo: per autumnum etiam venationi aliquid tribueret, sed aliquanto minus quam superiore anno. A venatione, ut subinde solebat fieri, catarrhum retulit: qui antea nil oberat valetudini, nunc ad hydropem accedens, graviorem in modum pectus tussi afficiebat. Ipse nil nisi tussim è catarrho profectam cogitans, hiemem domi tranquillo et hilari animo degit, non sine spe sanitatis sub vernum tempus recuperandae. Scripsit ad me (d. 23 Martii, 1798.): „ Animi hilaritas eadem

est,

est, quae superiore anno. Sed tussis catarrhalis, senibus infesta, pectus et abdomen ita quassat, ut corporis vires minui necesse sit. Medici tamen nos sperare jubent futurum, ut verni temporis clementia huic malo medeatur." Hae ultimae fuerunt ejus ad me scriptae literae. Veni deinde ad eum (d. 18. Aprilis), ac per quatriduum domi ejus fui. Et quod Cato (123) narrat, se Q. Fabii Maximi sermone ita cupide frui solitum fuisse, quasi divinaret, id quod evenit, illo exstincto, fore unde disceret, neminem: ita ego, quo magis Ruhnkenium aetate progredi videbam, eo magis ejus colloquia appetebam; non quasi divinarem, sed quod certo sciebam, eo mortuo, fore, unde discerem, neminem: nec adeo, quin essent Ruhnkenio etiam minus docti, à quibus ego discere possem: sed quod eorum nemo tantam, quantam ille, docendi cum facultatem, tum erga me voluntatem, habiturus esset. Igitur legendam ei dedi praefationem ad Animadversiones Plutarcheas, ac Disputationem de spuria auctoritate libelli *De Educatione Liberorum*: has enim scriptiones legere cupiebat, et ut sibi adferrem jusserat. Legit eas non solum libenter, sed etiam diligenter; probans vehementer meam sententiam, judicium de complurium locorum Latinitate accuratissimum exercens, et manu quamvis tremula conscribens. Porro confabulans mecum, interpella-

(123) Apud Ciceronem de Senectute. Cap. IV.

latus subinde tussi, monente me, ut post tussim pectus pulmonesque silentio aliquantum reficeret, ille eodem vigore sermonem repetebat, dicens, *haec non est nisi levis tussicula.* Numquam non colloquia vel de Literis, vel de rebus novis bellicis aut civilibus, captabat: semper cum amicis eum invisentibus de suis cujusque rebus ac studiis loquebatur: narrabat, quem ipse librum proxime editurus, quibus in locis et quibuscum sociis venaturus, quam canem cui officio adhibiturus esset. Si solus erat, habebat fere in manibus aliquem Graecum Latinumve Scriptorem, non modo quem animi caussa inspiceret, sed quem cogitate legeret. Ac de aliis quidem edendis libris dimittendum esse propositum, in dies magis magisque animadvertebat, subinde dictitans,

> Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam (124):

de uno non desperabat Scholiasta Platonico. Illo tempore mihi rursus à Curatoribus hujus Academiae offerebatur cathedra Literarum Humaniorum, eaque universarum, iisdem finibus, quibus eam Amstelodami tenebam. Ego diuturna multorum annorum consuetudine multisque suavitatibus ad veterem stationem adstrictus, minus etiam quam antea inclinabam ad illam cum Lugdunobatava statione commutandam; quod in ea mihi mox ejus uni-

(124) Horat. Carm. I, 4, 15.

unica maximaque suavitate, Ruhnkenii luce, carendum esse intelligerem. Nolui tamen penitus recusare, flagitante Ruhnkenio: grave atque adeo religioni ducens, hac spe simpliciter et omnino praecidenda, optimi senis, mihi patris instar colendi, jam jam ex hac vita abeuntis, extremum tempus tranquillitatemque turbare. Negotium vocationis intermissum mox abdicatis Curatoribus, instauratum est post Ruhnkenii obitum, iisdem restitutis mense Novembre: quum reciperent, siquidem oblatam cathedram acciperem, se omni studio apud Senatum Reipublicae Batavae conaturos efficere, ut caussam familiae Ruhnkenianae, de qua vehementer laborabam, obtineremus. Et fateor, haec unica fuit conditio, qua Amstelodamo abduci possem: nec, nisi ea confecta, abductus sum. Sed haec postea acciderunt. Illo tempore, ut collegam me sibi dari vellet Ruhnkenius, nova ad veteres accedebat caussa ea, quod ita praesens praesenti celeriorem certioremque operam in edendo Scholiasta navare possem. Cumque sciret, duos novissimo hoc tempore meos ferri discipulos in Literis egregie versatos, et ornandis Academicis cathedris idoneos; alterum Guilielmum Leonardum Mahne, Rectorem Scholae Amisfurtanae, clarum edita Diatribe de Aristoxeno (125); alterum Johannem der Kinderen, nondum

(125) Amstelodami, forma octava, typis Petri den Hengst, A. 1793.

dum quidem illum aliquo munere aut edito libro conspicuum, sed praeclara studiorum et variae simul accurataeque doctrinae laude florentem: horum alterutrum in Graeca hujus Academiae cathedra poni optabat; ut haberet collegam, cujus opera manuque in conscribendis Animadversionibus ad Scholiastam uteretur. Quamquam in utroque frustra optavit: illo suam stationem huic anteponente: hoc discere adhuc, quam docere, malente: caeterum iis mox publice commutationibus secutis, ut neuter eorum vocaretur. Neque tamen de Scholiasta edendo spem abjiciebat, certe de eo cogitare non desinebat, frequenter illud usurpans,

Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem (126).

Interea levabatur pectus, hydrope ad inferiores partes descendente, ortoque inde pedum crurumque tumore; qui si resedisset, ut pedes calceari possent, foras ambulare constituebat, hoc unum ad sanitatem deesse sibi putans. Jam scholas, per hiemem aliquoties intermissas, repetebat: easque bis terve denuo habuerat, quum pedes et crura, abeunte tumore, ad pristinum modum redire viderentur. Hoc ipse signum depulsi morbi esse putabat: re vera erat indicium instantis casus gravioris, hydrope ad pectus et superiores partes adscendente. Nam die undecimo Maji, quum per totum diem consueto more degisset, domi ambulasset, cum

(126) Virgil. Eclog. X, 1.

cum suis et amicis eum invisentibus suaviter confabulatus esset, et ad coenam ei vel sopor obreperet, vel cogitatio minus quam antea praesens constaret, tempestive ad quietem se dedit. E qua solito maturius, ac primo diluculo, evigilans, solus surrexit, quod alias juvante famulo faciebat, et in sella consedit, dicens sibi minus bene esse: jubet, majorem filiam vocari: haec advolat continuo: ille interroganti nil respondet, quod intelligi posset: apparent alienatae mentis indicia: verba excidunt Graeca, Latina, alia non magis intellecta: nutu manibusque significat, velle se in lecto reponi: reponitur, ac dum tollitur ac transfertur, ultimam edidit vocem, significans caput sibi dolere: positus jacuit quietus, immotus, sine sensu; certe sensus indicia nulla exstabant. Venientibus mox medicis visum remedia adhibere: adhibita cum alia, tum vesicatoria, tum vero hirudines temporibus admotae, frustra fuerunt. Quo cognito, visum non diutius torquere morientem. Qui, ut semel in lecto positus erat, ita per duos dies duasque noctes, in febri quamvis magna, tamen in stupore et, ut diximus, sine motu sensuque jacens, die decimo quarto Maji, hora vespertina decima, exspiravit; ut plane, quod de Gorgia fertur, eum frater fratri, somnus morti, tradere videretur.

Ergo illa naturae facilitas et *εὐκολία*, quae Ruhnkenio fons morum actionumque exstitit, eadem ei

ad extremum perpetua fuit vitae comes: eadem ei et εὐθυμίας, et εὐγηρίας, et εὐθανασίας, vel adjutrix vel effectrix fuit: eadem et vitam ei hilarem, et senectutem tranquillam, et mortem placidam, reddidit. Ac de senectute quidem sua poterat idem praedicare, quod moriens ille apud Xenophontem (127) Cyrus, nulla eam in parte infirmiorem esse juventute. Sustentabatur iisdem, quibus antea, studiis: integra erat corporis firmitas et agilitas, acies oculorum auriumque integra: menti constabat et ingenii acies, et memoriae fides, nec modo constabat, sed augebatur adeo quotidiana meditatione. Porro, quae fere caussae apud plerosque obsunt placidae morti, corporis dolores, sollicitudo de suorum fortunis, metus rerum post hanc vitam: harum in eum nulla cadebat. Morbum ac dolores vix sensit. De suorum fortunis, animo fuit fidente et securo. Mortem adventantem, ut naturae necessitatem dudum mente praeceptam, tranquillus tacitusque exspectabat. Et, ut in aliis vitae negotiis, quid cras et postea futurum esset, non magnopere curabat, eaque et praesentia et venientia leviter ac placide, solitaque sibi vel facilitate vel securitate tractabat; ita, quid post hanc vitam ipsum exspectaret, nec sollicitabat eum, nec angebat: acquiescebat in Socratica ratione, cujus illum in primis redditum a Cice-

(127) Cyropaediae VIII, 7, 3. quem locum memorat Cicero de Senect. Cap. IX.

cerone (128) locum et tenebat et subinde usurpabat: *Non enim temere, nec fortuito, sati et creati sumus: sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod, cum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum: portum potius paratum nobis et perfugium putemus. Quo utinam velis passis pervehi liceat! sin reflantibus ventis rejiciemur, tamen eodem, paulo tardius, referamur necesse est.*

In hunc Tu portum, ô Ruhnkeni, jam pervectus, jam tutam tranquillamque sedem in beatis beatorum regionibus obtineas! Nos, qui eodem tendimus, et adhuc in hujus vitae fluctibus jactamur, Te et virtutum tuarum meditatione, et bene factorum grata recordatione, perpetuo celebrabimus! — Ao. MDCCIC.

(128) Tusc. I, 49.

ADDITAMENTUM,

Ad pag. 641. r. 3. in v. *Diario Erud. Gall.*

[Titulus hujus Diarii, a Boissonadio, V. Cl., teste Wolfio (*Litter. Anal.* T. IV. p. 522, sq.), repertus, hic est: *Bibliothèque des Sciences et des beaux Arts.* à la Haye. Vol. XXIV.

Part. I. Ai. 1765, p. 273, sq., ubi sic Ruhnkenius:]

„ Il y a quelques mois que lisant Apsinès, Rhéteur Grec, qui se trouve dans la Collection qu'Alde Manuce a donnée de plusieurs autres ouvrages de cette espèce, je fus surpris de voir le style changer tout d'un coup au milieu du livre. J'y reconnus non seulement la marche de Longin, mais plusieurs expressions qui lui sont particulières. Continuant ma lecture je tombai sur un assez long passage, que je me souvins d'avoir lu dans le Scholiaste d'Hermogène, et dans le Commentaire non encore publié que Jean Sicéliote a fait sur ce même Hermogène. Ce passage y est cité non sous le nom d'Apsinès, mais sous celui de Longin, et tiré du livre qui a pour titre: Λογγίνου Τέχνη ῥητορική. Voilà donc un ouvrage de Longin que nous venons de recouvrer, et que tout le monde croyoit perdu. Il existe en entier à l'exception du premier Chapitre *de l'Invention*, où il paroit manquer quelque chose. L'ouvrage est digne de Longin, et n'est point inférieur à son admirable traité *sur le Sublime*. J'ignore par quel hazard ce livre a été inséré au milieu d'un ouvrage d'Apsinès. Il y a apparence qu'ils se sont trouvés réunis dans un même volume, et que le relieur qui devoit le placer avant ou après le livre d'Apsinès, l'a placé au milieu. Cette erreur a passé dans les autres MSS. et dans l'édition d'Alde. Malheureusement cet

ou-

ouvrage a été fort corrompu par les copistes. Il y a même par-ci par-là des lacunes indiquées par Alde; mais je me flatte que les MSS. d'Italie et de France, que je fais consulter, y suppléeront. J'en ai déja rempli quelques unes au moyen des variantes que j'ai tirées de la Bibliothèque de Wolfenbuttel. Je me propose de publier cet ouvrage au plutôt, collationné avec plusieurs MSS., corrigé, et avec mes remarques et une traduction Latine."

IN.

INSERENDA post pag. 228.

DE OBITU VALCKENARII.

EX BIBL. CRIT. P. IX. p. 74, sqq. (*).

Quod in veteri est praecepto, ut operum exordia a laetis ducantur rebus, id in his instaurandis censuris et pietas et dolor noster facere nos vetat. Neque enim prior quisquam nunc nobis dicendus est Valckenario, nec de eo ita dicere possumus, quin ad pristini doloris acerbitatem revocemur. Nam medio inter hanc et superiorem Bibliothecae partem tempore illud Literarum lumen morte exstinctum est, anno aetatis suae sexagesimo et nono, seculi hujus octogesimo et quinto, mense Martio. Aetas non immatura pro humana natura, at pro Literis immatura. Et duo anni interea praeterlapsi valeant forte ad alium,

quam-

(*) [Ubi censuram refert Vir. Cl. Orationum Hemsterhusii et Valckenarii, Ao. 1784. Lugduni Batavorum formâ octavâ editarum.]

quamvis magnum, tollendum luctum: ad tantum, de tanto viro conceptum, et intimo animo infixum dolorem levandum non valent. Ecquis enim omnium, quotquot per terrarum orbem sunt, doctorum hominum, non aut tunc ad tantae cladis nuncium vehementer perculsus est, aut nunc etiam tristi viri desiderio tenetur? Quod si hic est omnium etiam remotissimorum sensus, quomodo nos affectos esse par est, qui praesentes hujus ingenii et magnitudinem admirati sumus, et suavitatem percepimus. In quibus et ego sum, qui Valckenarium per tredecim annos, et fautorem, et amicum, et magistrum, habui. Equidem libenter ejus laudes celebrandas susciperem, si par mihi adesset voluntati facultas. Quare hoc iis relinquo, quibus diuturnior, frequentior, interiorque viri consuetudo obtigit. Ceterum ipse vivus Valckenarius, quâ erat rerum humanarum perspicientiâ, et vanitatis despicientiâ, ejusmodi laudationes ridebat, probans veteris Spartani dictum, qui a Sophista invitatus ad audiendam Herculis laudationem respondit, *Quis eum vituperat?* Ita enim se res habet, ut laudatio neque exhibita quidquam mediocribus hominibus addat, neque non exhibita quidquam magnis viris detrahat. Major omni praeconio est Valckenarii laus, haud alieno firmanda fulcro, sed suis ipsa nixa radicibus: immortalibus ingenii monumentis prodita, florescet et seculis innumerabilibus et regionibus disjun-

junctissimis: atque iisdem, quibus ipsa humanitas, finibus terminabitur. Nos, ita salutatis Valckenarii manibus, jam de libro ejus videamus. Ao. MDCCLXXXVII.

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

IN-

INSERENDA post pag. 130.

VIRO SUMMO

I. AUG. ERNESTIO

S. P. D.

DANIEL WYTTENBACHIUS.

EX EDITIONE EPISTOLARUM RUHNKENII, VALCKENAERII ET ALIORUM AD JOH. AUG. ERNESTIUM, curatâ a J. A. H. TITTMANNO. Lips. 1812. pag. 83, sqq. Epist. 31.

Cum ut quisque bonarum literarum est amantissimus, ita earum statores atque antistites maxime amet atque suspiciat, non est quod mireris, Ernesti virorum summe, me eodem illo amore incitatum, sensum quem diu tacitus mecum alui et continui, Tibi, ejus auctori, tandem apperire hisque literis significare. Quamquam ipse quidem tui amor communis est mihi cum omnibus qui se non ipsi ab humanitate segregatos volunt: at quod eum ex beneficiorum tuorum abundantia ignotus licet et magno locorum intervallo a te disjunctus concepi, id vero cum pauciorum societate conjunctum esse videtur. Quoad enim initia recordari possum ea, quibus hanc studiorum viam ingressus sum, reperio me saluber-

rimis iis, quae in immortalibus tuis scriptis sparsisti, praeceptis primum ad hanc elegantem antiquitatis rationem suscipiendam excitatum atque adductum fuisse. Quod quidem literis etiam ad Te scriptis testatus sum, quo tempore epistolae meae criticae exemplum ad Te misi: eodemque consilio haud ita multo post, Plutarchi a me libellus editus ut ad Te perveniret, curavi. Postea vero, etsi literis non audebam tibi iterum molestus esse, non destiti tamen beneficia Tua vel grati animi sensu recolere, vel ingenii doctrinaeque tuae commemoratione apud alios celebrare. Atque cum tantus jam esset iste animi erga Te affectus, ut ad eum accedere nil quidquam posse videretur, magno tamen admirationis quasi cumulo auctus perfectusque est. Nam cum ego in antiquitatis disciplina ista via incederem ut primum omnem meam curam operamque in Graecis unice ponerem, postea demum Latina adjungerem iisque me darem; factum est ut, cum antea doctrinae Tuae praestantiam ex solis Graecorum scriptorum interpretationibus cognovissem, eam nunc etiam ex latinarum literarum commentationibus intelligere inciperem. Nil nunc dicam de infinita illa et accuratissima omnium rerum et divinarum et humanarum scientia, nil de acerrimo veri pulcrique judicio, nil de illa omnibus dicendi virtutibus cumulata orationis facultate, nil de reliquis iisque divinis doctrinae tuae dotibus. Malo enim gestientem seque universum prodere atque effundere cupientem sensum, quamvis invitus comprimere, quam laudibus tuis praedicandis ambitionis apud Te notam suscipere. Quamquam Tu is es in quo laudando oratio deesse nemini possit; ut, quum quis, multa quamvis et

in-

innumera verbis in Te contulerit ornamenta, is ea non auribus Tuis potius quam veritati dedisse videatur. Neque etiam in illud ingenium, rerum usum, et, ut vere dicam, sapientiam, quae in Te est, ullo modo cadere possit, ut benivolentiam suam potius adulationis levitati quam sincero animi cultui veritatisque testimonio largiatur. Neque vero etiam ego vel ita vanus sim atque abjectus ut istam ambiam gratiam quae simulato cultu et laudum fictarum lenocinio conciliari debeat; vel ita stultus atque amens, ut cum habeam quae vere dicam iis relictis ad mendacium descendam. Ego vero quotiescumque vel ipse doctrinae tuae suavitatem percipio: percipio autem saepissime: aut discipulos meos ad ejusdem salubritatis fontes adduco, toties et Tibi auctori hujus beneficii interiore quodam mentis sensu gratias ago, mihique ipse gaudeo quod eo ingenio sim ut bona tua cum agnoscere possim tum frui etiam iis velim. Et cum Germaniae nostrae gratulor de Te tanto doctore vindiceque literarum, tum ejusdem sortem miseror cum ejus me temporis cogitatio subit quo tua luce carendum ei erit. Sed haec quidem θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Sed cum te Deus velut hierophantem atque antistitem bonarum literarum in his terris posuerit, tuum est, Ernesti praestantissime, doctrinae lucem non tantum voce et scriptis spargere, sed eos etiam qui his sacris initiati sunt liberaliter ornare et a profanorum invidia contemtuque vindicare. Quare spero me non solum facile veniam a Te impetraturum, sed gratum Tibi etiam facturum, si duo excellentia quae fortunae quadam iniquitate in obscuro latent ingenia in Tua notitia cognitioneque posuero.

Primum de I. Christ. Bangio dicam Gosfeldae in agro Marburgensi sacerdote. Huic quamquam nunquam contigit ut Tua voce frueretur, semper tamen studio, voluntate et sermone nomen suum inter disciplinae Tuae alumnos professus est. Quod quidem si quis alius juste vereque faciebat. Ita enim Te ex scriptis tuis amplectebatur, ita in oculis ferebat, ita Tuis vestigiis insistebat, ut haud sciam an nemo umquam tam germanus Tui discipulus ex schola Tua prodierit. Itaque ego, cum primum animum ad Graecas Latinasque literas adjicerem, ad ejus me amicitiam applicavi, ut ab eo qui in isto venustioris antiquitatis itinere longius progressus esset, lumen mihi accenderem. Nec me fefellit ista spes. Nam cum scripta mihi Tua cognoscenda dedit, tum eorum praeceptis magna me errorum, quos in isto genere conceperam, copia purgavit, tum monendo cavendoque effecit ut his vestigiis ad accuratam elegantemque harum literarum rationem progrederer. Sed Bangius cum suas rationes ad Academicam vitam composuisset, Marburgi gradum Magisterii capessivit scripta dissertatione de Stilo N. Test. in qua doctrina ejus eo magis eluxit, quod, cum in loco nec novo et ita tractato, ut ejus diligentiae omnia ab aliis praecepta viderentur, versaretur, ita copiose eleganterque disputavit, ut partim nova quaedam adferret, partim vetera in nova luce poneret exquisitoque orationis cultu ornaret. Neque tamen in scholas quas omnino in Graecum aliquem scriptorem habiturum se profiteretur, quemquam fere allicere potuit. Quod inde factum quod vel Klotzius de ejus libello inique pronuntiasset, vel quod ii quos tum auctores ducesque sequebatur juvenum grex huic

stu-

studiorum generi non faverent, vel quod ipse, qui semper *οὐ δοκεῖν ἀλλ' εἶναι ἐβούλετο*, adulari nec vellet nec posset. Nam quod Lutheranae formulae addictus est, id quidem in ea Academia nil obest. Et pater meus prudentissimus integerrimusque vir, cum ipsius merito tum mei caussa eum ita amabat, ut per eum quidem nil non praeclari assecutus esset. Ceterum Bangius cum videret ea esse hominum ingenia ut omnem Gr. literarum utilitatem N. Testamenti interpretatione metirentur, non illa eleganti quae arcem Theologiae tenet quaeque ex accurata grammatica ratione, linguarum scientia, et antiquitatis usu efflorescit, sed jejuna illa et mendica ac ab omni elegantiae antiquae instrumento vacua, quae ut nosti exegeseos nomine omnes protestantium scholas pervagatur: hoc igitur cum videret, scholas professus est in Chrestomathiam patristicam a Burgio editam, ad easque elegantissime scripto programmate juvenes invitavit. Nequiquam: nec enim hebetes mentes hanc elegantiae vim capere poterant. Itaque data occasione sacerdotium Gosfeldense nactus rus concessit. Verum quo loco veluti tranquillum honestissimi otii portum subiisse videbatur, ibi majorum curarum sollicitudinumque fluctibus agitatus est. Nam homo venustus qui decessorum suorum barbariem sequi nollet, cum quaedam ab inimicis etiam discordiae semina spargerentur, rusticarum animarum conciliare sibi amorem non potuit. Ita illa vis ingenii nata juvenum ingeniis ad literarum humanitatem erudiendis cum agresti feritate conflictari seque ipsa conficere cogitur. Huic Tu, si tuam voluntatem addixeris, servabis eruditorum civitati hominem insigni accurataque divinarum rerum humanarumque

scientia et plane ad Tuum exemplum conformata, Gr. vero Latinarumque literarum interiore cognitione instructum interpretemque subtilem, purae denique elegantisque latinae orationis facultate adeo praestantem, ut in tota Germania qui quidem Tibi hac laude similior sit sciam omnino neminem.

Alter est Wagnerus Ictus apud eosdem Marburgenses. Hic cum ab ineunte aetate insigni Gr. Romanarumque literarum percussus esset amore, eum non deposuit posteaquam Iurisprudentiae studio se dedit: sed ita utriusque disciplinae conjunxit rationem, ut si Te magistrum nactus fuisset, ad Bachii Tui praestantiam crescere potuisset. Sed nescio quonam ejus fato factum esse dicam ut infaustis auspiciis in publicam lucem prodiret. Nam cum aliquo libello edendo in eruditorum notitiam pervenire gestiret, veluti aestu abreptus ad Klotzium delatus est, cujus praefationis commendatione libellum de vestigiis Graecarum imitationum quae in Horatio exstant emisit. Quamquam eum sibi patronum elegit non animi judicio sententiaque inductus, sed fortunae laudisque cupiditate deceptus. Huc accessit ut, de vitiis quae in vulgari studiorum ratione versantur liberius pronuntiando quorumdam Doctorum animos a se abalienaret. Quare eo ejus res redierunt, ut formulis cantandis victum quaerere cogatur. Atque haec ita scripta esse a me scias ut omnia veritati et literarum amori, nil hominum amicitiae tribuerem. Itaque eos in Tua fide tutelaque repono, petoque a Te et rogo, ut, si quid in me conferres benivolentiae precibus meis victus: quamquam benivolentiam quo meo a Te merito exspectem nescio: sed tamen si quid in me suavitatis conferres,

hoc

hoc in amicos istos meos transferas et accumules, eosque tua commendatione vel vindices ab oblivione, vel eo loco ponas, quo literis nostris prodesse queant.

Et facies nimirum? nam et voles literarum caussa quibus totam vitam impendisti, et poteris propter summam quam Tibi tuis comparasti virtutibus auctoritatem.

Ceterum cum jam in eo essem ut finem huic imponerem epistolae, ecce mirifica voluptate eo abreptus sum ut Tibi de studiorum meorum ratione breviter exponerem. Ego, Vir summe, omne quod mihi a scholis liberum est tempus in Plutarcho colloco ad novam editionem expoliendo. Cujus consilii cum ante aliquot annos libellum de Ser. Num. Vindicta loco speciminis emitterem, animadverti me copioso commentandi genere in quorumdam reprehensionem incurrisse. Equidem hoc profiteri possum me in reliquis Plutarchi operibus multo breviorem adstrictioremque futurum: non quidem reprehensorum istorum auctoritati obsequentem, sed mei commodi rationibus inductum. Nam in singulari libello nec tam molesta est copia, nec facile cum semel congesta est, coarctatur atque praeciditur. Sed editionis consilio nunc quidem solum Moralium volumen complexus sum; Vitae in aliud tempus rejiciuntur. Et superiore anno Parisiis plerosque regiae bibliothecae scriptos libros ipse excussi, ex quibus miram optimarum lectionum vim collegi. In ea urbe multis mihi partibus utilis fuit Villoisoni humanitas, qui vel unus vel solus Gallorum veram literarum nostrarum rationem viamque sequitur: a qua ne civium suorum levitate de-

du-

ducatur cum Ruhnkenii nostri praecepta cavebunt tum Tua monita etiam providebunt quibus per literas, ut mihi ipse dixit, a Te eruditur. Fortasse jam scias Ruhnkenii Vellejum et vitam Longini a Chalcographis describi. Valkenarius Xenophontis Hellenica cum Agesilao edet, quem libellum expositis rationibus spurium esse evincit. Propertii Burmanniani jam fere dimidia pars typis est descripta: ejus animadversionibus admiscentur Ruhnkenii quaedam et Marklandi observationes. Tollius Hardervicensis Apollonium, nuper a Villoisono editum, suis animadversionibus instructum edit, Nonioque Marcello suam curam operamque addixit.

Tu vero hujus elegantiarum disciplinae antistes, arce ab ea profanorum temeritatem ab eaque socios tuorum sacrorum vindica atque tuere; in quorum societatem si me quoque adscribas, tum amanter erga me facies tum etiam honorifice. Ita vale, Vir summe, meque tua benivolentia complectere. Dab. in agro Leidensi. a. d. 20 Aug. MDCCLXXVI.